M·TVLLII

CICERONIS

OPERVM

TOMVS. NONVS

Continens

De Philosophia Volumen Secundum,

&

In ipsum Aldi Mannuccij commentarium.

AD. ILL.MVM ET. EXC.MVM D.

D. ANNAM. DVCEM. IOIOSAE
PAREM. FRANCIAE. EQVITEM. ORDINIS. REGII
CONSILIARIVM. A. SECRETIS. CHR.MI REGIS. FRANCORVM
ET. GVBERNATOREM. PROVINCIAE. NORMANDIAE



CVM. PRIVILEGIIS
VENETIIS · CIƆ IƆ XXCIII
Apud Aldum.



AD · ILL.MVM ET . EXC.MVM

D.

D. ANNAM

DVCEM · IOIOSAE

PAREM · FRANCIAE

EQVITEM . ORDINIS . REGII

CONSILIARIVM . A . SECRETIS

CHR.MI REGIS FRANCORVM

ET . GVBERNATOREM

PROVINCIAE . NORMANDIAE



SI, laudari a laudato uiro, praeclarum esse, dixit Hector apud Naeuium, ueterem Poetam: maxime probari maxime probato Regi, maximae felicitatis loco duci debere, nemo est, qui dubitare possit, aut debeat, ANNA, Dux Illustrissime. Reges a Deo esse, eosque, qui rerum potiuntur, Diuinae legis custodes in Terris esse positos, fatentur omnes. Neque in dubium reuocari id potest, quod tot iam aetatum saeculis communi consensu sancitum est. Ea primum opinio, hominibus insita, ueritate nixa, radices altiores egit. Cum

* 2 enim

enim uiderent, Regum facta nil aliud ſpectare, quam ut humanitatem inter homines ſeruarent, propriumq. hoc Dei eſſe ſcirent; Reges, alteros a Deo iure exiſtimarunt. Quod ſi fas credere: quanto eſt aequius, admirari eos Reges, qui inter alios Reges, tamquam Luna inter minores ſtellas, maxime lucent? HENRICVM igitur, Galliae, & Poloniae Regem, eum eſſe, qui omnium animos ſibi deuinxerit, quis iam non nouit? Conſecutus id eſt Regia humanitate, & plane Regia facilitate. Idem autem, qui bonis omnibus placet, uoluit Te praecipue ſibi placere. quo fit, ut Tu bonis omnibus item placeas. Maximum certe Regis iudicium in omnibus ſuis actionibus apparet. Sed in Te amando, ornandoq. nemo umquam optimum Regem ſatis pro dignitate laudare poteſt. Neque ego fore ſpero, ut quidquam laudis ex meo praeconio ipſi accedat; qui uires meas tanto oneri impares eſſe fatear. uolui tamen publice exſtare animi mei uoluntatem de ſummo Rege: ut, ſi ingenium minime probetur, improbari non poſſit iudicium, immo ſummopere probari debeat. Sis Tu igitur (ut iudicij laudem non adſperner, ſed uel maxime eam perſequar) alter mihi a Rege colendus, qui alter a Rege, quiq. intimus Regi es. Cumq. omnes Tuae actiones Reges imitentur, & Regium quiddam ſapiant, non improber ego, ſi Te Regi, in Philoſophicorum Ciceronis librorum editione, adiunxi. Hanc uero maxime partem ex Ciceronis ſcriptis HENRICO Regi conuenire, facile iudicaui: qui ſcriptum legerim, optime cum hominibus actum iri, cum Reges philoſopharentur. Quid eſt autem Philoſophia, niſi ſapientiae amor? Quid uero ſapientia Henrico Regi antiquius? Primum igitur uolumen Henrico Regi, Alterum Tibi inſcriptum, a me exit. Non potui ego, nec debui animos tam arcte copulatos diſiungere. Volui ad poſterorum memoriam hanc coniunctionem tranſire. Volui quoque ad Regis iudicium de Te, meum de Vtroque iudicium adiungere. Id certe aſſequar, ut, dum Te minus, quam par eſt, laudo, ipſe maximam mihi laudem ab omnibus & deberi, & haberi ſentiam. quid ni? Non ne Tu omni laude dignior es? qui omnia Tua dicta, factaq. ad unam laudem ſemper direxeris; neque quidquam umquam Tibi antiquius fuerit, quam laude digna agere, eoq. hominum animos Tibi conciliare. quos iamdiu & bene agendo, & bene merendo Tibi deuinxiſti. Non in obſcuro eſt tua gloria. non latet. late patet, & ad omnes gentes permanauit. Italiaq. ipſa Te proxime ſuſpexit, cum Tu eam, ea Te, maiore forſan deſiderio, uiſeret. Haec certe Reſp. Te cum uideret, & amplecteretur, Regem ipſum uidere, & amplecti eſt opinata. Regiae enim Tuae Animi dotes eae ſunt, quae Regi maxime conueniant: neque quiſquam Regium quidquam in Te deſiderat,

qui

qui Regia omnia contineas. Et Regi igitur ipsi, & Tibi maxime gratulor, ob istam animi coniunctionem, ex qua tot bona quotidie manare, & Gallia sentit, suo maximo bono, & nos, suaui quadam inuidia, uidemus. Faxit Deus opt. max. ut Regem, & Te ad multos annos possimus uidere bene ualentes. Faxit idem, ut haec, quaecumque sunt, ab optima mea mente profecta, neque Regi, neque Tibi displiceant. Quod si consequar; maximum meorum laborum fructum consecutum me putabo, cum Regi me, & ei, qui Regi tam proximus est, me non displicuisse sensero. Et sane Regium erit, animum amplecti meum, eiq. fauere, qui tantopere immortalitati laudum Vestrarum fauere cupit; & forsan erit, cum id praestare possit; accedente praecipue Regio, & plane Regio plausu.

Venetiis, Pr. Kal. Sext. CIↃ IↃ X X C I I I

Ill.mae, atque Exc.mae D. T.

Addictissimus,

Aldus Mannuccius P. F. A. N.

INDEX LIBRORVM
Qui hoc Volumine continentur.







IN M · TVLLII · CICERONIS DE · NATVRA · DEORVM AD · M · IVNIVM · BRVTVM LIBRVM · I.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

De difficultate, necessitate, & utilitate disputationis de dijs in primis agit Cicero; rationem etiam reddens, cur de philosophia scribat, & Academicam disciplinam sectetur. Deinde introducit Velleium Epicureum, recensentem, quid alij de dijs senserint, & quid ipse existimet: cuius deliramenta mox Cotta Academicus acri iudicio examinans, & conuellens, ostendit Epicurum uerbis reliquisse deos, re uera sustulisse.

CICERO



CVm multae res in philosophia nequaquã satis adhuc explicatae sunt, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et obscura quaestio est de natura deorum: quae & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria: de qua tam uariae sunt doctissimorum hominum, tamq. discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, caussam, idest principium philosophiae, esse inscientiam, prudenterq. Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. quid est enim temeritate fortius? aut quid tam temerarium, tamq. indignum sapientis grauitate, atque constantia, quam aut falsum sentire, aut, quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere? uelut in hac quaestione, plerique, quod maxime uerisimile est, & quò omnes duce natura uehimur, deos esse dixerunt; dubitare se, Protagoras: nullos esse omnino, Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus putauerunt. qui uero deos esse dixerunt, tanta sunt in uarietate, ac dissensione constituti, ut eorum molestum sit annumerare sententias. nam & de figuris deorum, & de locis, atque sedibus, & actione uitae multa dicuntur: deq. his summa philosophorum dissensione certatur. quod uero maxime rem, caussamq. continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, an ab omni curatione, & administratione rerum uacent; an contra ab his & a principio omnia facta, & constituta sint, & ad infinitum tempus regantur, atque moueantur: in primis magna dissensio est: eaq. nisi dijudicatur, in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignoratione uersari. Sunt enim philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos. quorum si uera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim omnia pure, ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animaduertuntur ab ijs, & si est aliquid a dijs immortalibus hominum generi tributum. sin autem dij neque possunt nos iuuare, nec uolunt; nec curant omnino, nec, quid agamus, animad-

uertunt; nec est, quod ab his ad hominum uitam permanare possit: quid est, quod ullos dys immortalibus cultus, honores, preces adhibeamut? in specie autem fictae simulationis, sicut reliquae uirtutes, ita pietas inesse non potest: cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est: quibus sublatis, perturbatio uitae sequitur, & magna confusio. atque haud scio, an, pietate aduersus deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, &, una excellentissima virtus, iustitia tollatur. Sunt autem alij philosophi, et hi quidem magni, atque nobiles; qui deorum mente, atque ratione omnem mundum administrari & regi censeant: neque uero id solum, sed etiam ab ijsdem uitae hominum consuli, & prouideri. nam & fruges, & reliqua, quae terra pariat. & tempestates, ac temporum uarietates, caeliq. mutationes; quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a dijs immortalibus tribui generi humano putant, multaque, quae dicentur in his libris, colligunt; quae talia sunt, ut ea ipsa dij immortales ad usum hominum fabricati paene uideantur. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad ueri inuestigandi cupiditatem. res enim nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. quorum opiniones cum tam uariae sint, tamq. inter se dissidentes: alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una uera sit. qua quidem in caussa & beneuolos obiurgatores placare, et inuidos uituperatores confutare possumus; ut alteros reprehendisse paeniteat, alteri se didicisse gaudeant. nam, qui admonent, amice docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi. multum autem fluxisse uideo de libris nostris, quos complures breui tempore edidimus, uariumq. sermonem, partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis subito studium exstitisset, partim, quid quaque de re certi haberemus, scire cupientium.

EXPLANATIO



CVM *multae res* } Exordium ex natura, hoc est essentia deorum, de qua in his libris disputatur: facit autem attẽtos lectores, ex rei difficultate, obscuritate, & utilitate. EXPLICATAE } enarratae. QVAESTIO } propositio, quae in dubitationem adducta est. PVLCHERRIMA } honestissima, & gloriosissima. MODERANDAM } temperandam. DE *qua tam uariae* } obscuritatis argumentum sunt sententiae philosophorum dissentientes. DISCREPANTES } dissonae. ARGVMENTO } demonstratione. PRVDENTER } caute. QVID *est enim temeritate fortius?* } Aut hic, Fortius, in malam partem est accipiendum, quasi uiolentius; qua significatione hanc uocem alibi non memini me legisse: aut pro, Fortius, reponẽdum Foedius; quod affirmare sine libris antiquis non audeo. Haec Paullus pater. Alii, FORTIVS, } idest obstinatius. nonnulli si quidem praesumptae opinioni sic inhaerescunt, ut non facile auelli possint. Horum temeritatem alibi notãs Cicero, dicit: Sed nescio quomodo pleriq. errare malunt, eamq. sententiam, quam adamauerunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia quid constantissime dicatur exquirere. TEMERARIVM, } inconsultum, fatuum. CONSTANTIA, } iudicio firmo, non fluctuante. SENTIRE, } affirmare. EXPLORATE } exquisite. PLERIQVE, } magna pars hominum. VERISIMILE } probabile. QVO } ad quam opinionem. DVBITARE } ambigere. DIAGORAS *Melius*, } ex Melo insula, una Cycladum, & urbe eiusdem nominis. THEODORVS } praeterea Euhemerus Aegiata, & Callimachus. Eusebius lib. 14. cap. 6. de praeparat. Euangel. Et Critias Atheniensis, tyrannus. Sextus Empiricus lib. III. Pyrrh. hypot. cap. 24. Item Prodicus Chius. idem aduersus Mathem. CYRENAICVS } ex Cyrene oppido Africae. NAM *& de figuris* } Capita controuersiae. QVOD *uero maxime &c.* } Receptam lectionem non improbo: neque enim est, cur debeam. Sed, ut medici non eos solum, qui aegrotant, sed eos etiam, qui satis commode habent, interdum curant, ut, ad naturae beneficium addito artis adiumento, quam optimam ualetudinem, & speciem consequantur: sic nos non ea modo, quae, errorum tenebris inuoluta, minus perspicua sunt, sed si quid etiam eiusmodi est, quod lectorem omnino nõ fugiat, quanto magis possumus correctione illustramus: ut hoc in loco, dixi me receptam lectionem non improbare: tamen ad distinguendas sententiae partes quiddam ualet, si ita legas: Quod uero maxime rem, caussamq. continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, ab omni curatione, & administratione rerum uacent, an contra ab his & a principio omnia facta, & constituta sint &c. Haec Paullus pater. MOLIANTVR } meditentur, curent. VACENT } immunes sint. IN *primis magna dissensio est:* } Amplificatio difficultatis ex principali parte disputationis, quae est de prouidentia, & ex eius explicatione maxime necessaria. DIIVDICATVR } definitur. ERRORE } tenebris, & caligine uitae. PHILOSOPHI, } Epicureos innuit, quorum deliramenta nata sunt in hortis nenereis, cum nihil appetant praeter otium, & turpissimam uoluptatem, ad quam etiam caeli numen detrahere laborarunt. ITA } ea condicione. PERMANARE } defluere. QVID *est* } quae caussa est. IN *specie autem, &c.* } sensus est: ut reliquae uirtutes non possint simulari, sic nec pietas: quoniam, ut alibi dicit Cicero, nihil simulatum potest esse diuturnum: & ita omnia ficta celeriter, tamquam flosculi decidunt. PERTVRBATIO } actionum, & officiorum, quibus humana uita decoratur. CONFVSIO } iuris, & iniuriae, ut nullus ordo remaneat, si fundamentum uel maximum reip. religio tollatur e medio. FIDES } firmitas dictorum, conuentorumque. SOCIETAS } coniunctio, comitas, amicitia mutua, beneficiorum officiorumq. uicissitudo. EXCELLENTISSIMA } praeclarissima: est enim iustitia communis uirtus, cuique tribuens quod illi debetur, itaque cum Deum honorat, pietas appellatur; cum hominibus prospicit, officium; cum uita defunctos nõ fraudat, fides. SVNT *autem alij philosophi*, } Saniorum philosophorum sententia de prouidentia dei. MAGNI } docti. NOBILES, } celebres, & clari. MENTE, } consilio. RATIONE } prouidentia. CENSEANT } putẽt,

iudicent,

iudicent, statuant. TEMPESTATES, ʒ dimensa temporum spatia. PVBESCANT, ʒ uigeant, fructusq. ferant. CARNEADES, ʒ Cyrenaicus, nouorum Academicorum acerrimus. Idem Cic. de legibus: Perturbatricem autem omnium rerum Academicam hanc ab Arcesila, & Carneade recentem exoremus, ut sileat. VT *excitaret* ʒ Controuersiae certamen in dogmatibus homines non secordes excitat ad inuestigandi ueri cupiditatẽ. NON *secordes* ʒ cordatos, prudentes. RES *enim nulla est*, ʒ Collatio speciei cum genere augens difficultatem. ALTERVM *profecto* ʒ Dissidentium opinionum, vel nulla, vel non plus vna potest esse uera. QVA *quidem in caussa* ʒ Finis disputationis cum aduersarijs, ut rei veritate, & euidentia conuicti, vel placatiores fiant, vel explodantur. OBIVRGATORES ʒ contra ius urgentes. REPELLENDI. ʒ confutandi. MVLTVM *autem* ʒ Apologia librorum suorum de philosophia, praesertim Academica. FLVXISSE ʒ emanasse. STVDIVM ʒ uoluntas. EXSTITISSET; ʒ emersisset.

C I C E R O

MVLTIS etiam sensi mirabile uideri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet, & quasi noctem quandam rebus effunderet; desertaeq. disciplinae, & iam pridem relictae patrocinium nec opinatum a nobis esse susceptum. Nos autem nec subito coepimus philosophari; nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam, curamq. consumpsimus: &, cum minime uidebamur, tum maxime philosophabamur. quod et orationes declarant, refertae philosophorum sententijs; & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit; & principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. &, si omnia philosophiae praecepta referuntur ad uitam; arbitramur nos & publicis, & priuatis in rebus ea praestitisse, quae ratio, & doctrina praescripserit. Sin autem quis requirit, quae caussa nos impulerit, ut haec tam sero litteris mãdaremus, nihil est, quod expedire tam facile possimus. Nam, cũ otio langueremus, & is esset reip. status, ut eam unius consilio, atque cura gubernari necesse esset: primum ipsius reip. caussa philosophiam nostris hominib. explicandam putaui, magni existimans interesse ad decus, & laudem ciuitatis, res tam graues, tamq. praeclaras Latinis etiam litteris contineri. eoq. me minus instituti mei paenitet, quod facile sentio, quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commouerim. complures enim, Graecis institutionibus eruditi, ea, quae didicerant, cum ciuibus suis communicare non poterant; quod illa, quae a Graecis accepissent, Latine dici posse diffiderent. quo in genere tantum profecisse uidemur, ut a Graecis ne uerborum quidem copia uinceremur. Hortata est etiam, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo, fortunae magna, & graui commota iniuria: cuius si maiorem aliquam leuationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. ea uero ipsa nulla ratione melius frui potui, quam si me non modo ad legendas libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. omnes autem eius partes, atque omnia membra tum facillime noscuntur, cum totae quaestiones scribendo explicantur. est enim admirabilis quaedam continuatio, seriesq. rerum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter se aptae, colligataeq. uideãtur. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus; curiosius id faciunt, quam necesse est. non enim tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. quin etiam obest plerumque ijs, qui discere uolunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. desinunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum uident. Nec uero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex ijs quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. ipse autem, erat Pythagoras. tantum opinio praeiudicata poterat; ut etiam sine ratione ualeret auctoritas. Qui autem mirantur, nos hanc potissimum disciplinam secutos; his quattuor Academicis libris satis responsum uidetur. Nec uero desertarum, relictarumq. rerum patrocinium suscepimus. non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant: ut haec in philosophia ratio, contra omnia differendi, nullamq. rem aperte iudicandi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade, usque ad nostram uiguit aetatem: quam nunc prapemodum orbam esse in ipsa Graecia intelligo. quod non Academiae uitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. nam, si, singulas disciplinas percipere, magnum est; quanto maius, omnes? quod facere ijs necesse est, quibus propositum est, ueri reperiendi caussa, & contra omnes philosophos, & pro omnibus dicere. cuius rei tantae, tamq. difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse praemesero:

E X P L A N A T I O

NOCTEM ʒ ambiguitatem, & ignorantiam: quoniam statuit nihil certo sciri posse. INSTITVTI ʒ eruditi. REFERVNTVR ʒ reducuntur. SIN *autem* ʒ Expositio caussae, cur tam sero ediderit, & ἀφορμὴ quidem fuit uacatio a publicis muneribus, finalis uero reipu. cura, & salus. PRAESCRIPSERIT. ʒ praefinierit. VNIVS ʒ Caesaris. REIP. *caussa* ʒ communi vtilitate. NOSTRIS ʒ Romanis, & Latinis. MAGNI ʒ multum: cum essent cognitione dignissima. CONTINERI. ʒ comprehendi. INSTITVTI ʒ incepti. INSTITVTIONIBVS ʒ disciplinis. COMMVNICARE ʒ conferre. QVO *in genere* ʒ scribendi philosophica Latinis uocibus. TANTVM *profecisse* ʒ locupletando egestatem Romani sermonis. Vnde Lucanus, Romani maximus auctor Tullius eloquij. HORTATA *est etiam* ʒ προκαταρκτικὸν αἴτιον, leuatio aegritudinis animi

propter casum reip. AEGRITVDO, } maeror obortus ex interitu patriae libertatis. LEVATIONEM } curationem. AD *hanc* } philosophicam, & litterariam. OMNES *autem* } scribendo, plurimum in caussae cuiusque cognitione proficitur. TOTAE } integrae, quoniam res inuicem connexae sunt, & se vicissim declarant. QVI *autem requirunt*, } Respondet curiosae quaerentibus in quaque re auctoritates. CVRIOSIVS } maiori cura. MOMENTA } uires. QVIN *etiam* } in discendo, & disputando non tam auctoritas, quam rationis momenta spectanda sunt. AVCTORITAS } aestimatio de dignitate & sapientia. RATVM } exploratum, certum. QVOD *de Pythagoreis* } Pythagoreorum, *αὐτὸς ἔφα*. QVARE *ita esset*, } quae esset ratio huius affirmationis. PRAEIVDICATA } ante constituta de excellentia doctoris. Praeiudicium, siue antecepta opinio impedit ueram caussae cognitionem, atque diiudicationem. QVI *autem mirantur*, } Altera pars Apologiae de Academica disciplina. DISCIPLINAM } modum philosophandi, in quo personae aestimatio non obstit iudicijs. NEC *uero* } Eos refellit, qui rationem Academicam derelictam, & obsoletam asseuerabant. VT *haec in philosophia* } Ab auctoritate Socrates, & qui ab eo sunt, hoc vsque ad extremum tenuerunt, nihil vt affirmarent. RATIO, } modus, & via disputandi. A SOCRATE, } qui dixit se unum tantum scire, quod nihil sciret. REPETITA } in usum reuocata. VIGVIT } celebrata est, & culta. ORBAM } priuatam cultoribus. TARDITATE } hebetudine ingenij. NAM, *si singulas* } Ex parte totius collatio, siue aestimatio. PROPOSITVM } decretum. CVIVS *rei tantae* } Modesta extenuatio auctoris. FACVLTATEM } possibilitatem.

CICERO

NEC *tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophentur, ij nihil habeant, quod sequantur. dictum est hac de re alio loco diligentius: sed, quia nimis indociles quidam, tardiq. sunt, admonendi uidentur saepius. Non enim sumus ij, quibus nihil uerum esse uideatur; sed ij, qui omnibus ueris falsa quaedã adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in ijs nulla insit certa iudicandi, & assentiendi nota. ex quo exsistit & illud, multa esse probabilia; quae quanquam non perciperentur, tamen, quia uisum haberent quendam insignem, & illustrem, his sapientis uita regeretur. Sed iam, ut omni me inuidia liberem, ponam in medio sententias philosophorum de natura deorum. quo quidem loco conuocandi omnes uidentur, qui, quae sit earum uera, iudicent. tum demum mihi procax Academia uidebitur, si aut cõsenserint omnes: aut erit inuentus aliquis, qui, quid uerum sit, inuenerit. itaque mihi libet exclamare, ut Statius in Synephebis:*

Pro deum, popularium omnium, omnium adolescentium

Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem:

non leuissima de re, ut queritur ille fieri in ciuitate facinora capitalia.

Ab amico amante argentum accipere meretrix non uult:

sed ut adsint, cognoscant, animaduertant, quid de religione, pietate, sanctitate, caerimonijs, fide, iureiurando, quid de templis, delubris, sacrificijsq. sollemnibus, quid de ipsis auspicijs, quibus nos praesumus, existimandum sit. haec enim omnia ad hanc de dijs immortalibus quaestionem referenda sunt. profecto eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio. quod cum saepe alias, tum maxime animaduerti, cum apud C. Cottam, familiarem meum, accurate sane, & diligenter de dijs immortalibus disputatum sit. Nam, cum ferijs Latinis ad eum, ipsius rogatu, accersituq. uenissem; offendi eum sedentem in exhedra, & cum C. Velleio senatore disputantem: ad quem tum Epicurei primas ex nostris hominibus deferebãt. aderat etiam Q. Lucilius Balbus: qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur. Tum, ut me Cotta uidit, Peropportune, inquit, uenis: oritur enim mihi magna de re altercatio cum Velleio: cui, pro tuo studio, non est alienum te interesse. Atqui mihi quoque uideor, inquam, uenisse, ut dicis, opportune. tres enim trium disciplinarum principes conuenistis. M. enim Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, uacaret locus. Tum Cotta, Si, inquit, liber Antiochi nostri, qui ab eo nuper ad Balbum missus est, uera loquitur: nihil est, quod Pisonem, familiarem tuum, desideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re concinere uidentur, uerbis discrepare. quo de libro, uelim scire, Balbe, quid sentias. Ego ne? inquit ille. miror Antiochum, hominem in primis acutum, non uidisse; interesse plurimum inter Stoicos; qui honesta a commodis, non nomine, sed genere toto disiungerent; & Peripateticos, qui honesta commiscerent commodis; ut ea inter se magnitudine, & quasi gradibus, non genere, differrent. haec enim est non uerborum parua, sed rerum permagna dissensio. Verum haec alias: nunc, quod coepimus; si uidetur. Mihi uero, inquit Cotta, uidetur. sed, ut hic, qui interuenit, me intuens, ne ignoret quae res agatur; De natura agebamus deorum: quae cum mihi uideretur perobscura; ut semper uideri soles; Epicuri ex Velleio sciscitabar sententiam. Quamobrem, inquit, Vellei, nisi molestum est, repete quae coeperas. Repetam uero. Quamquam non mihi, sed tibi hic uenit adiutor: ambo enim, inquit arridens, ab eodem Philone, nihil scire, didicistis. Tum ego, quid didicerimus, Cotta uiderit: tu autem, nolo, existimes me adiutorem huic uenisse, sed adiutorem huic uenisse, sed auditorem, & quidem aequum, libero iudicio, nulla eiusmodi adstrictum necessitate, ut mihi, uelim, nolim, sit certa quaedam tuenda sententia. Tum Velleius, Fidenter sane, ut solent isti, nihil tam uerens, quam ne dubitare aliqua de re uideretur; tamquam modo ex deorum concilio, & ex Epicuri intermundijs descendisset; audite, inquit, non commenticias, futilesq. sententias, non opificem, aedificatoremq. mundi Platonis de Timaeo deum; nec anũ

fatidicam Stoicorum πρόνοιαν, quam Latine licet pro uidentiam dicere; neque uero mundum ipsum animo, & sensibus praeditum, rotundum, ardentem, uolubilem deum; portenta, & miracula non differentium philosophorum, sed somniantium. quibus enim oculis intueri potuit uester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a deo, atque aedificari mundum facit? quae molitio? quae ferramenta? qui uectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem oboedire, & parere uoluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt? unde uero ortae illae quinque formae, ex quibus reliquae formantur, apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosq. sensus? longum est iter ad omnia. quae talia sunt, ut optata magis, quam inuenta uideantur.

EXPLANATIO

NEC *tamen* } ἐπαμφοτερίζει, haec tamen secta Academica non plane relinquit homines in dubio. ALIO *loco* } in Academicis. INDOCILES } inepti ad doctrinam. NON *enim sumus ij* } Declaratio suae sectae, quae non certitudinem adimit rebus, sed summa contentione laborat in discernendis ueris a falsis, &c, quamuis certi nihil pronunciat, speciem tamen ueri sequitur. NULLA *certa nota* } nullum certum signum. VISUM } adspectum. INSIGNEM } notabilem. ILLUSTREM } clarum, euidentem. SED *iam* } Propositio libri primi complectentis congeriem opinionum philosophicarum de natura deorum. INVIDIA } eorum, qui Academicam philosophandi rationem tamquam arrogantem calumniantur: cum non quaerat, quid sentiant auctores, sed quid in caussa sentiendum sit. IN *medio* } in communi iudicio. ITAQUE } Exclamatio, quae & exsuscitat animos ad attentionem, & disputationis usum ostendit. STATIUS } idest Caecilius cognomento Statius. Fuit Comoediarum poeta inclytus. Idem Cic. in Catone maiore: Vt ait Statius noster in Synephebis. Synephebi nomen comoediae, Latine Compubescentes. DEUM } deorum. FIDEM: } auxilium. CAPITALIA, } perniciosa, & poena capitis punienda. SOLLEMNIBUS, } sumptuosis. AUSPICIIS } diuinationibus ex auium inspectione. QUOD *cum saepe* } Occasio disputationis. REFERENDA } reducenda. FERIIS *Latinis* } Pridie Kalendas Apriles. ET *cum C. Velleio* } Velleius tuetur personam Epicuri, Balbus Stoici, Cotta Academici. IN *exhedra* } porticus erant, in quibus disputabant philosophi, rhetores, ac reliqui, qui studijs delectabantur. Vitruuius. PRIMAS } hoc est nomen summae eruditionis. IN *Stoicis* } scilicet disciplinis. TRIUM *disciplinarum* } quatuor igitur philosophorum disciplinae, Academica, Stoica, Peripatetica, Epicurea: quibus honor solis fuit. VACARET } uacuus esset. ANTIOCHO *enim Stoici* } λογομαχία Stoicorum cum Peripateticis. RE *concinere* } in dogmate, in sententijs concordare. VERBIS } appellationibus ipsarum rerum. GENERE *toto* } Vt aliud sit honestum, aliud utile. Commune genus honesti, & utilis est bonum secundum Peripateticos. Recte enim dicitur, seu uirtus est bonum, scilicet morale. Et uita, sanitas &c. est bonum, scilicet utile. At Stoici uitam, sanitatem, & cetera commoda negant recte dici bona, sed solam uirtutem bonam uocant. COMMISCERENT } ut honestum omne sit utile, & contra: nihil sit utile, nisi idem sit honestum. MAGNITUDINE } ut aliud sit honestum magis, uel minus, &c. GRADIBUS, } discriminibus: quoniam Peripatetici supremum gradum dabant uirtuti, secundum bonis corporis, tertium bonis externis. Stoici autem nihil appellabant bonum praeter ipsum honestum, id est ipsam uirtutem: cetera uero aestimabilia nominabant. NIHIL *scire,* } nihil affirmare. TUM *Velleius* } Confidentia Epicuri ex matre inscitia, & futilis oratio de alijs recensens delirantium philosophorum somnia. Ex *deorum concilio,* } Ex sublimi aere, siue caelo, in quo quasi in aula conueniunt, & concilium ineunt astra. quasi dii, & mundi partes. ET *ex Epicuri intermundijs descendisset* } Epicurus intermundia appellauit spatia mundi, uidelicet aerem tenuem sublimi proximum, atque crassum illum nobis proximum. Est ergo sensus, Velleius fidenter locutus est, tamquam modo aduenien̄s de caelo, ubi deorum est concilium, ac proinde pertransiens utrumque aerem descenderit in terram ad ostendendum hominibus, quae ipse optime nouerit de diuina natura. AUDITE, *inquit &c.* } Attentio. FUTILES } labiles, inconstantes. PLATONIS *Timaeo* } is est dialogus, in quo Plato inducit Timaeum Locrensem disputantem cum Socrate de origine mundi, atque eius auctore deo optimo maximo. ANUM *fatidicam* } fatorum decreta exponentem. Prouidentia anus fatidica secundum Stoicos. ARDENTEM } ignitum. QUIBUS *enim oculis* } Platonem sugillat, ut euertat fundamentum sententiae de condito mundo a deo. QUAE *molitio?* } aedificatio. ILLAE *quinque formae* } Ficinus ex Timaeo Platonis appellat quinque rerum genera, cuiusmodi sunt: essentia, idem, alterum status, motus, unde formae reliquae, id est, conceptus animae formantur.

CICERO

SED illa palmaris quidem, quod, qui non modo nacum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum. hunc censes primis, ut dicitur labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? quae est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cuius principium aliquod sit, nihil sit extremum? πρόνοια uero si uestra est, Lucili; eadem requiro, quae paullo ante, ministros, machinas, omnem totius orbis designationem, atque apparatum: sin alia est; cur mortalem fecerit mundum, non, quemadmodum Platonicus deus, sempiternum. ab utroque autem sciscitor, cur mundi aedificatores repente exstiterint, innumerabilia ante saecula dormierint. non enim, si mundus nullus erat, saecula non erant. saecula nunc dico, non ea, quae dierum noctiumq.

numero

numero annuis cursibus conficiuntur: nam fateor ea sine mundi conuersione effici non potuisse: sed fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur; spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest: quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset. isto igitur tam immenso spatio, quaero, Balbe, cur πρόνοια *uestra cessauerit. laborem ne fugiebat? at iste nec attingit deum, nec erat ullus; cum omnes naturae numini diuino, caelum, ignes, terrae, maria, parerent. Quid autem erat, quod concupisceret deus mundum signis, & luminibus, tamquam aedilis, ornare? si; ut deus ipse melius habitaret: antea uidelicet tempore infinito in tenebris, tamquam in gurgustio, habitauerat. Post autem, uarietate ne eum delectari putamus, qua caelum & terras exornatas uidemus? quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non ea tam diu carere potuisset. An haec, ut fere dicitis, hominum caussa a deo constituta sunt? sapientum ne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio. an stultorum? at, primum, caussa non fuit, cur de improbis bene mereretur: deinde, quid est assecutus; cum omnes stulti sint sine dubio miserrimi, maxime quod stulti sunt? miserius enim stultitia quid possumus dicere? deinde, quod ita multa sunt incommoda in uita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec uitare uenientia possint, nec ferre praesentia. Qui uero mundum ipsum animantem, sapientemq. esse dixerunt, nullo modo uiderunt animi naturam, intelligentes in quam figuram cadere posset: de quo dicam paullo post. nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, & eundem beatum, & rotundum esse uelint, quod ea forma nullam neget esse pulchriorem Plato. at mihi uel cylindri, uel quadrati, uel coni, uel pyramidis uidetur esse formosior. Quae uero uita attribuitur isti rotundo deo? nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit: in qua, non uideo, ubinam mens constans, & uita beata possit insistere. quodq. in nostro corpore si minima ex parte significetur, molestum sit; cur hoc idem non habeatur molestum in deo? terra enim profecto, quoniam pars mundi est, pars est etiam dei. at qui terrae maximas regiones inhabitabiles, atque incultas uidemus; quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit niue, pruinaque, longinquo solis abscessu. quae, si mundus est deus, quoniam partes mundi sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. Atqui haec quidem uestra, Lucili, qualia uero sint, ab ultimo repetam superiorum.*

EXPLANATIO

PALMARIS } sententia digna palma, siue uictoria. Est autem Epicuri locutio ironica. SEMPITERNVM } Plato mundum credidit certo tempore coepisse quidem, sed sempiternum fore dixit. VT *dicitur* } Vt est in prouerbio. PHYSIOLOGIAM, } Post hanc uocem sequebatur, id est, naturae rationem: quod induximus, uidentes glossam esse, ab aliquo adiectam, qui Physiologiam interpretaretur. Haec Paullus pater. QVI *quidquam* } Epicuri argumentatio contra perpetuitatem mundi, quidquid ortum est, non est aeternum sed iterum aliquando interit, Mundus est ortus secundum Platonem, Igitur non est aeternus. COAGMENTATIO } Compositio. *Πρόνοια uero* } Refutatio Prouidentiae Stoicorum. DESIGNATIONEM } modulatu. SIN *alia* } alterius naturae. EXSTITERINT } apparuerint ad aedificandum mundum. INNVMERABILIA *saecula* } Finem, siue terminum, qui continet tempus, siue motum uitae cuiuslibet rei uinae, antiqui dixerunt esse saeculū illius rei. Et secundum hunc modum caelum finiens, & continens totum tempus perpetuum dicitur saeculū saeculorum. Hinc Aristoteles, de Caelo agens libro primo, inquit, Vita illic est semper permanens, perpetua secundum perpetuitatem saeculi saeculorum, quod non habet finem. A Graecis αἰών dicitur, hoc est semper existens. SED *fuit* } Aperit mentem suam de saeculis, atque temporibus. CIRCVMSCRIPTIO } mensuratio, cōprehensio. ISTO *igitur tam* } Epicuri argumentum contra Stoicam prouidentiam, Si est prouidentia, non est otiosa, sed ante mundum conditum fuit, otiosa, Igitur non est prouidentia. CESSAVERIT } otiosa fuerit. NEC *erat ullus* } scilicet, labor. OMNES *naturae* } omnes uires seminariae. CAELVM } sublimis aer, ambiēs omnia. QVID *autem erat* } de consilio, seu caussa finali condendi mundi a Deo. MVNDVM } uniuersam naturam. SIGNIS, } quibusdam impressionibus quasi characteribus ut est uia lactea. ET *luminibus* } astris lucentibus, ceu lumina. TAMQVAM *aedilis* } Ita apud Romanos nocabatur is, qui templa ornabat, & spectacula. GVRGVSTIO } habitatione angusta: ita Pompeius exposuit. FERE } quasi omnes. idem in Catone: Memini in illum sermonem incidere, qui ferme erat in ore. BENEMERETVR: } confert beneficia } in eos, qui indigni sunt. COMMODORVM } uirtutum, quae bona sunt sapientum. FERRE } aequo animo tolerare. QVI *uero* } deridet eos, qui mundo animam dederunt. INTELLIGENTES } quod intelligerent. DE *quo* } nempe de forma apta animae recipiendae. HACTENVS } in hac saltem parte. TARDITATEM } hebetudinem. ET *rotundum esse uelint* } Mundi figura rotunda impugnatur. CYLINDRI, } is habet rotunditatem in longitudine, ut est columna. QVADRATI, } Quadratum quattuor habet latera, & aequales angulos quattuor. CONI } Conus rotunditatem habet fastigiatam, sine lateribus, quales sunt fructus arboris pinus. PYRAMIDIS, } Pyramis est moles quadrangularis, in acutum assurgens. CONTORQVEATVR } rotetur, cōuoluatur. IN *qua non uideo* } Ita arguit Velleius, Motus, siue conuersio celerrima impedit collectionem. Deus conuertitur inaestimanda celeritate secundum Platonem. Igitur nulla est constans, & beata uita. MENS *constans* } tranquilla, sedata, secura, immobilis. INSISTERE. } quiescere. SIGNIFICETVR } imprimatur quasi signis aut characteribus: ut paullo supra dictum est. TERRA *enim* } absurda, ex dato inconuenienti. INCVLTAS } desertas,

sertas,

fertas. APPVLSV } accessu. QVALIA } cuius naturae. AB *ultimo superiorum* } ab ultimo elementorum; quae paullo supra enumerauit hoc ordine, Caelum, ignes, terrae, maria. quare dicit, se primo de aqua quaesiturum, quam Thales Milesius, cum de ea quaesiuisset, dixit esse initium rerum. Homerus etiam Oceanum uocat deorum, atque hominum patrem.

C I C E R O

THALES enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesiuit, aquam dixit esse initium rerum; Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Si dij possunt esse sine sensu, & mente; cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest uacans corpore? Anaximandri autem opinio est, natiuos esse deos, longis interuallis orientes, occidentesque, eoque innumerabiles esse mundos. sed nos deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus? Post Anaximenes aera deum statuit, eumq. gigni, esseq. immensum, & infinitum, & semper in motu. quasi aut aer sine ulla forma deus esse possit, cum praesertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie esse deceat; aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem, & modum mentis infinitae ui, ac ratione designari, & confici uoluit. In quo non uidit; neque motum sensui coniunctum & cōtinentem in infinito ullum esse posse, neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. deinde, si mētem istam quasi animal aliquod esse uoluit; erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. quid autem interius mente? cingitur igitur corpore externo. quod quoniam non placet; aperta simplexq. mens, nulla re adiuncta, quae sentire possit, fugere intelligentiae nostrae uim & notionem uidetur. Crotoniates autem Alcmaeo, qui soli, et lunae, reliquisq. sideribus, animoq. praeterea diuinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare. Nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum, et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non uidit detractione humanorum animorum discerpi, & dilacerari deum; &, cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri non potest. cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus? quo modo porro deus iste, si nihil esset, nisi animus, aut infixus, aut infusus esset in mundo? Tum Xenophanes, qui, mente adiuncta, omne praeterea, quod esset infinitum, deum uoluit esse, de ipsa mente ita reprehenditur, ut ceteri; de infinitate autem uehementius, in qua nihil neque sentiens, neque coniunctum esse potest. Nam Parmenides commenticium quidam coronae similitudine efficit: Stephanem appellat, continentem ardore lucis orbem, qui cingit caelum, quem appellat deum. in quo neque figuram diuinam, neque sensum quisquam suspicari potest. multaq. eiusdem monstra, quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatē, ceteraq. generis eiusdem ad deum reuocat: quae uel morbo, uel somno, uel obliuione, uel uetustate delentur. eademq. de sideribus. quae reprehensa iam in alio, in hoc omittantur. Empedocles autem, multa alia peccans, in deorum opinione turpissime labitur. quattuor enim naturas, ex quibus omnia constare uult, diuinas esse censet: quas et nasci, & extingui perspicuum est, et sensu omni carere. Nec uero Protagoras, qui sese negat omnino de dijs habere quod liqueat, sint, non sint, qualesue sint, quidquam uidetur de natura deorum suspicari. Quid Democritus? qui tum imagines, earumq. circuitus in deorum numero refert; tum illam naturam, quae imagines fundat, ac mittat; tum scientiam, intelligentiamq. nostram; non ne in maximo errore uersatur? cum idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quidquam sempiternum; nonne deum ita tollit omnino, ut nullam opinionem eius reliquam faciat? Quid aer? quo Diogenes Apolloniates utitur deo; quem sensum habere potest, aut quam formam dei?

E X P L A N A T I O

SINE *sensu* } sine natura sensibili. CVR *aquae adiunxit*, } quasi dicat, Thales, in eo, quod deum aquae adiunxit, uidetur sentire, deum esse non posse sine corpore sensibili. quare dissolubilem deum introducit, nō autem sempiternum. SED *nos* } scilicet Epicurei. nam horum sectam tuetur Velleius. QVI } quo modo. INFINITVM } incomprehensum. QVASI *aut aer* } Ex Epicureorum sententia, qui ex omnibus formis humanam tamquam pulcherrimam attribuūt deo. Velleius negat aerem, cum nullam habeat formā, esse posse deū, ut opinatus est Anaximenes. CONSEQVATVR } quoniam omnia orta consequenter occidere cognoscimus. DISCIPLINAM } de deo, cuiusmodi sit. OMNIVM *rerum* } uniuersae naturae. DESCRIPTIONEM, *& modum* } ambitum, & mensuram. MENTIS *infinitae ui* } efficacia intellectus omnia comprehendentis. AC *ratione* } & discursu. IN *quo non uidit* } In qua sententia de diuina mente, non perspexit. NEQVE *motum sensui coniunctum* } discursum illum non esse de re sensibili. ET *continentem* } descriptionem, & modum. IN *infinito* } in mente, quam infinitam esse dicit. NEQVE *sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret* } Neque inquit, animaduertit, id omnino non posse esse sensibile, quo anima non sentiret, si pulsaretur. Quod perinde est, ac si dicat Velleius, Non potest igitur aliquo modo Anaxagoras ponere, mentem simplicem, nulla re adiuncta, quae sentire possit. QVOD } quae consequentia a nobis facta. QVONIAM *non placet*; } Anaxagorae scilicet. QVAE *sentire possit*, } ut uult ipse Anaxagoras. NOTIONEM } quae sensibus innititur. CROTONIATES *Alcmaeo*, } Pythagoricus fuit e Crotone clara quondam Calabriae urbe, sita ad mare: eodem lapsu cum Thalete simplicissimam mentem speculatur in mistis. PYTHAGORAS } hic Samius fuit, ut alibi.

PER *omnem naturam* } per omnes res, ortui, atque casui obnoxias. INTENTVM } inclusum, immistum. NOSTRI } humani. INFVSVS } immistus, cum animus nullum habeat corpus. XENOPHANES } Colophonius fuit. De eodem Cicero in Lucullo ita scribit: Xenophanes, unum omnia, neque id esse mutabile, & id esse deum neque natum usquam, & sempiternum conglobata figura. REPREHENDITVR *ut ceteri*, } qui mentem, quam speculabantur in mistis, dixerunt esse posse sine corpore. DE *infinitate* } de ui mentis incomprehensae, & abstractae a sensibilibus. VEHEMENTIVS; } quia in infinitate nihil est sentiens, neque coniunctum esse potest, quemadmodum paullo superius dictum est, cum de Anaxagorae sententia ageretur. PARMENIDES } Italus fuit, ex Elea, urbe Lucaniae. COMMENTICIVM } confictum, ut potius de re arti subiecta, quam de diuino opificio locutus uideatur. STEPHANEM } Stephane Graece montis uerticem significat. Stephanos uero coronam. CONTINENTEM *orbem*, } supremum ambitum, quem alii mentem infinitam dixere. ARDORE *lucis* } subaudi, praeditum, uel ornatum, quem ardorem efficaciam & uim mentis infinitae nominauit Anaxagoras. QVEM } supremum orbem, lucis ardore ornatum. EMPEDOCLES } Hic quattuor elementa constituit rerum principia, quae etiamsi diuina appellet, non iccirco tamen sunt deus ipse. IN *quo* } In qua Parmenidis sententia de deo. MVLTAQ. *eiusdem monstra* } hoc est, sunt etiam alia multa eiusdem Parmenidis inepte deo attributa. IN *alio* } in Alcmaeone, qui sideribus diuinitatem dedit. IN *hoc* } Parmenide reprehendendo. EMPEDOCLES } Hic Agragantinus fuit, de quo Lucretius,

quorum:

Agragantinus cum primis Empedocles est,
Insula quem triquetris terrarum gessit in oris. &c.

LABITVR } in errorem. QVATTVOR *naturas* } quattuor elementa, ex quibus constant quaecumque oriuntur, & intereunt. PROTAGORAS, Abderites. QVOD *liqueat* } quod clarum, & certum sit. QVIDQVAM *suspicari*. } nec minimam suspicionem habere: Verebatur impius Atheniensium cicutam. DEMOCRITVS? } Abderites fuit, ut alibi non semel dictum est. Hic parum sibi ipsi constans, nunc astra, eorumque orbes refert in deorum numerum: nunc quandam uim, quae in corporea natura, motui scilicet obnoxia, perficiat astra, atque naturali lege dirigat illa ad actiones suas: nunc uero hominum notionem, & intelligentiam, diuinam esse dicit. DIOGENES *Apolloniates* } ex Apollonia urbe Illyrica, quae nunc Vallona dicitur. SENSVM } iudicium, & cognitionem sensitiuam, quae est per corpus naturale. FORMAM *dei*? } Deo dignam.

CICERO

IAM de Platonis inconstantia longum est dicere: qui in Timaeo, patrem huius mũdi nominari, negat, posse; in legum autem libris, quid sit omnino deus, inquiri oportere non censet. quod uero sine corpore ullo deum uult esse, ut Graeci dicunt, ἀσώματον id quale esse possit, intelligi non potest. careat enim sensu, necesse est, careat prudentia, careat uoluptate: quae omnia una cum deorum notione comprehendimus. Idem & in Timaeo dicit, & in legibus, & mundum deum esse, & caelum, & astra, & terram, et animos, & eos, quos maiorũ institutis accepimus: quae & per se sunt falsa perspicue, & inter sese uehementer repugnantia. Atque etiam Xenophon paucioribus uerbis eadem fere peccat: facit enim in iis, quae a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam dei quaeri non oportere, eundemq. & solem, & animum deum dicere, & modo unum, tum autem plures deos. quae sunt iisdem in erratis fere, quibus ea, quae de Platone dicimus. Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui physicus inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicens, tollit uim & naturã deorum. Nec multo secus Speusippus, Platonẽ auunculum subsequens, & uim quandam dicens, qua omnia regantur, eamq. animalem, euellere ex animis conatur cognitionem deorum. Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone uno dissentiens. modo enim menti tribuit omnẽ diuinitatem; modo mundum ipsum deum dicit esse; modo quendam alium praeficit mundo; eiq. eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam motum regat, atque tueatur. tum caeli ardorem deum dicit esse, non intelligens, caelum mundi esse partem; quem alio loco ipse designarit deum. quo modo autem caeli diuinus ille sensus in celeritate tanta conseruari potest? ubi deinde illi tot dii; si numeramus etiam caelum deum? cum autem sine corpore idem uult esse deum, omni illum sensu priuat, & prudentia. quo porro modo mundus moueri potest carens corpore? aut quo modo, semper se mouens, esse quietus, & beatus potest? Nec uero eius cõdiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior: in eius libris, qui sunt de natura deorum, nulla species diuina describitur. deos enim octo esse dicit; quinque eos, qui in stellis uagi nominantur; unum, qui ex omnibus sideribus, quae infixa caelo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus; septimum solem adiungit, octauamq. lunã. qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest. Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros. & tamen modo mundum, tum mentem diuinam esse putat: errantibus etiam stellis diuinitatẽ tribuit, sensuq. deum priuat, & eius formam mutabilem esse uult; eodemq. libro rursus terram, & caelum refert in deos. Nec uero Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim mẽti diuinum tribuit principatum, modo caelo, tum autem signis, sideribusq. caelestibus. Nec audiendus eius auditor Strato, is, qui physicus appellatur; qui omnem uim diuinam in natura sitam esse cẽset, quae causas gignendi, augendi, minuendi ue habeat, sed careat omni sensu, & figura.

EXPLANATIO

INCONSTANTIA] uarietate, fluctuatione. NOMINARI] Platonis uerba haec sunt: Opificem quidem, & patrem mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris praedicare, ac eloqui uulgo impossibile est. INQVIRI] diligenter, & curiose inuestigari. SINE *corpore ullo*] Aut hoc uidetur abundare, aut illud, Vt Graeci dicunt ἀσώματον. alioqui esset, ut ego quidem sentio, inepta satis, minimeq. necessaria interpretatio. INTELLIGI *non potest*] ita paullo supra contra Anaxagoram: Aperta, simplexq. mens, nulla re adiuncta, quae sentire possit, fugere intelligentiae nostrae uim & notionem uidetur. CAREAT *uoluptate:*] suspectum est mihi uerbum Voluptate, & eo magis, quod paullo post non nominatur in deo uoluptas, & tantum sensus & prudentia, quamquam hic, praeter sensum, & prudentiam, tertium aliquid requiri, ex eo liquet, quia sequitur, Quae omnia. nam de duobus, Omnia, non dicitur. ET *astra*,] Platonis uerba haec sunt: Itaque omnibus his de caussis opifex deus mundum beatum deum effecit: astra etiam erroris experta, quae diuina animalia sunt: terram autem altricem nostram esse uoluit, necnon primam antiquissimamq. deorum omniũ, qui intra caelum geniti sunt: ceterorum uero, qui daemones appellantur, & cognoscere, & enunciare ortum maius est opus, quam ferre nostrum ualeat ingenium. Priscis itaque uiris hac in re credendum est, qui dijs geniti, ut ipsi dicebant, parentes suos optime nouerunt. REPVGNANTIA.] contraria. nam mortalibus diuinitatem attribuit, & tamen uult deum esse posse sine corpore. FACIT] inducit. IN *ijs quae a Socrate dicta retulit*,] nempe in libris quattuor, qui inscribuntur, De dictis, & factis a Socrate memoratu dignis. ET *solem, & animum deum dicere*] sunt, qui uocem Graecam, ἥλιον, quae solem significat, ex hebraea, El, quae deum designat, factam esse dicant; sed ij Deum creatorem in creaturam transformare, uidentur. ERRATIS] lapsibus, & falsis opinionibus quales Platonicae sunt. ANTISTHENES] hic Atheniensis fuit. POPVLARES] populorum institutis consecratos. EAMQ. *animalem*,] uim omnia regentem, cum dicat esse animalem, hoc est, sentire posse. EVELLERE] extirpare. EX *animis*] quos Epicurei sensibili corpore circumdãt: cum nequeant persuaderi animam sine corpore sensibili posse constare, & sentire. IN *tertio de philosophia libro*] Aristoteli deus est νοῦς θεῖος τῶν ἁπάντων πρεσβύτατος, mens diuina omnium antiquissima, hanc uocat etiam primum mouens, seu caussam siue principium primum, a quo omnia procedant, & in quo unice acquiescendum sit. In lib. de mundo asseuerat deum omnia creauisse, eademq. etiamnum gubernare, & seruare, nec per ministros instar magni Persarum regis mundum administrare, sed uirtute sua praesentem rebus cunctis adesse. VNO] una re: in ceteris enim dicebat idem, quod Plato. MENTI] ambitu suo intelligenti, & complectenti. QVENDAM *alium praeficit mundo*] hoc est, Aristoteles praeter omnem diuinitatem, quam (ut Plato uult) ipsa mens ambitu suo complectitur, alium quoque deum esse censuit. quem etiam mundo praefecit. Ad huius rei intelligentiam prodesse poterunt, quae in Tusc. I. sic leguntur: Aristoteles, longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans & ingenio, & diligentia, cum quattuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. cogitare enim, & prouidere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminisse; amare, odisse; cupere, timere; angi, laetari; haec, & similia eorum, in horum quattuor generum nullo inesse putat: quintum genus adhibet uacans nomine; & sicipsum animum ἐντελέχειαν appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem. EAS *partes*] eam prouinciam, & curam. REPLICATIONE] reuolutione. ARDOREM] ignem. CAELVM] qui omnia complexus est. MVNDI *esse partem;*] siquidem eo complexu omnia unum sunt. quod est maximum illud antiquorum chaos. DESIGNAVERIT] descripserit esse deum. DIVINVS *ille sensus*] deus ille rector mundani motus, cui Aristoteles adiecit corpoream naturam, in qua exercet sensus. TANTA] tam magna. hoc ideo dicit, quoniam Epicurei diuinam hanc naturam opinabantur otiosam, quietam, & feriatam. VBI] in quo loco. SENSV *priuat*] quia in corpore exercentur sensus, & ea omnia, quae paullo supra relata sunt ex Tusc. I. XENOCRATES] fuit Chalcedonius, & ipse Platonis discipulus. IN *hoc genere*] opinandi de natura deorum. NEC *prudentior*] in sensibili corpori prudentiam exerceri paullo supra dixit Velleius: prudentia igitur caruisse uidetur Xenocrates, qui dijs, quos octo esse censebat, non adiunxerit sensibilem naturam, in qua beati esse possent, & intelligi beati cum in sensuum uoluptate Epicurei statuant summum bonum. QVINQVE *eos, qui in stellis uagis*] Saturno, Ioue, Marte, Venere, Mercurio. REFERSIT] repleuit. TVM] modo, interdum. SENSVQ.] sensibili natura corporea. FORMAM] speciem, effigiem, imaginem. MVTABILEM] uariabilem. puerile est, inquit, dicere uariabilem, quem constituas absque natura corporea, in qua spectari & sensu cognosci possit uariabilis. IN *deos*] in numerum deorum. qua in re etiam inconstantiae argui potest. INCONSTANTIA] leuitas, fluctuatio. SIGNIS] Imaginibus stellarum in caelo notatis, atque Zodiaco, quem Latine signiferum dicimus. STRATO] Is Lampsacenus fuit, & physicus, ideo dictus, quoniã prae ceteris uersatus est in speculatione naturae sensibilis. QVI *omnem uim diuinam in natura*] Strato credidit deum non esse essentiam secretam a creaturis, sed concretam, seu infusam, toti naturae uim, qua omnia agitentur. In hac opinione multi fuere philosophi, ut Pythagoras, cuius sententiam sic exprimit Virgil. in VI. Aeneid.

totamq. infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.

Putarunt enim deum esse animam mundi, & mundum, omnesq. eius partes esse corpus, & membra dei. SED

careat omni sensu; ac si dicat, Ideo non audiendus est Strato, quia cum neget in deo sensum, necesse est ut neget prudentiam, neget & uoluptatem, quae omnia una cum deorum notione comprehendimus.

CICERO

Zeno autem (ut iam ad uestros, Balbe, ueniam) naturalem legem diuinam esse censet, eamq. uim obtinere recta imperantem, prohibentemq. contraria. quam legem quo modo efficiat animantem, intelligere non possumus: deum autem animantem certe uolumus esse. atque hic idem alio loco aethera deum dicit: si intelligi potest nihil sentiens deus, qui numquã nobis occurrit neque in precibus, neque in optatis, neque in uotis. Alijs autem libris rationem quandam per omnem pertinentem naturam, ut diuinam, esse affectam putat. Idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus, annorumq. mutationibus. cum uero Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino insitas, perceptasq. cognitiones deorum: neque enim Iouem, neque Iunonem, neque Vestam, neque quemquam, qui ita appelletur, in deorum habet numero; sed rebus inanimatis, atque mutis per quandam significationem haec docet tributa nomina. Cuius discipuli Aristonis non minus magno in errore sententia est; qui neque formam dei intelligi posse censeat; neque in dijs sensum esse dicat; dubitet q. omnino, deus animans, nec ne sit. Cleanthes autem, qui Zenonem audiuit una cum eo, quem proxime nominaui, tum ipsum mundũ deum dicit esse; tũ totius naturae menti, atque animo hoc nomen tribuit; tum ultimum, & altissimum, atque undique circumfusum, & extremum, omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat. Idem, quasi delirans, in ijs libris, quos scripsit contra uoluptatem, tum fingit formam quandam, & speciem deorum; tum diuinitatem omnem tribuit astris; tum nihil ratione censet esse diuinius. Ita fit, ut deus ille, quem mente noscimus, atque in animi notione, tamquam in uestigio, uolumus reponere, nusquam prorsus appareat. At Persaeus, eiusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad uitae cultum esset inuenta; ipsasq. res utiles, & salutares deorum esse uocabulis nuncupatas: ut ne hoc quidem diceret, illa inuenta esse deorum, sed ipsa diuina. quo quid absurdius, quam aut res sordidas, atque deformes deorum honore afficere; aut homines, iam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu? Iam uero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum uaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare possimus: cum mens nostra quiduis uideatur cogitatione posse depingere. ait enim, uim diuinam in ratione esse positam, & uniuersae naturae animo, atque mente: ipsumq. mundum deum dicit esse, & eius animi fusionem uniuersam: tum eius ipsius principatum, qui in mente & ratione uersetur, communemq. rerum naturam uniuersa, atque omnia continẽtem, tum fatalem umbram, & necessitatem rerum futurarum: ignem praeterea, & eum, quem antea dixi, aethera: tum ea, quae natura fluerent, atque manarent, ut aquam, & terram, & aera, solem, lunam, sidera, uniuersitatemq. rerum, qua omnia continerentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. Idemq. disputas, aethera esse eum, quem homines Iouem appellarent; quiq. aer per maria manaret, eum esse Neptunum: terrã, eam, quae Ceres diceretur. similiq. ratione prosequitur uocabula reliquorum deorum. idemq. etiam legis perpetuae, & aeternae uim, quae quasi dux uitae, & magistra officiorum sit, Iouem dicit esse: eandemq. fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum ueritatem. quorum nihil tale est, ut in eo uis diuina inesse uideatur. Et haec quidem in primo libro de natura deorum: in secundo autem uult Orphei, Musaei, Hesiodi, Homeriq. fabellas accommodare ad ea. quae ipse primo libro de dijs immortalibus dixerit: ut etiã ueterrimi poetae, qui haec ne suspicati quidẽ sint, Stoici fuisse uideantur. quem Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerua, partum Iouis, ortumq. uirginis ad physiologiam traducens, disiungit a fabula.

EXPLANATIO

ZENO } fuit Cyprius, ex urbe Citio, unde Citieus princeps Stoicorum. hic quoque effectum pro causa habuit, ignorans alium deum praeter rationis humanae qualecumque lumen & dictamen facienda, & non facienda demonstrans. NATVRALEM *legem diuinam &c.* } Censet Zeno naturalem legem esse diuinam uim corporea natura comprehensam, & in eadem imperantem recta, & prohibentem contraria, ipsamq. naturam, hoc est essentiam corpoream appellat legem. Sed quamuis Zeno diuinam uim induit natura corporea, non perinde sequitur, ut induat eam corpore sensibili sine pulsabili; quod tamen illi tribuendum censent Epicurei. non enim cognoscunt uim diuinam nisi sensibili corpori adiunctam, ut in ipso exaudire possit sensibilium preces. cum similia similibus congrediantur. AETHERA } ardentem aerem. SI *intelligi potest* } deridet opinionem Zenonis, ac si dicat, non posse intelligi deum illum qualemcumque statuat, nisi sentiat, & sensibilis sit: quia eiusmodi deus nihil sentiens non concipitur in animo, cum ad deum preces effundimus, optantes ab eo aliquid, aut uouentes promittimus ei aliquid: frustra enim deprecaremur non exaudientem. RATIONEM } uersatilem scientiam diffusam per sibi con-

bi conuenientem naturam, a qua perfecte detinetur, & in ea moderatur omnia; imperando scilicet recta, & prohibendo contraria. Vt autem eam rationem putat esse diuinam, ita & affectam putat qualitatibus naturalibus. VT *diuinam, esse affectam putat* } Vt diuina esse affectam putat, & apertius esset, &, ut puto, uerius, nec insigni tamen mutatione. Haec Paullus pater. ASTRIS *hoc idem tribuit* } nempe qualitates naturales motui obnoxias, quas alibi tribuit etiam rationi. THEOGONIAM, *id est originem deorum* } Hic quoque glossa fuit: nam illud, Id est originem deorum, quis nō uidet adscriptum fuisse, ut Theogoniae significatio ostenderetur? qua ratione adducti deleuimus, eo libentius, quod quibusdam in antiquis libris expositio illa non est. Haec Paullus pater. VSITATAS, *perceptas cognitiones.* } Rectius, quod reposui, Insitas, perceptasq. cognitiones. nam & in Maffei libro ita legitur: & infra etiam, Insitas, dixit, deorum cognitiones habemus. Et alibi non semel. Atque etiam Lucretius, Vnde (inquit libro 5.) Insita notities est Vtilitatis. Haec Paullus pater. TOLLIT *insitas, perceptasq. cognitiones deorum* } remouet omnia, quae sensibilem nobis cognitionem deorum exhibere possint, cum sensibiles deos non recenseat in numero deorum. PER *quandam significationem*, } informationem. ARISTONIS } Is fuit Ceius, siue Cius, a Cea insula prope Euboeam, & a Zenone persuasus, posse per naturam uniuersam inferi, & tolli rebus insensibilibus animantes deos, non solum abstulit ea, per quae illos sentire possemus, sed ea quoque, per quae intelligere: censuit enim deos proprie esse sine forma, & sensu: omninoq. dubitauit, an deus animans habeat essentiam. DEVS *animans* } cuius est insensibile pulsando animare. CLEANTHES } Is fuit ex Asso, Troadis urbe, & Zenonis successor in schola, & disciplina Stoica. CVM *eo* } cum Aristone. TVM } modo, interdum, aliquando. Arguitur Cleanthis inconstantia. Is enim mundum appellat deum. alibi diuinum nomen animo tribuit, atque menti, sempiternae scilicet naturae, quae ambit omnia. alibi uero extremum ipsum omnia cingentem circulum, atque complexum ardorem, Ignitum scilicet aerem, qui etiam aether dicitur, certissimum deum esse iudicat. Idem etiam disserens contra uoluptatem, fingit deorum speciem quandam. Praeterea diuinitatem omnem attribuit astris. Demum nihil ratione censet diuinius. In hoc autem Anaxagoras delirare uidetur, inquit Velleius, quod ubique statuit deum, qui tamen nusquam apparere possit. Epiphonema est, commonefaciens Lectorem de horrenda, & miseranda caligine mentium humanarum. IN *animi notione*; } in mente. TAMQVAM *in uestigio* } in ambiente circulo. REPONERE, } collocare, ut certam & ueram dei notionem habeamus. AT *Perseus*, } Perseus Citieus popularis Zenonis auditor fuit. Hic quoque effectus dei bonos pro ipso deo posuit. CVLTVM, } ornatum, & utilitatem. ABSVRDIVS } ineptius, inconuenientius, rationi non consonans. SORDIDAS } abiectas. DEFORMES, } turpes. HOMINES *iam morte deletos* } Errores de morte deorum & hominum post mortem in deos relatione saniores prisci refutarunt. Epimenides pie inquit

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ τὸν τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Cretenses semper mēdaces, quia sepulcrum, o rex, tuum, Cretenses fabricarunt, tu uero non es morti obnoxius, sed semper uiuis. IN *deos* } in deorum numerum. CVLTVS } conueniens ueneratio. IN *luctu?* } nam mortuorum cultui nil magis conuenit, quam lacrymae. CHRYSIPPVS } Is fuit Solensis. SOMNIORVM } uanarum opinionum de natura deorum: talem enim illis tribuit naturam, quae, ceu somniantium uisa, nullam habeat realem subsistentiam, & firmitatem. VAFERRIMVS *interpres* } enarrator acerrimus, ac uersatilis. MAGNAM *turbam* } Varro supra triginta millia commenticiorum numinum meminit. IGNOTORVM *deorū* } infimi, & obscuri generis. CONIECTVRA } ratiocinatione, collatione uestigiorum, quae de illis dijs nobis obtulit Chrysippus. INFORMARE } a deformitate ad formam traducere. CVM } etiamsi. VIM *diuinam* } supremam uim. IN *ratione* } recta scilicet, ad bonum tendente. ESSE *positam* } esse insitam. ET *uniuerso naturae animo* } & in animo diffuso per uniuersam naturae molem. ATQVE *mente* } & intelligentia, supremo scilicet circulo, cetera iam dicta ambiente. IPSVMQ. *mundum* } ipsamq. uniuersam naturam animatam. ET *eius animi fusionem uniuersam* } & ipsum animum fusum per uniuersam naturam. TVM } aliquando, inquit, congregat. EIVS *ipsius* } animi, scilicet. PRINCIPATVM } uim. QVI *in mente, & ratione uersetur*, } qui animus in supremo ambitu principatum gerat, & ad bonum ratione quadam dirigat. CONTINENTEM } quasi glutino, & constantia quadam. TVM } aliquando etiam congregat. FATALEM *umbram & necessitatem, &c.* } Ita nominare uidetur Chrysippus irrationalem motum. QVEM *antea dixi, aethera:* } Supremum ambitum, ex quo & igne fit aether, de quo supra dictum est. NATVRA } sponte, naturali motu fluerent. ATQVE *manerent*, } constanter perseuerarent, ut Terra. VNIVERSITATEM *rerum* } caelumq. OMNIA *continerentur* } omnis mundus comprehenderetur. IDEMQ. *disputat* } scilicet, Chrysippus disputando asserit. MANARET } sublaberetur. SIMILIQ. *ratione* } pari modo. PERSEQVITVR } subaudi declarare, interpretari. OFFICIORVM } honestarum actionum. EANDEMQ. } uim legis perpetuae, & aeternae, quae, &c. VETERRIMI } antiquissimi. SVSPICATI } leuiter opinati. STOICI *fuiße uideantur* } E stomacho dicit hoc Velleius. DIOGENES *Babylonius* } Hic Diogenes Stoicus e Seleucia fuit, attamen propter uicinitatem Babylonius dictus est. ORTVM *Iouis, partumq. uirginis* } Dicunt fabulae, Vulcanum securi caput Iouis dissecuisse, indeq. exsilijsse puellam armatam, quae Minerua inuentrix artium dicitur. Fabula indicat, Iouem, qui diuinus est animus, inferioribus prospiciens, sapientiam in se abditam habere, quae de potentia ad actum deduci nullo modo possit, sine instrumentis congruis: iccirco Vulcania securi, nimirum recta ratione quasi Lucina de tenebris ad lucem deducta est. PHYSIOLOGIAM } naturalium rerum sermonem. DISIVNGIT *a fabula* } ostendens non esse fabulam, sed naturae opus.

CICERO

EXPOSVI *fere non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia. nec enim multo absurdiora sunt ea, quae poetarum uocibus fusa, ipsa suauitate nocuerunt: qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos; feceruntq. ut eorum bella, pugnas, proelia, uulnera uideremus, odia praeterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querellas, lamētationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, uincula, cum humano genere concubitus, mortalesq. ex immortali procreatos. Cum poetarum autem errore coniungere licet portenta magorum, Aegyptiorumq. in eodem genere dementiam; tum etiam uulgi opiniones, quae in maxima inconstantia, ueritatis ignoratione, uersantur. Ea, qui consideret, quam inconsulte ac temere dicantur, uenerari Epicurum, & in eorum ipsorum numero, de quibus haec quaestio est, habere debeat. solus enim uidit, primum, esse deos; quod in omnium animis eorum notionē impressisset ipsa natura: quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat, sine doctrina, anticipationem quandam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari possit. cuius rationis uim, atque utilitatem ex illo caelesti Epicuri de regula, & iudicio uolumine accepimus. Quod igitur fundamentum huius quaestionis est, id praeclare iactum uidetis. cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta; maneatq. ad unum omnium firma consensio: intelligi necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, uel potius innatas cognitiones habemus. de quo autē omnium natura consentit, id uerum esse necesse est. esse igitur deos, confitendum est. quod quoniam fere constat inter omnes non philosophos solum, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere siue anticipationem, ut ante dixi, siue praenotionem deorum. sunt enim rebus nouis noua ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellauit, quā antea nemo eo uerbo nominarat. hanc igitur habemus, ut deos beatos, & immortales putemus. quae enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos, & beatos haberemus. quod si ita est; uere exposita illa sententia est ab Epicuro; quod aeternum, beatūq. sit, id nec habere ipsum negotij quidquam, nec exhibere alteri; itaque neque ira, neque gratia teneri; quod, quae talia essent, imbecilla essent omnia. Si nihil aliud quaereremus, nisi ut deos pie coleremus, & ut superstitionē liberaremur; satis erat dictum. nam & praestans deorum natura hominum pietate coleretur, cum & aeterna esset, & beatissima; habet enim uenerationem iustam, quidquid excellit: & metus omnis aui, atque ira deorum pulsus esset: intelligitur enim, a beata, immortaliq. natura & iram, & gratiā segregari; quibus remotis, nullos a superis impendere metus. sed ad hanc confirmandam opinionem inquirit animus & formam, & uitam, & actionem mentis, atque agitationem in deo. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. nam a natura habemus omnes omnium gentium, speciem nullam aliam, nisi humanam, deorum: quae enim alia forma occurrit umquam aut uigilanti cuiquam, aut dormienti? sed, ne omnia reuocētur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. nam, cum, praestantissimam naturam, uel quia beata est, uel quia sempiterna, conuenire uideatur, eandem esse pulcherrimā; quae compositio membrorum, quae conformatio lineamentorum, quae figura, quae species humana potest esse pulchrior? uos quidem, Lucili, soletis, (nam Cotta meus modo hoc, modo illud) cum artificium effingitis, fabricamq. diuinam, quam sint omnia in hominis figura non modo ad usum, uerum etiam ad uenustatem apta, describere. quod si omnium animantium formam uincit hominum figura, deus autem animans est: ea figura profecto est, quae pulcherrima sit omnium. quoniamq. deos beatissimos esse cōstat; beatus autem esse sine uirtute nemo potest, nec uirtus sine ratione constare, nec ratio usquam inesse, nisi in hominis figura: hominis esse specie deos confitendū est. nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus; nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem.*

EXPLANATIO

FERE } quasi omnia. ABSVRDIORA } irrationabiliora. POETARVM *uocibus* } Poetarum figmenta, & argumenta de deorum moribus, & actionibus flagitiosis cōtumeliosa est aduersus deum, & perniciosa moribus humanis. SVAVITATE } iucunditate numerorum, & cantibus. PORTENTA } superstitionēs. quas quasi uelaturam sapientiae commenti sunt Magi. MAGORVM } Qui in physicis essent, sapientes, Magos appellabant Persae, apud quos ea sapientia adeo inualuit, ut & regum legibus imperitaret, & nomen ipsum, cum sapientia etiam nationes quandoque transire potuerit, & remanere. Sunt, qui Magos, quasi Magnos dici arbitrentur, ob magnitudinem admirabilium, quae ab eiusmodi peritis patrantur. IN *eo genere* } opinandi. VVLGI } imperitae multitudinis. INCONSTANTIA } fluctuatione opinionum. EA *qui consideret* } Epicurus, reiectis aliorum opinionibus, suam solius commendat. INCONSVLTE } absque consilio, imprudenter. TEMERE } irrationabiliter. EORVM *ipsorum* } scilicet deorum. HABERE *debeat* } habere tenetur. SOLVS *enim uidit* } Epicuri affirmatio de dijs, ex naturalibus notitiis, in mentibus hominum. ANTICIPATIONEM } praenotionem. de qua Laertius in Epicuro, Simul atque homo nominatur, continuo per anticipationem forma etiam illius intelligitur, praecedentibus ac ducibus sensib. neque enim profecto quaereremus, quod inquirimus, nisi prius illud nouissemus. INFORMATIONEM, } effigiationem. CAELESTI } diuino, uerissimo. FVNDAMENTVM } principium. AD *unum* } usque ad unum. INTELLIGI *necesse est,* } Confirmatio ex

caussa

caussa efficiente, hoc est, ex communi hominum iudicio, atque consensu. INSITAS } infixas. INNATAS } connaturales. FERE *constat* } quasi firmum est, & conuenit. REBUS } opinionibus, & sententiis. EO *uerbo* } tali appellatione. VT *deos beatos* } Qualis sit deus secundum Epicurum, nempe aeternus, & beatus. QVOD *aeternum* } Hanc Epicuri sententiam Lucretius prosecutus est:

Omnis enim per se diuum natura necesse est
Immortali aeuo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, seiunctaq. longe.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

ID *nec habere* } Ita argumentatur Epicurus, Beatum est quod nihil habet negotii, Deus est beatus, Igitur nihil agit. NEGOTII } laboris, atque molestiae. GRATIA *teneri* } beneficentia occupari. TALIA } gratiosa, & iracunda. PIE *coleremus* } religiose, pure, uere, & fideliter ueneraremur. SVPERSTITIONE } uana religione. SATIS *erat dictum* } ad persuadendum diuinae naturae cultum. NAM *&* *praestans* } Epicurus cultum dei relinquit, metum aufert. PIETATE } puritate animi & corporis. IVSTAM } debitam. IMPENDERE } imminere, ac futurum esse. OPINIONEM } quam habemus de ui, & natura deorum. AC *de forma* } species dei nulla nisi humana secundum Epicurum, quia omnes gentes sic iudicant, quia nulla est alia pulchrior, quia nulla alia ratione, & uirtute praedicta est. INQVIRIT *formam* } In deo effigiem inquiris, & qualitatem uitae, quid in mente agat, quam frequens illius actio. REVOCENTVR } reducantur. PRIMAS *notiones* } praenotiones. COMPOSITIO } complexio. CONFORMATIO *lineamentorum* } conuenientia ductuum linearum ad conformandum. Metaphora a pictoribus sumpta, quorum imagines superficiem habent planam, nihilq. eminens, atque expressum. FIGVRAE } terminatio ductuum linearum. SPECIES } forma spectabilis. POTEST *esse pulchrior?* } Interrogatiue profertur; quasi dicat, nulla. ARTIFICIVM } sollertiam. EFFINGITIS } describitis, pingitis. FABRICAMQVE } opificium, elaborationem. VSVM } utilitatem. VENVSTATEM } decorem. ANIMANS *est* } sensibilem materiam pulsat, & uiuificat. PROFECTO *est* } subaudi praeditus. SINE *uirtute* } sine animo bene affecto. SINE *ratione* } qua officiorum magistra bene afficitur animus, & eadem duce uersatur in actionibus uirtuosis. NEC *tamen ea species &c.* } Correctio. sensus est, Deorum speciem esse in proxima potentia ad humanam, quae corpore constat, & sanguine; ac si dicat, sicut numerus a proxime sequenti numero deficit, in figuris uero corpora cubo, atque ut mathematicum corpus deficit a physico; ita & deorum species ad humana: sed in proxima est potentia.

CICERO

HAEC *quamquam & inuenta sunt acutius, & dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quiuis ea possit agnoscere: tamen, fretus intelligentia uestra, dissero breuius, quam caussa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas, & penitus abditas non modo uiderat animo, sed etiam sic tractarat, ut manu, docet eam esse uim, & naturam deorum, ut primum nō sensu, sed mente cernatur, nec soliditate quadam, nec ad numerum, ut ea, quae ille propter firmitatem στερέμνια appellat, sed imaginibus similitudine, & transitione perceptis; cum infinita simillimarum imaginū species ex innumerabilibus indiuiduis exsistat, & ad deos affluat, cum maximis uoluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamq. nostram intelligentiam, capere, quae sit & beata natura, & aeterna. summa uero uis infinitatis, & magna, ac diligenti cō templatione dignissima est: in qua intelligi necesse est, eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant. hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est aequabilem tributionem. ex hac igitur illud efficitur: si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem: &, si, quae interimant, innumerabilia sunt, etiam ea, quae conseruent, infinita esse debere. Et quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae uita deorum sit, quaeq. ab iis degatur aetas. ea uidelicet, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluē tius excogitari potest. nihil enim agit: nullis occupationibus est implicatus: nulla opera molitur: sua sapientia, & uirtute gaudet: habet exploratum, fore se semper tum in maximis, tum in aeternis uoluptatibus. hunc deum rite beatum dixerimus, uestrum uero laboriosissimum. siue enim ipse mundus deus est: quid potest esse minus quietum, quam, nullo puncto temporis intermisso, uersari circum axem caeli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est. siue in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum uicissitudines, ordinesq. conseruet, terras & maria contemplans, hominum commoda, uitasq. tueatur: nae ille est implicatus molestis negotiis, & operosis. nos autem beatam uitam in animi securitate, & in omnium uacatione munerum ponimus. docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum, nihil opus fuisse fabrica, eamq. rem ei esse tam facilem, quam uos negatis effici sine diuina posse sollertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non uidetis: ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum. cuius operam profecto non desideratis, si immensam, & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum uideretis: in quam se iniiciens animus, & intendens, ita late, longeq. peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi uideat, in qua possit insistere. in hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita uis innumerabilium uolitat atomorum: quae, interiecto inani, cohaerescunt tamen inter se, & aliae alias apprehendē*

tes continuantur: ex quo efficiuntur hae rerum formae, atque figurae: quas uos effici posse sine follibus, & incudibus non putatis: itaque imposuistis in ceruicibus uostris sempiternum dominum, quem dies & noctes timeremus. quis enim non timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & pleni negotij deum? hinc uobis exstitit primum illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis: ut, quidquid accidat, id ex aeterna ueritate, caussarumq. continuatione fluxisse dicatis. quanti autem philosophia aestimanda est, cui, tamquam aniculis, & ijs quidem indoctis, fato fieri omnia uideantur?

EXPLANATIO

BREVIS, *quam caussa desiderat.*] ne scilicet castigatis auribus nostris abuti uidear. FRETVS] confisus. DISSERO] enarro. CAVSSA] negotium. PENITVS] omnino, & intrinsecus. NON *modo uiderat animo, sed etiam sic tractat, ut manu doceat.*] Huius loci correctionem sensus ipse uidetur ostendere: tollet enim omne mendum, si quis ita legat, Non modo uiderat animo, sed etiam sic tractarat, ut manu, docet &c. Haec Paullus pater. SIC *tractarat*] explicauerat quasi manu. EAM] cuiusmodi proprietatibus praeditam. VIM] animum. NATVRAM] essentiam corpoream. VT *primum non*] Deus Epicuri non sensu, sed mente cernitur. NON *sensu*] animo scilicet pulsante naturam corpoream & sensibilem. SED *mente*] intelligentia: similia enim similibus congrediuntur. NEC *soliditate,*] cum ipsa deorum imago sit corpus simplex. nõ enim habet soliditatem pulsabilem. Corpus quidem figura est, quae trinam habet dimensionem. At solidum nihil est, quod terrae sit expers, & tangi non possit. hinc Graeci corpus, quod solidum est, Stereon, & Sterennion uocant, a firmitate, quae terrae proprietas est. NEC *ad numerum,*] non enim eadem semper manet, cũ nihil habeat solidi. SED *imaginibus*] Alibi Cicero quasi paraphrasi quadam usus dicet, Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu: nec esse in ea ullam soliditatem: neque eandem ad numerum permanere, eamq. esse uisionem ut similitudine, & transitione cernatur, neque deficiat umquam ex infinitis corporibus similium accessio: ex eoq. fieri, ut in hoc intenta mens nostra beatam illam naturam, & sempiternam putet. DEINDE *cum infinita*] Beatam & aeternam deorum naturam ex affluxu & intuitu iucundo, & perenni atomorum aestimat. EXSISTAT, *& ad eos affluat.*] Legendum puto, A deo affluat, sententia ita postulante: de quo dubitandum eo minus est, quod infra, Cum, inquit, ex ipso imagines semper affluant. Et Lucretius nostram coniecturam libro IV. plane confirmat. Haec Paullus pater. CVM *maximis uoluptatibus*] Repete, quod supra dictum est, Docet Epicurus. INFINITATIS] mentis, siue intelligentiae, cuius circulus incomprehensus est. INTELLIGI] cõprehendi. EAM *esse naturam*] In infirmitate est ἰσονομία, id est aequabilitas, seu aequilibritas, hinc duo elicit Epicurus, Ergo tot sunt dij immortales, quot mortales, Ergo tot res sunt conseruantes, quot sunt interimentes. VT *omnia omnibus, &c.*] ad hoc, ut per eam indiuidua omnia suis correspondentibus indiuiduis copulentur, & fiant specificae naturae. RESPONDEANT] tamquam ex altera librae parte appensa. Haec dicuntur a Graecis Antistropha. Virgil.

Contra elata mari respondet Cnosia tellus.

Ex *hac*] aequilibritate. QVAE *conseruent*] hinc illa quorundam Medicorum regula, si quod est in terris uenenum, aliquod etiam reperiri certum remedium, quod inuestigare aequum sit: ut numquam desperare liceat de diuina largitione. ET *quaerere a nobis*] Postquam Velleius egit de forma deorum, differit breuiter de modo uiuendi. QVAE] qualis aetas uiuatur. NIHIL *enim agit*] Vita dei Epicurei otiosa, & uoluptaria. NVLLA *opera molitur*] non uersatur in aliqua actione. Metaphora a molitoribus ducta, quae & uersatili orbium caelestium motui respondet. EXPLORATVM] compertum. VESTRVM] quem uos Stoici opificem mundi, & rectorem, principem uefacitis. SIVE *enim*] ita argumentantur. Si deus est mundus ipse non est beatus, sed multis negotijs implicitus: sin uero mundi gubernator est, similiter laboriosus est. CIRCVM *axem caeli*] Axis, proprie lignum est quadrangulum in medio, utriusque capitibus teretibus umbilicos rotarum circumuersabilium pertransiens, & coniungens, curribus necessarium instrumentum. Metaphorice uniuersam rerum naturam hic designat, caelestibus circuitionibus mediam, quorum subit uicissitudines, adeo, ut instar Lunae perpetui increscens, & decrescens transeat circuitione quadam de iuuentute in senectutem, & rursus de senectute in iuuentutem. VICISSITVDINES,] alternationes. ORDINESQ.] subalternationes. NAM *ille*] certe ille deus, quem opinati sunt Stoici opificem mundi, & rectorem. OPEROSIS,] laboriosis. NOS *autem*] Beatitudo Epicuro in ἀπραξίᾳ sita est. IN *animi securitate*] in animi arce, in supremo ambitu, ubi in tranquillitate uacat ab omnibus muneribus libertatem nactus. DOCVIT *nos*] Epicureos. IDEM, *qui cetera*] idem scilicet Epicurus, qui docuit cetera iá a nobis dicta, de forma dei. NATVRA *effectum*] Mundus naturaliter exsistit Epicuro absque adminiculo dei, siue excluso deo. NIHIL *opus fuisse fabrica*] & per consequens non eguisse fabrilibus instrumentis, neque arte fabrili. EAMQ. *rem*] idq. opificium mundanũ, quod uos Stoici negatis posse effici sine diuina sollertia, hoc est, prouidentia, acumine, ratione, & arte. TAM *facilem*] adeo facilem. VT *effectum sit*] ipsa uis naturalis. QVOD] mundanum opificium. SINE *aliqua mente*] sine particulari prouidentia. NON *uidetis*] Sensus est, Nesciunt Stoici opinari mundanum opificium nisi in aliquo particulari ambitu caelesti, ubi omnia habent primum pacata, & secundis uentis nauigant; sed, cum deinde ueluti in argumento tragico, omnia turbantur, & aduersis fluctibus obruuntur; tunc fidem atque auxilium implorant supremi domicilij. Ita Homerus in rei obscurae difficultate uersans numina inuocat, repetitq. uota: Hoc loco Musae Iouis filiae inuoco, Musae domicilium caeleste incolentes. Vos

 enim

enim deae estis, uos adfuistis, uos omnia meministis. Nos incognitum habemus, qui reges, ducesq. fuerint illius classis, quae ad Troiam nauigauit: Ego recensere non possem, nisi uos deae autē edoceretis. INTERMINATAM } infinitam, supremam. PEREGRINATVR } uagatur, & discurrit. ORAM *ultimi* } superficiem ambitus extremi. INSISTERE } quiescere. IN *hac igitur immensitate, &c.* } In hoc supremo ambitu naturae corporeae, quae tripliciter mensuratur, nempe latitudine, longitudine, atque altitudine, Atomi, inquit, uolitant, & suo concursu, cohaerentiaq. omnia efficiunt. VOLITAT } quasi auis in aere. INFINITA *uis* } uniuersa uis. INNVMERABILIVM *atomorum* } aereorum corporum, quae numerari non possunt. Sunt atomi corpora aerea, quae lucente Sole uidentur sursum & deorsum continue coagitari, ita, ut propter inconstantiam, atque immensam multitudinem numerari non possint. QVAE } scilicet atomi. INTERIECTO *inani* } interiecto caelorum supremo ambitu, qui etiam aer dicitur à Stoicis. COHAERESCVNT *tamen, & continuantur* } hoc est, quamquam atomi ex discretis corporibus aeris sint, cohaerescunt tamen per naturam, quae est omnium gluten; & continuantur per supremum aerem. SINE *follibus, & incudibus* } sine Vulcanicis instrumentis. CVRIOSVM, } sagacem. NEGOTII } laboris, & uigilantiae. AETERNA *ueritate* } fida, ac certa constitutione. QVANTI } quanto pretio digna. Vellicat Velleius philosophiam Stoicam.

CICERO

SEQVITVR μαντικὴ uestra, quae Latine diuinatio dicitur: qua tanta imbueremur superstitione, si uos audire uellemus, ut haruspices, augures, arioli, uates, & coniectores nobis essent colendi. his terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem uindicati nec metuimus eos, quos intelligimus nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quaerere; & pie, sancteq. colimus naturam excellentem, atque praestantem. Sed, elatus studio, uereor, ne longior fuerim. erat autem difficile, rem tantam, tamq. praeclaram, inchoatam relinquere. quamquam non tam dicendi mihi ratio habenda fuit, quam audiendi. Tum Cotta comiter, ut solebat, Atqui, inquit, Vellei, nisi tu aliquid dixisses, nihil sane ex me quidem audire potuisses. mihi enim non tam facile in mentem uenire solet, quare uerum sit aliquid, quam quare falsum: idq. cum saepe, tum, cum te audirem, paulla ante contigit. Roges me, qualem deorum naturam esse ducam: nihil fortasse respondeam. quaeras, putem ne talem esse, qualis modo a te sit exposita: nihil dicam mihi uideri minus. sed, ante quam aggrediar ad ea, quae a te disputata sunt; de te ipso, dicam, quid sentiam. Saepe enim de L. Crasso, familiari tuo illo, uideor audisse, cum te togatis omnibus sine dubio anteferret, & paucos tecū Epicureos e Graecia compararet, sed, quod ab eo te mirifice diligi intelligebam, arbitrabar illum propter beneuolentiam id uberius dicere. ego autem, etsi uereor laudare praesentem, iudico tamen, de re obscura, atque difficili a te dictum esse dilucide, neque sententijs solum copiose, sed uerbis etiam ornatius, quā solent uestri. Zenonem, quem Philo noster Coryphaeū appellare Epicureorum solebat, cum Athenis essem, audiebam frequenter, & quidem ipso auctore Philone; credo, ut facilius iudicarem, quam illa bene refellerentur; cum a principe Epicureorum accepissem, quemadmodum dicerentur. nō igitur ille, ut plerique, sed isto modo, ut tu, distincte, grauiter, ornate. sed, quod in illo mihi usu saepe uenit, idem modo, cum te audirem, acciderat, ut moleste ferrem, tantum ingenium (bona uenia me audies) in tam leues, ne dicam in tā ineptas, sententias incidisse. nec ego nūc ipse aliquid afferam melius. ut enim modo dixi, omnibus fere in rebus, & maxime in physicis, quid non sit, citius, quā quid sit, dixerim. Roges me, quid, aut qualis sit deus: auctore utar Simonide: de quo cum quaesiuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi caussa sibi unum diem postulauit: cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petiuit: cum saepius duplicaret numerum dierum; admiransq. Hiero quaereret, cur ita faceret; quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res uidetur obscurior. sed Simonidem arbitror, (nō enim poeta solum suauis, uerum etiam ceteroqui doctus, sapiensq. traditur) quia multa uenirent in mētem acuta, atque subtilia, dubitantem, quid eorum esset uerissimum, desperasse omnem ueritatem.

EXPLANATIO

IMBVEREMVR *superstitione,* } impleremur timore inani. HARVSPICES } uictimarum inspectores. AVGVRES } auium garritum obseruantes. ARIOLAS } singulorum fata enunciantes. VATES } fata reipub. enunciantes. CONIECTORES } somniorum interpretes. HIS *terroribus* } Epilogus Epicuri orationis de dijs. LIBERTATEM } securitatem animi. VINDICATI } positi. SED *elatus* } Excusatio de uerbositate. STVDIO } uoluntate & cura explicandi res tam praeclaras. QVAM *audiendi* } modeste de se loquens, aliorum animos Velleius demeretur, & captat. TVM *Cotta* } Inducit Cicero Cottam Academicum refellentem Epicuri opiniones de forma, deq. mentis agitatione, ac de uita deorum: illudq. tenet, nihil ut pronunciet. NISI *aliquid dixisses* } proposuisses. ad illud respondet, quod Velleius dixerat, Habendam sibi magis fuisse rationem audiendi, quam dicendi. QVAM *quare falsum:* } Id enim Academicum est, omnia reuocare in dubium. SAEPE *enim* } Encomium Vellei, monens, amicis honesta esse tribuenda, & comiter respondendum. TOGATIS } nobilibus Romanis. IVDICO *tamen* } Obscura, & difficilia oratione dilucida, cum sententiis copiosa, tum uerbis ornata explicanda sunt. DE *re obscura,* } de ui & proprietate numinis, quod non facile cognoscitur. DILVCIDE } clare, aperte. VESTRI. } Epicurei, philosophi Graeci. PHILO *noster* } Academicus philosophus. CORYPHAEVM } principem. Coryphaeus Graece dicitur, Latine is, qui tenet uerticem, & summi

tatem,

tatem, quae Κορυφὴ appellatur. Hic Zeno Sidonius fuit, & Epicuri sectator. AVCTORE } suasore. QVEMADMODVM *dicerentur*. } dicendi modum. DISTINCTE, } ordinate. GRAVITER, } sententiose. IN *illo* } Zenone Epicureo. VT *moleste ferrem* } Modesta dissensio ab amico, cuius ingenium quidem laudat, sed sententiam reprehendit. SIMONIDE: } Caius fuit, & poeta lyricus, qui quo diutius de deo cogitauit, eo minus, quid esset, inuenit. Est uero impotentis animi in inuestigatione ueri, cum sese aliqua dubia offerunt, ueritatem omnem desperare. HIERO } Syracusanorum rex. DELIBERANDI } consultandi. SVAVIS } iucundus, & dulcis, cum esset poeta Melicus.

CICERO

EPICVRVS uero tuus (nam cum illo malo disserere, quam tecum) quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed etiam mediocri prudentia? Quaeritur primum in ea quaestione, quae est de natura deorum, sint ne dij, nec ne sint. difficile est negare: credo, si in concione quaeratur: sed in huiuscemodi sermone, & consessu, facillimũ. itaque ego ipse pontifex, qui caerimonias, religionesq. publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi, non opinione solum, sed etiam ad ueritatem plane uelim. multa enim occurrunt, quae conturbent, ut interdum nulli esse uideantur. sed uide, quam tecum agam liberaliter. quae cõmunia sunt nobis cum ceteris philosophis, non attingam, ut hoc ipsum: placet enim omnibus fere, mihiq. ipsi in primis, deos esse: itaque non pugno: rationem tamen eam, quae a te affertur, non satis firmam puto. Quod enim omnium gentium, generumq. hominibus ita uideretur, id satis magnum esse argumentum dixisti, cur esse deos confiteremur. quod cum leue per se, tum etiam falsum est. Primum enim unde notae tibi sunt opiniones nationum? equidem arbitror, multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. quid? Diagoras, Atheos qui dictus est, posteaq. Theodorus, non ne aperte deorum naturam sustulerunt? nam Abderites quidem Protagoras, cuius a te modo mentio facta est, sophistes temporibus illis uel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset; De dijs neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere; Atheniensium iussu urbe, atque agro est exterminatus; libriq. eius in concione combusti. ex quo equidem existimo, tardiores ad hanc sententiam profitẽdam multos esse factos, quippe cum poenam ne dubitatio quidem effugere potuisset. Quid de sacrilegis, quid de impijs, periurisq. dicemus?

Tubulus si Lucius unquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius,

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tã periurus, aut tã impius fuisset? Non est igitur tam explorata ista ratio ad id, quod uultis, confirmandum, quam uidetur. sed, quia cõmune est hoc argumentum aliorum etiam philosophorum, omittam hoc tempore; ad uestra propria uenire malo. Concedo esse deos: doce me igitur, unde sint, ubi sint, quales sint corpore, animo, uita. haec enim scire desidero. abuteris ad omnia atomorũ regno, & licentia. hinc, quodcumque in solum uenit, ut dicitur, effingis, atque efficis. quae primum nullae sunt: nihil enim est, quod uacet corpore: corporibus autem omnis obsidetur locus: ita nullum inane, nihil esse indiuiduum potest. haec ego nunc physicorum oracla fundo: uera, an falsa, nescio; sed ueri tamen similiora, quam uestra. ista enim flagitia Democriti, siue etiam ante Leucippi, esse corpuscula quaedam leuia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quaedam, & quasi adunca; ex his effectum esse caelum, atque terras, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito; hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad hanc aetatem perduxisti. priusq. te quis de omni uitae statu, quam de ista auctoritate, deiecerit. ante enim iudicasti, Epicureum te esse oportere, quã ista cognouisti. ita necesse fuit, aut haec flagitia animo cõcipere, aut susceptae philosophiae nomen amittere. quid enim mereas, ut Epicureus esse desinas? nihil equidem, inquis, ut rationem uitae beatae, ueritatemq. deseram. ista igitur est ueritas? nam de uita beata nihil repugno: quam tu ne in deo quidem esse censes, nisi plane otio langueat: sed ubi est ueritas? in mundis, credo, innumerabilibus, omnibus minimis temporum punctis alijs nascentibus, alijs cadentibus; an in indiuiduis corpusculis, tam praeclara opera, nulla moderante natura, nulla ratione, fingentibus? Sed oblitus liberalitatis meae, qua tecum paullo ante uti coeperam, plura complector.

EXPLANATIO

EPICVRVS *uero* } Confutatio Epicuri, cuius sententia de dijs ἀσυλλόγιστος est, & impudens. MEDIOCRI } uulgari. DIFFICILE } periculosum. CONCIONE } coetu populari. CONSESSV, } coetu sapientum. ITAQVE *ego ipse* } Prima pars orationis Cottae de dijs, Quod sint. CAERIMONIAS, } diuinum cultum. SANCTISSIME } integerrime. OPINIONE } ambiguo iudicio. VERITATEM } certitudinem. OCCVRRVNT } in mentem ueniunt. CONTVRBENT } confundant, & cogant dubitare. LIBERALITER. } ingenue, ac benigne. NON *pugno:* } non contradico. QVOD *enim* } Infirmatio argumenti Epicuri de dijs. Quod omnes gentes iudicant, est uerum, Omnes gentes iudicant esse deos, Igitur &c. Cotta uero negat minorem, allatis contrariis exemplis. GENERVM } condicionum, & qualitatum. ARGVMENTVM } indicium. LEVE } futile. IMMANITATE } feritate, ac morum prauitate. NVLLA *suspicio* } nec minima opinio. ATHEOS } sine deo. ABDERITES } ex Abdera opido Thraciae. Protagoras ob dubitationem de diis damnatus. SOPHISTES } sapiens in arte dicendi. HABEO *dicere* } conuenit dicere, cum non liqueat, sitq. ambiguum. CONCIONE } publico coetu. PROFITENDAM } palam asserendam. DVBITATIO } ambiguitas, qua Protago-

tas

tas laborauit. QVID *de sacrilegis* ≷ Scelerati ipso facto declarant nullum esse deum, qui uindicet. SI *Tubulus* ≷ In 2. de Fin. Cic. sic scribit, An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui cum praetor inter Sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaeuola tribunus pleb. ferret ad plebem uellent ne de ea re quaeri, quo plebiscito decreta est a senatu consuli quaestio Cn. Scipioni. profectus in exsilium Tubulus statim, nec respondere ausus est. erat enim res aperta. LVPVS, *& Carbo* ≷ Mali fuerunt ciues, & impij. Satyricus poeta dicit,

Secuit Lucilius urbem
Te Lupe, te Muci, & genuinum fregit in illis.

NEPTVNI *filius* ≷ immanis & ferus, ab omni humanitate alienos, tamquam e mari genitos Neptuni filios dixit antiquitas sicuti Terrae filios, qui ignotis parentibus nati fuissent. EXPLORATA ≷ certa. AD *uestra propria* ≷ ad peculiares Epicureorum rationes, quibus probant esse deos. DOCE *me igitur* ≷ Secunda pars, unde, ubi, & quales sint. VNDE *sint* ≷ ex qua substantia constent. REGNO ≷ potestate, & efficacia. QVODCVMQVE *& c.* ≷ Prouerbium, id est, neque quid dicas, neque quid agas attendis. sed quiduis ex atomis fingis sicut figulus ex suo luto. HINC ≷ ex his atomis. QVAE ≷ atomi. PRIMVM *nullae* ≷ Confutatio atomorum ex loci circũstantia. Omnia loca sunt complera corporibus, nec natura admittitur uacuum aut inane, Atomus non est corpus, Igitur Atomus nihil est. NIHIL *est enim* ≷ ratio, cur nulli sint atomi. QVOD *uacet* ≷ uacuum sit. OBSIDETVR ≷ occupatur. INANE ≷ uacuum. PHYSICORVM ≷ naturae sensibilis interpretum. ORACVLA ≷ sententias arcanas, atque obscuras. FLAGITIA ≷ errata flagris digna. ESSE *corpuscula* ≷ Descriptio atomorum. LEVCIPPI ≷ Leucippus, inquit Laertius, Eleates fuit, siue, secundum quosdam, Abderites, uel ut alij Milesius. LEVIA ≷ polita. QVASI *adunca* ≷ instar ferrei hami recurua. COGENTE ≷ coniungente. STATV ≷ condicione. AVCTORITATE ≷ sententia. QVID *enim mereas,* ≷ quid uelles lucrari: ac si dicat: Omne praemium quamquam maximum renueres pro dogmate Epicureo retinendo. RATIONEM ≷ formulam. SED *ubi est ueritas?* ≷ Vtrumque, inquit Cotta, falsissimum est & esse mundos innumerabiles, & ex atomis omnia gigni. primum enim si subinde & celeritate incredibili nascerentur mundi, & occiderent, impediretur omnis collectio, & dissiparentur naturae partes, Deinde si ex atomis generarentur omnia, sequeretur ipsas esse aeternas, Deum uero & alia omnia ex illis facta, mortalia. MODERANTE ≷ temperante. A

C I C E R O

CONCEDAM igitur, ex indiuiduis constare omnia: quid ad rem? deorum enim natura quaeritur. sint sane ex atomis: non igitur aeterni. quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit, si natum, nulli dij ante quam nati. &, si ortus est deorum; interitus sit necesse est, ut tu paullo ante de Platonis mundo disputabas. ubi igitur illud uestrum beatum, & aeternum? quibus duobus uerbis significatis deum. quod cum efficere uultis, in dumeta correpitis. ita enim dicebas, non corpus esse in deo, sed quasi corpus; nec sanguinem, sed quasi sanguinem. hoc persaepe facitis, ut, cum aliquid non ueri simile dicatis, & effugere reprehensionem uelitis, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit: ut satius fuerit id ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere. uelut Epicurus, cum uideret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus, & necessarius; inuenit quo modo necessitatem effugeret: quod uidelicet Democritum fugerat: ait atomum, cum pondere & grauitate directo deorsum feratur, declinare paullulum. hoc dicere turpius est, quam illud, quod uult, non posse defendere. idem facit contra dialecticos. a quibus cum traditum sit, in omnibus disiunctionibus, in quibus, aut etiam, aut non, poneretur, alterutrum uerum esse: pertimuit, ne, si concessum esset huiusmodi aliquid, aut uiuet cras, aut non uiuet Epicurus, alterutrum fieret necessariũ: totum hoc, aut etiam, aut non, negauit esse necessarium. quo quid dici potest obtusius? urgebat Arcesilas Zenonem, cum ipse omnia falsa diceret, quae sensibus uiderentur; Zeno autem non nulla uisa esse falsa, non omnia. timuit Epicurus, ne, si unum uisum esset falsum, nullum esset uerum: omnes sensus ueri nuntios dixit esse: nihil horum, nisi callide: grauiorem enim plagam accipiebat, ut leniorem repelleret. Idem facit in natura deorum: dum indiuiduorum corporum concretionem fugit, ne interitus & dissipatio cõsequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem. mirabile uidetur, quod non rideat haruspex, cum haruspicem uiderit: hoc mirabilius, quod uos inter uos risum tenere possitis. non est corpus, sed quasi corpus. hoc intelligerem quale esset, si id in cereis fingeretur, aut fictilibus figuris: in deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum: ne tu quidem, Vellei: sed non uis fateri: ista enim a nobis quasi dictata redduntur: quae Epicurus oscitans alucinatus est, cum quidem gloriaretur, ut uidemus in scriptis, se magistrum habuisse nullum. quod & non praedicanti tamẽ facile quidẽ crederẽ, sicut mali aedificij domino, glorianti se architectum non habuisse. nihil enim olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis. Xenocratem audire potuit: quem uirum, dij immortales: & sunt qui putant audiuisse, ipse non uult: credo plus nemini. Pamphilum quendam, Platonis auditorem, ait a se Sami auditum: ibi enim adolescens habitabat cum patre, & fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta uenerat. sed, cum agellus eum non satis aleret, ut opinor; ludi magister fuit. sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus. ita metuit, ne quid umquã didicisse uideatur. in Nausiphane Democriteo tenetur: quem cum a se non neget auditum, uexat tamen omnibus contumelijs. atqui, si haec Democritea non audisset, quid audierat? quid est in physicis Epicuri

non a Democrito? nam, etsi quaedam commutauit, ut quod paullo ante de inclinatione atomorum dixi: tamen pleraque dicit eadem, atomos, inque, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemq. mundorum, eorum ortus, & interitus, omnia fere, quibus naturae ratio continetur. Nunc istuc, quasi corpus, & quasi sanguinem, quid intelligis? ego enim scire te ista melius, quam me, non fateor solum, sed etiam facile patior. cum quidem semel dicta sunt; quid est, quod Velleius intelligere possit, Cotta non possit? itaque, corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo: quasi corpus, & quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo.

EXPLANATIO

QVOD *autem ex atomis* } asserit Cotta deos ex atomis compositos non posse esse immortales. IN *dumeta correpitis* } Ad locutiones intortas callide confugitis, quasi serpentes, qui simul repũt ad dumeta, cum ab aliquo timent. Elegans est Metaphora. VT *cum aliquid* } Satius est conuictum se fateri, quam in eo, quod defendere non potes, impudenter, & pertinaciter perseuerare. SATIVS } melius, & honestius. SVOPTE *pondere* } naturali grauitate. NIL *fore in nostra potestate* } Idem Cicero agens de fato dicit: Epicurus declinatione atomica uitari necessitatem fati putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam, cum declinat atomus. Hanc rationem induxit, ne, si semper atomus grauitate feratur naturali, & necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moueretur animus, ut atomorum motu cogeretur. QVOD *Democritum fugerat* } Democritus ignorauerat. Democritus, auctor atomorum, maluit (ut alibi dicit Cicero) omnia fieri ex necessitate, quam corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Vnde Lucretius:

Sed ne res ipsa recessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agendis,
Et deuicta quasi cogatur ferre, patique,
Id facit exiguum clinamen principiorum.

AIT *atomum cum* } Epicurus errorem errore cumulat, & excusat, cum declinare uult necessitatem fatalem. Argumentum hoc est: Ex atomis omnia efficiuntur, Atomorum motus est certus, & necessarius, Igitur omnia sunt necessitate ineuitabili. Responsio Epicuri ad minorem, Atomi non deorsum feruntur directo, sed paullulum declinant, Qua quidem declinatione necessitas eliditur. DIRECTO } ad lineam rectam, & pares angulos. TVRPIVS } uituperabilius. QVOD *uult* } esse scilicet quendam animi motum uoluntarium, & liberũ. TRADITVM *sit,* } in primis constitutum. AVT *etiam, aut non* } aut affirmatio, aut negatio. IN *omnibus disiunctionibus* } Disiunctiua propositio est: Quodlibet est, aut non est, eaq. necessaria est, alioqui sequetur Implicatio contradictionis. Hanc regulam certitudinis Epicurus sustulit, ut necessitatem Stoicam elideret. ALTERVTRVM } e duobus alterum. TOTVM *hoc* } enunciatum. aut affirmatiue, aut negatiue. OBTVSIVS } hebetius, & crassius. OMNIA *falsa* } nullum esse uerum indicium in sensibus. VISA } quae oculis sese offerũt. OMNES *sensus ueri* } Hyperbole est. cum enim sensus imbecilli sint, & hebetes, facile eis imponitur, ut falsa ꝓ ueris arripiant. CONCRETIONEM } coagmentationem. NEGAT *esse corpus* } ἄτομα Epicuri. DISSIPATIO } dissolutio. MIRABILE *uidetur* } Miror inquit uos posse inter uos risum tenere, cum tam absurda dicatis, ut de haruspicibus dici potest, qui uanissima quaeque dicunt interpretando exta. HOC *mirabilius* } maiore admiratione dignum. QVALE } cuius naturae, ac proprietatis. FINGERETVR } formaretur. FICTIBVS } testaceis, & e creta effigiatis. DICTATA } praescripta. REDDVNTVR } recitantur. QVAE *Epicurus* } Notatur Epicurus, quod non solum balbutit de natura rerum, sed superbe etiam gloriatur se praeceptore nullo egere; nihil scilicet tam metuens, quam nequid umquam didicisse uideatur: sed nihil in theatrum producit, nisi inscitiam cum magna pertinacia coniunctam. OSCITANS } negligens, ignatus, obtusus. ALVCINATVS *est* } a ueritatis luce aberrans enunciauit, praescripsit. QVOD *& non praedicanti tam facile quidem credam, sicut.* } Tam, & Sicut, particulae non sunt sibi inuicem respondentes: itaque, & locutione magis usitata, & sensu aliquanto aptiore, legetur: Quod & non praedicanti tamen facile quidem crederem, sicut mali aedificii, &c. Quam lectionem habet Maffei liber scriptus: eamq. secutus sum in nostro libro. Haec Paullus pater. PRAEDICANTI } uulganti, & iactanti. EX *Academia,* } ex doctrina Platonica. EX *Lyceo,* } ex Aristotelica doctrina. Academia Platonicum fuit gymnasium, Lyceum uero Aristotelicum: sicut & Paecile Stoicum, Cynosarges Cynicum. SVNT *qui putent* } ut Demetrius Magnesius, auctore Laertio. CREDO *plus nemini* } Magis, inquit, credo Epicuro neganti se magistrum habuisse nullum. SAMI } Samus insula est, quam Athenienses Pericle, ac Sophocle ducibus uastarunt, coloniamq. deduxerunt, bis mille colonis eo missis, in quibus dicit Strabo Neocles Epicuri pater, ludi magister, quem hic, & in urbe Teo educatum ferunt. IN *eam* } Samum. AGRIPETA } nouus colonus, qui agrum petit. LVDI } litterarij scilicet. nam auctore Pediano Asconio, omnem Scholam appellant ludum, quapropter aliquo adiuncto distinguitur. IN *Nausiphane* } Nausiphanis Teij, dicit Laertius, Epicurum auditorem fuisse tradunt. DEMOCRITEO. } Democriti sectatore. CAPITVR } conuincitur. VEXAT } lacerat, conuicijsq. proscindit. ATQVI } certe. HAEC *Democritea* } haec Democriti placita. QVID *est in physicis* } Secta Epicuri a Democrito est. NON *a Democrito?* } subaudi accepta. NATVRAE *ratio* } scientia de rerum natura. NVNC *istuc* } Vrget Epicurum reiteratione.

CICERO.

NEc tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulte, tanquam Heraclitus: sed, quod inter nos liceat, ne tu quidem intelligis. illud uideo pugnare te, species ut quaedam sit deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitq. pura, leuis, perlucida. dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: corpus illud non est, sed simile corporis: nec ille fusus, & candore mixtus rubor sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo: sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse. Fac id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum: cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta, atque formas. non deest hoc loco copia rationum, quibus docere uelitis humanas esse formas deorum: primum, quod ita sit informatum, anticipatumq. mentibus nostris, ut homini, cum de deo cogitet, forma occurrat humana: deinde, ne, quoniam rebus omnibus excellat natura diuina, forma quoque esse pulcherrima debeat; nec esse humanam ullam pulchriorem. tertiam rationem affertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit. primum igitur quidque consideremus qua le sit. arripere enim mihi uidemini, quasi uestro iure, rem nullo modo probabilem. Quis tam caecus in contemplandis rebus unquam fuit, ut non uideret species istas hominum collatas in deos aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a uitae prauitate conuerterent; aut superstitione, ut essent simulacra, quae uenerantes deos ipsos se adire crederent? auxerunt autem haec eadem poeteae, pictores, opifices. erat autem non facile, agentes aliquid, & molientes deos in aliarum formarum imitatione seruare. accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius uideatur. sed tu hoc physice non uides, quam blanda conciliatrix, & quasi sui sit lena natura. an putas ullam esse terra mariq. belluam, quae non sui generis bellua maxime delectetur? quod ni ita esset; cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus uaccae? an tu aquilam, aut leonem, aut delphinum ullam anteferre censes figuram suae? quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius, quam hominem, putaret, eam esse caussam, cur deos hominum similes putaremus? quid censes, si ratio esset in bellius, non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse? at mehercle ego, (dicam enim, ut sentio) quamuis amem ipse me, tamen non audeo dicere, pulchriorem esse me, quam ille fuit taurus, qui uexit Europam. non enim hoc loco de ingeniis, aut de orationibus nostris, sed de specie, figuraq. quaeritur. quod si fingere nobis, & iungere formas uelimus; qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus inuehens, belluis adiunctis humano corpori, nolis esse? difficili in loco uersor. est enim uis tanta naturae, ut homo nemo uelit nisi hominis similis esse: & quidem formica formicae: sed tamen cuius hominis? quotus enim quisque formosus est? Athenis cum essem, e gregibus epheborum uix singuli reperiebantur. uideo, quid arriseris: sed ita tamen res se habet, deinde nobis, qui, concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiā uitia saepe iucunda sunt. naeuus in articulo pueri delectat Alcaeum. at est corporis macula naeuus: illi tamen hoc lumen uidebatur. Q. Catulus, huius, collegae, & familiaris nostri, pater, dilexit municipem tuum Roscium: in quem etiam illud est eius:

Constiteram exorientem auroram forte salutans,
Cum subito a laeua Roscius exoritur:
Pace mihi liceat, caelestes, dicere uestra:
Mortalis uisus pulchrior esse deo.

huic pulchrior deo? at erat, sicut hodie est, peruersissimis oculis. quid refert? si hoc ipsum salsum, & uenustum illi uidebatur.

EXPLANATIO

NEc tu me celas ut Pythagoras &c.] Comparatione exaggerat errorem Epicuri. ALIENOS] scilicet a disciplina sua. NEC consulto] de industria, dedita opera. HERACLITVS] fuit Ephesius, & Scotinos, idest tenebrosus, & obscurus cognominatus est, quoniam nimis obscure de natura rerum disputauit, & scripsit. de quo Lucretius:

Heraclitus init quorum dux proelia primus,
Clarus obscuram linguam.

INTER nos liceat] subaudi, dicere. PVGNARE te,] te contendere. SPECIES ut quaedam] impugnat speciem deorum ab Epicuro descriptam. CONCRETI,] coagmentati, siue corporei. SOLIDI,] corporei terrestris. EXPRESSI,] extantis. EMINENTIS,] extuberantis. PVRA,] simplex. LEVIS] expolita. PERLVCIDA.] resplendens, atque diaphana. VENERE Coa:] Nobilissimus pictor Apelles Cous popularibus suis pinxit Venerem e mari exeuntem, quae ob id Anadyomene dicta est. Plinius dicit, Venerem exeuntem e mari Diuus Augustus dicauit in delubro patris Caesaris, quae Anadyomene uocatur. Vnde Ouidius:

Vt Venus artificis laus est, & gloria Coi,
Aequoreo madidas, quae premit imbre comas.

FVSVS,] extensus per lineamenta. CANDORE] albedine splendida. NON res,] uerum corpus, & sanguinem. FAC id,] Concessio. CEDO] dic, effare quae sila, & ductus sint harum imaginum, quas deo attribuitis. ADVMBRATORVM] habentium umbram corporis. PRIMVM, quod ita sit] Repetitiones Epicuri tres, quibus formam humanam deo adstruit. ANTICIPATVMQ.] praecognitum, animo ante comprehensum. OCCVRRAT] animo repraesentetur. PRIMVM igitur] Cotta Epicureos, tanquam de re maxima te-

numero annuis cursibus conficiuntur: nam fateor ea sine mundi conuersione effici non potuisse: sed fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur; spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest: quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset. isto igitur tam immenso spatio, quaero, Balbe, cur πρόνοια *uestra cessauerit. laborem ne fugiebat? at iste nec attingit deum, nec erat ullus; cum omnes naturae numini diuino, caelum, ignes, terrae, maria, parerent. Quid autem erat, quod concupisceret deus mundum signis, & luminibus, tamquam aedilis, ornare? si; ut deus ipse melius habitaret: antea uidelicet tempore infinito in tenebris, tamquam in gurgustio, habitauerat. Post autem, uarietate ne eum delectari putamus, qua caelum & terras exornatas uidemus? quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non ea tam diu carere potuisset. An haec, ut fere dicitis, hominum caussa a deo constituta sunt? sapientum ne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio. an stultorum? at, primum, caussa non fuit, cur de improbis bene mereretur: deinde, quid est assecutus; cum omnes stulti sint sine dubio miserrimi, maxime quod stulti sunt? miserius enim stultitia quid possumus dicere? deinde, quod ita multa sunt incommoda in uita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec uitare uenientia possint, nec ferre praesentia. Qui uero mundum ipsum animantem, sapientemq. esse dixerunt, nullo modo uiderunt animi naturam, intelligentes in quam figuram cadere posset: de quo dicam paullo post. nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, & eundem beatum, & rotundum esse uelint, quod ea forma nullam neget esse pulchriorem Plato. at mihi uel cylindri, uel quadrati, uel coni, uel pyramidis uidetur esse formosior. Quae uero uita attribuitur isti rotundo deo? nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit: in qua, non uideo, ubinam mens constans, & uita beata possit insistere. quodq. in nostro corpore si minima ex parte significetur, molestum sit; cur hoc idem non habeatur molestum in deo? terra enim profecto, quoniam pars mundi est, pars est etiam dei. atqui terrae maximas regiones inhabitabiles, atque incultas uidemus; quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit niue, pruinaque, longinquo solis abscessu. quae, si mundus est deus, quoniam partes mundi sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. Atque haec quidem uestra, Lucili, qualia uero sint, ab ultimo repetam superiorum.*

EXPLANATIO

PALMARIS } sententia digna palma, siue uictoria. Est autem Epicuri locutio ironica. SEMPITERNVM } Plato mundum credidit certo tempore coepisse quidem, sed sempiternum fore dixit. VT *dicitur* } Vt est in prouerbio. PHYSIOLOGIAM, } Post hanc uocem sequebatur, id est, naturae rationem: quod induximus, uidentes glossam esse, ab aliquo adiectam, qui Physiologiam interpretaretur. Haec Paullus pater. QVI *quidquam* } Epicuri argumentatio contra perpetuitatem mundi, quidquid ortum est, non est aeternum sed iterum aliquando interit, Mundus est ortus secundum Platonem, Igitur non est aeternus. COAGMENTATIO } Compositio. Πρόνοια *uero* } Refutatio Prouidentiae Stoicorum. DESIGNATIONEM } modulum. SIN *alia* } alterius naturae. EXSTITERINT } apparuerint ad aedificandum mundum. INNVMERABILIA *saecula* } Finem, siue terminum, qui continet tempus, siue motum uitae cuiuslibet rei uiuae, antiqui dixerunt esse saeculū illius rei. Et secundum hunc modum caelum finiens, & continens totum tempus perpetuum dicitur saeculū saeculorum. Hinc Aristoteles, de Caelo agens libro primo, inquit, Vita illic est semper permanens, perpetua secundum perpetuitatem saeculi saeculorum, quod non habet finem. A Graecis αἰὼν dicitur, hoc est semper existens. SED *fuit* } Aperit mentem suam de saeculis, atque temporibus. CIRCVMSCRIPTIO } mensuratio, cōprehensio. ISTO *igitur tam* } Epicuri argumentum contra Stoicam prouidentiam, Si est prouidentia, non est otiosa, sed ante mundum conditum fuit, otiosa, Igitur non est prouidentia. CESSAVERIT } otiosa fuerit. NEC *erat ullus* } scilicet, labor. OMNES *naturae* } omnes uires seminariae. CAELVM } sublimis aer, ambiēs omnia. QVID *autem erat* } de consilio, seu caussa finali condendi mundi a Deo. MVNDVM } uniuersam naturam. SIGNIS, } quibusdam impressionibus quasi characteribus ut est uia lactea, ET *luminibus* } astris lucentibus, ceu lumina. TAMQVAM *aedilis* } Ita apud Romanos uocabatur is; qui templa ornabat, & spectacula. GVRGVSTIO } habitatione angusta: ita Pompeius exposuit. FERE } quasi omnes. idem in Catone: Memini in illum sermonem incidere, qui ferme erat in ore. BENEMERETVR: } confert beneficia } in eos, qui indigni sunt. COMMODORVM } uirtutum, quae bona sunt sapientum. FERRE } aequo animo tolerare. QVI *uero* } deridet eos, qui mundo animam dederunt. INTELLIGENTES } quod intelligerent. DE *quo* } nempe de forma apta animae recipiendae. HACTENVS } in hac saltem parte. TARDITATEM } hebetudinem. ET *rotundum esse uelint* } Mundi figura rotunda impugnatur. CYLINDRI, } is habet rotunditatem in longitudine, ut est columna. QVADRATI, } Quadratum quattuor habet latera, & aequales angulos quattuor. CONI } Conus rotunditatem habet fastigiatam, sine lateribus, quales sunt fructus arboris pinus. PYRAMIDIS, } Pyramis est moles quadrangularis, in acutum assurgens. CONTORQVEATVR } rotetur, cōuoluatur. IN *qua non uideo* } Ita arguit Velleius, Motus, siue conuersio celerrima impedit collectionem. Deus conuertitur inaestimanda celeritate secundum Platonem. Igitur nulla est constans, & beata uita. MENS *constans* } tranquilla, sedata, secura, immobilis. INSISTERE. } quiescere. SIGNIFICETVR } imprimatur quasi signis aut characteribus: ut paullo supra dictum est. TERRA *enim* } absurda, ex dato inconuenienti. INCVLTAS } desertas.

fertas. Appvlsv ʒ accessu. Qvalia ʒ cuius naturae. *Ab ultimo superiorum* ʒ ab ultimo elementorum; quae paullo supra enumeranit hoc ordine, Caelum, ignes, terrae, maria. quare dicit, se primo de aqua quaesiturum, quam Thales Milesius, cum de ea quaesiuisset, dixit esse initium rerum. Homerus etiam Oceanum uocat deorum, atque hominum patrem.

CICERO

Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesiuit, aquam dixit esse initium rerum; Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Si dij possunt esse sine sensu, & mente; cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest uacans corpore? Anaximandri autem opinio est, natiuos esse deos, longis interuallis orientes, occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos. sed nos deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus? Post Anaximenes aera deum statuit, eumq. gigni, esseq. immensum, & infinitum, & semper in motu. quasi aut aer sine ulla forma deus esse possit, cum praesertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie esse deceat; aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem, & modum mentis infinitae ui, ac ratione designari, & confici uoluit. in quo non uidit, neque motum sensui coniunctum & cõtinentem in infinito ullum esse posse, neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. deinde, si mẽtem istam quasi animal aliquod esse uoluit; erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. quid autem interius mente? cingitur igitur corpore externo. quod quoniam non placet; aperta simplexq. mens, nulla re adiuncta, quae sentire possit, fugere intelligentiae nostrae uim & notionem uidetur. Crotoniates autem Alcmaeo, qui soli, et lunae, reliquisq. sideribus, animoq. praeterea diuinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare. Nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum, et commeantem, ex quo nostri animi caperentur, non uidit detractione humanorum animorum discerpi, & dilacerari deum; &, cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri non potest. cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus? quo modo porro deus iste, si nihil esset, nisi animus, aut infixus, aut infusus esset in mundo? Tum Xenophanes, qui, mente adiuncta, omne praeterea, quod esset infinitum, deum uoluit esse, de ipsa mente ita reprehenditur, ut ceteri; de infinitate autem uehementius, in qua nihil neque sentiens, neque coniunctum esse potest. Nam Parmenides commenticium quidam coronae similitudine efficit: Stephanem appellat, continentem ardore lucis orbem, qui cingit caelum, quem appellat deum. in quo neque figuram diuinam, neque sensum quisquam suspicari potest. multaq. eiusdem monstra, quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatẽ, ceteraq. generis eiusdem ad deum reuocat: quae uel morbo, uel somno, uel obliuione, uel uetustate delentur. eademq. de sideribus. quae reprehensa iam in alio, in hoc omittantur. Empedocles autem, multa alia peccans, in deorum opinione turpissime labitur. quattuor enim naturas, ex quibus omnia constare uult, diuinas esse censet; quas et nasci, & exstingui perspicuum est, et sensu omni carere. Nec uero Protagoras, qui sese negat omnino de dijs habere quod liqueat, sint, non sint, qualesue sint, quidquam uidetur de natura deorum suspicari. Quid Democritus? qui tum imagines, earumq. circuitus in deorum numero refert; tum illam naturam, quae imagines fundat, ac mittat; tum scientiam, intelligentiamq. nostram; nonne in maximo errore uersatur? cum idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quidquam sempiternum; nonne deum ita tollit omnino, ut nullam opinionem eius reliquam faciat? Quid aer? quo Diogenes Apolloniates utitur deo; quem sensum habere potest, aut quam formam dei?

EXPLANATIO

Sine *sensu* ʒ sine natura sensibili. Cvr *aquae adiunxit*, ʒ quasi dicat, Thales, in eo, quod deum aquae adiunxit, uidetur sentire, deum esse non posse sine corpore sensibili. quare dissolubilem deum introducit, nõ autem sempiternum. Sed *nos* ʒ scilicet Epicurei. nam horum sectam tuetur Velleius. Qvi ʒ quo modo. Infinitvm ʒ incomprehensum. Qvasi *aut aer* ʒ Ex Epicureorum sententia, qui ex omnibus formis humanam tamquam pulcherrimam attribuũt deo. Velleius negat aerem, cum nullam habeat formã, esse posse deũ, ut opinatus est Anaximenes. Conseqvatvr ʒ quoniam omnia orta consequenter occidere cognoscimus. Disciplinam ʒ de deo, cuiusmodi sit. Omnivm *rerum* ʒ uniuersae naturae. Descriptionem, *& modum* ʒ ambitum, & mensuram. Mentis *infinitae ui* ʒ efficacia intellectus omnia comprehendentis. Ac *ratione* ʒ & discursu. In *quo non uidit* ʒ In qua sententia de diuina mente, non perspexit. Neqve *motum sensui coniunctum* ʒ discursum illum non esse de re sensibili. Et *continentem* ʒ descriptionem, & modum. In *infinito* ʒ in mente, quam infinitam esse dicit. Neqve *sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret* ʒ Neque inquit, animaduertit, id omnino non posse esse sensibile, quo anima non sentiret, si pulsaretur. Quod perinde est, ac si dicat Velleius, Non potest igitur aliquo modo Anaxagoras ponere, mentem simplicem, nulla re adiuncta, quae sentire possit. Qvod ʒ quae consequentia a nobis facta. Qvoniam *non placet*; ʒ Anaxagorae scilicet. Qvae *sentire possit*, ʒ ut uult ipse Anaxagoras. Notionem ʒ quae sensibus innititur. Crotoniates *Alcmaeo*, ʒ Pythagoricus fuit e Crotone clara quondam Calabriae urbe, sita ad mare: eodem lapsu cum Thalete simplicissimam mentem speculatur in mistis. Pythagoras ʒ hic Samius fuit, ut alibi.

PER *omnem naturam* ʒ per omnes res, ortui, atque casui obnoxias. INTENTVM ʒ inclusum, immistum. NOSTRI ʒ humani. INFVSVS ʒ immistus, cum animus nullum habeat corpus. XENOPHANES ʒ Colophonius fuit. De eodem Cicero in Lucullo ita scribit: Xenophanes, unum omnia, neque id esse mutabile, & id esse deum neque natum usquam, & sempiternum conglobata figura. REPREHENDITVR *ut ceteri*, ʒ qui mentem, quam speculabantur in mistis, dixerunt esse posse sine corpore. DE *infinitate* ʒ de ui mentis incomprehensae, & abstractae a sensibilibus. VEHEMENTIVS; ʒ quia in infinitate nihil est sentiens, neque coniunctum esse potest, quemadmodum paullo superius dictum est, cum de Anaxagorae sententia ageretur. PARMENIDES ʒ Italus fuit, ex Elea, urbe Lucaniae. COMMENTICIVM ʒ confictum, ut potius de re arti subiecta, quam de diuino opificio locutus uideatur. STEPHANEM ʒ Stephane Graece montis uerticem significat. Stephanos uero coronam. CONTINENTEM *orbem*, ʒ supremum ambitum, quem alii mentem infinitam dixere. ARDORE *lucis* ʒ subaudi, praeditum, uel ornatum, quem ardorem efficaciam & uim mentis infinitae nominauit Anaxagoras. QVEM ʒ supremum orbem, lucis ardore ornatum. EMPEDOCLES ʒ Hic quattuor elementa constituit rerum principia, quae etiamsi diuina appellet, non iccirco tamen sunt deus ipse. IN *quo* ʒ In qua Parmenidis sententia de deo. MVLTAQ. *eiusdem monstra* ʒ hoc est, sunt etiam alia multa eiusdem Parmenidis inepte deo attributa. IN *alio* ʒ in Alcmaeone, qui sideribus diuinitatem dedit. IN *hoc* ʒ Parmenide reprehendendo. EMPEDOCLES ʒ Hic Agragantinus fuit, de quo Lucretius,

quorum

Agragantinus cum primis Empedocles est,
Insula quem triquetris terrarum gessit in oris. &c.

LABITVR ʒ in errorem. QVATTVOR *naturas* ʒ quattuor elementa, ex quibus constant quaecumque oriuntur, & intereunt. PROTAGORAS, Abderites. QVOD *liqueat* ʒ quod clarum, & certum sit. QVIDQVAM *suspicari*. ʒ nec minimam suspicionem habere: Verebatur impius Atheniensium cicutam. DEMOCRITVS? ʒ Abderites fuit, ut alibi non semel dictum est. Hic parum sibi ipsi constans, nunc astra, eorumque orbes refert in deorum numerum: nunc quandam uim, quae in corporea natura, motui scilicet obnoxia, perficiat astra, atque naturali lege dirigat illa ad actiones suas: nunc uero hominum notionem, & intelligentiam, diuinam esse dicit. DIOGENES *Apolloniates* ʒ ex Apollonia urbe Illyrica, quae nunc Vallona dicitur. SENSVM ʒ iudicium, & cognitionem sensitiuam, quae est per corpus naturale. FORMAM *deis* ʒ Deo dignam.

C I C E R O

IAM de Platonis inconstantia longum est dicere: qui in Timaeo, patrem huius mũdi nominari, negat, posse; in legum autem libris, quid sit omnino deus, inquiri oportere non censet. quod uero sine corpore ullo deum uult esse, ut Graeci dicunt, ἀσώματον id quale esse possit, intelligi non potest. careat enim sensu, necesse est, careat prudentia, careat uoluptate: quae omnia una cum deorum notione comprehendimus. Idem & in Timaeo dicit, & in legibus, & mundum deum esse, & caelum, & astra, & terram, et animos, & eos, quos maiorũ institutis accepimus: quae & per se sunt falsa perspicue, & inter sese uehementer repugnantia. Atque etiam Xenophon paucioribus uerbis eadem fere peccat: facit enim in iis, quae a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam dei quaeri non oportere, eundemq. & solem, & animum deum dicere, & modo unum, tum autem plures deos. quae sunt iisdem in erratis fere, quibus ea, quae de Platone dicimus. Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui physicus inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicens, tollit uim & naturã deorum. Nec multo secus Speusippus, Platonẽ auunculum subsequens, & uim quandam dicens, qua omnia regantur, eamq. animalem, euellere ex animis conatur cognitionem deorum. Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone uno dissentiens: modo enim menti tribuit omnẽ diuinitatem; modo mundum ipsum deum dicit esse; modo quendam alium praeficit mundo; eiq. eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam motum regat, atque tueatur. tum caeli ardorem deum dicit esse, non intelligens, caelum mundi esse partem; quem alio loco ipse designarit deum. quo modo autem caeli diuinus ille sensus in celeritate tanta cõseruari potest? ubi deinde illi tot dii; si numeramus etiam caelum deum? cum autem sine corpore idem uult esse deum, omni illum sensu priuat, & prudentia. quo porro modo mundus moueri potest carens corpore? aut quo modo, semper se mouens, esse quietus, & beatus potest? Nec uero eius cõdiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior: in cuius libris, qui sunt de natura deorum, nulla species diuina describitur. deos enim octo esse dicit; quinque eos, qui in stellis uagi nominantur; unum, qui ex omnibus sideribus, quae infixa caelo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus; septimum solem adiungit, octauamq. lunã. qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest. Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros. & tamen modo mundum, tum mentem diuinam esse putat: errantibus etiam stellis diuinitatẽ tribuit, sensuq. deum priuat, & eius formam mutabilem esse uult: eodemq. libro rursus terram, & caelum refert in deos. Nec uero Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim mẽti diuinum tribuit principatum, modo caelo, tum autem signis, sideribusq. caelestibus. Nec audiendus eius auditor Strato, is, qui physicus appellatur; qui omnem uim diuinam in natura sitam esse cẽset, quae causas gignendi, augendi, minuendi ne habeat, sed careat omni sensu, & figura.

EXPLANATIO

INCONSTANTIA } uarietate, fluctuatione. NOMINARI } Platonis uerba haec sunt: Opificem quidem, & patrem mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris praedicare, ac eloqui uulgo impossibile est. INQUIRI } diligenter, & curiose inuestigari. SINE *corpore ullo* } Aut hoc uidetur abundare, aut illud, Vt Graeci dicunt *ἀσώματον*. alioqui esset, ut ego quidem sentio, inepta satis, minimeq. necessaria interpretatio. INTELLIGI *non potest* } ita paullo supra contra Anaxagoram: Aperta, simplexq. mens, nulla re adiuncta, quae sentire possit, fugere intelligentiae nostrae uim & notionem uidetur. CAREAT *uoluptate:* } suspectum est mihi uerbum Voluptate, & eo magis, quod paullo post non nominatur in deo uoluptas, & tantum sensus & prudentia, quamquam hic, praeter sensum, & prudentiam, tertium aliquid requiri, ex eo liquet, quia sequitur, Quae omnia. nam de duobus, Omnia, non dicitur. ET *astra*, } Platonis uerba haec sunt: Itaque omnibus his de caussis opifex deus mundum beatum deum effecit: astra etiam erroris experuia, quae diuina animalia sunt: terram autem altricem nostram esse uoluit, necnon primam antiquissimamq. deorum omniũ, qui intra caelum geniti sunt: ceterorum uero, qui daemones appellantur, & cognoscere, & enunciare ortum maius est opus, quam ferre nostrum ualeat ingenium. Priscis itaque uiris hac in re credendum est, qui dijs geniti, ut ipsi dicebant, parentes suos optime nouerunt. REPUGNANTIA. } contraria. nam mortalibus diuinitatem attribuit, & tamen uult deum esse posse sine corpore. FACIT } inducit. IN *ijs quae a Socrate dicta retulit*, } nempe in libris quattuor, qui inscribuntur, De dictis, & factis a Socrate memoratu dignis. ET *solem, & animum deum dicere* } sunt, qui uocem Graecam, *ἥλιος*, quae solem significat, ex hebraea, El, quae deum designat, factam esse dicant; sed ij Deum creatorem in creaturam transformare, uidentur. ERRATIS } lapsibus, & falsis opinionibus quales Platonicae sunt. ANTISTHENES } hic Atheniensis fuit. POPULARES } populorum institutis consecratos. EAMQ. *animalem*, } uim omnia regentem, cum dicat esse animalem, hoc est, sentire posse. EUELLERE } exstirpare. Ex *animis* } quos Epicurei sensibili corpore circumdãt: cum nequeant persuaderi animam sine corpore sensibili posse constare, & sentire. IN *tertio de philosophia libro* } Aristoteli deus est *νοῦς θεῖος τῶν ἁπάντων πρεσβύτατος*, mens diuina omnium antiquissima, hanc uocat etiam primum mouens, seu caussam siue principium primum, a quo omnia procedant, & in quo unice acquiscendum sit. In lib. de mundo asseuerat deum omnia creauisse, eademq. etiamnum gubernare, & seruare, nec per ministros instar magni Persarum regis mundum administrare, sed uirtute sua praesentem rebus cunctis adesse. UNO } una re: in ceteris enim dicebat idem, quod Plato. MENTI } ambitu suo intelligenti, & complectenti. QUENDAM *alium praeficit mundo* } hoc est, Aristoteles praeter omnem diuinitatem, quam (ut Plato uult) ipsa mens ambitu suo complectitur, alium quoque deum esse censuit. quem etiam mundo praefecit. Ad huius rei intelligentiam prodesse poterunt, quae in Tusc. I. sic leguntur: Aristoteless, longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans & ingenio, & diligentia, cum quattuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. cogitare enim, & prouidere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminisse; amare, odisse; cupere, timere; angi, laetari; haec, & similia eorum, in horum quattuor generum nullo inesse putat: quinctum genus adhibet uacans nomine; & sic ipsum animum *ἐντελέχειαν* appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem. EAS *partes* } eam prouinciam, & curam. REPLICATIONE } reuolutione. ARDOREM } ignem. CAELUM } quo omnia complexus est. MUNDI *esse partem;* } siquidem eo complexu omnia unum sunt. quod est maximum illud antiquorum chaos. DESIGNAUERIT } descripserit esse deum. DIUINUS *ille sensus* } deus ille rector mundani motus, cui Aristoteles adiecit corpoream naturam, in qua exercet sensus. TANTA } tam magna. hoc ideo dicit, quoniam Epicurei diuinam hanc naturam opinabantur otiosam, quietam, & feriatam. UBI } in quo loco. SENSU *priuat* } quia in corpore exercentur sensus, & ea omnia, quae paullo supra relata sunt ex Tusc. I. XENOCRATES } fuit Chalcedonius, & ipse Platonis discipulus. IN *hoc genere* } opinandi de natura deorum. NEC *prudentior* } in sensibili corpori prudentiam exerceri paullo supra dixit Velleius: prudentia igitur caruisse uidetur Xenocrates, qui dijs, quos octo esse censebat, non adiunxerit sensibilem naturam, in qua beati esse possent, & intelligi beati cum in sensuum uoluptate Epicurei statuant summum bonum. QUINQUE *eos, qui in stellis uagis* } Saturno, Ioue, Marte, Venere, Mercurio. REPERSIT } repleuit. TUM } modo, interdum. SENSUQ. } sensibili natura corporea. FORMAM } speciem, effigiem, imaginem. MUTABILEM } uariabilem. puerile est, inquit, dicere uariabilem, quem constituas absque natura corporea, in qua spectari & sensu cognosci possit uariabilis. IN *deos* } in numerum deorum. qua in re etiam inconstantiae argui potest. INCONSTANTIA } leuitas, fluctuatio. SIGNIS } Imaginibus stellarum in caelo notatis, atque Zodiaco, quem Latine signiferum dicimus. STRATO } Is Lampsacenus fuit, & physicus, ideo dictus, quoniã prae ceteris uersatus est in speculatione naturae sensibilis. QUI *omnem uim diuinam in natura* } Strato credidit deum non esse essentiam secretam a creaturis, sed concretam, seu infusam, toti naturae uim, qua omnia agitentur. In hac opinione multi fuere philosophi, ut Pythagoras, cuius sententiam sic exprimit Virgil. in VI. Aeneid.

totamq. infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.

Putarunt enim deum esse animam mundi, & mundum, omnesq. eius partes esse corpus, & membra dei. SED

careat omni sensu; ac si dicat, Ideo non audiendus est strato, quia cum neget in deo sensum, necesse est ut neget prudentiam, neget & uoluptatem, quae omnia una cum deorum notione comprehendimus.

CICERO

ZENO *autem (ut iam ad uestros, Balbe, ueniam) naturalem legem diuinam esse censet, eamq. uim obtinere recta imperantem, prohibentemq. contraria. quam legem quo modo efficiat animantem, intelligere non possumus: deum autem animantem certe uolumus esse. atque hic idem alio loco aethera deum dicit: si intelligi potest nihil sentiens deus, qui numquã nobis occurrit neque in precibus, neque in optatis, neque in uotis. Alijs autem libris rationem quandam per omnem pertinentem naturam, ut diuinam, esse affectam putat. Idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus, annorumq. mutationibus. cum uero Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino insitas, perceptasq. cognitiones deorum: neque enim Iouem, neque Iunonem, neque Vestam, neque quemquam, qui ita appelletur, in deorum habet numero; sed rebus inanimatis, atque mutis per quandam significationem haec docet tributa nomina. Cuius discipuli Aristonis non minus magno in errore sententia est; qui neque formam dei intelligi posse censeat; neque in dijs sensum esse dicat; dubitetq. omnino, deus animans, nec ne sit. Cleanthes autem, qui Zenonem audiuit una cum eo, quem proxime nominaui, tum ipsum mundũ deum dicit esse; tũ totius naturae menti, atque animo hoc nomen tribuit; tum ultimum, & altissimum, atque undique circumfusum, & extremum, omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat. Idem, quasi delirans, in ijs libris, quos scripsit contra uoluptatem, tum fingit formam quandam, & speciem deorum; tum diuinitatem omnem tribuit astris; tum nihil ratione censet esse diuinius. Ita fit, ut deus ille, quem mente noscimus, atque in animi notione, tamquam in uestigio, uolumus reponere, nusquam prorsus appareat. At Perseus, eiusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad uitae cultum esset inuenta; ipsasq. res utiles, & salutares deorum esse uocabulis nuncupatas: ut ne hoc quidem diceret, illa inuenta esse deorum, sed ipsa diuina. quo quid absurdius, quam aut res sordidas, atque deformes deorum honore afficere; aut homines, iam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu? Iam uero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum uaferrimus habetur interpres, magnam tur bam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare possimus: cum mens nostra quiduis uideatur cogitatione posse depingere. ait enim, uim diuinam in ratione esse positam, & uniuersae naturae animo, atque mente: ipsumq. mundum deum dicit esse, & eius animi fusionem uniuersam: tum eius ipsius principatum, qui in mente & ratione uersetur, communemq. rerum naturam uniuersa, atque omnia continẽtem, tum fatalem umbram, & necessitatem rerum futurarum: ignem praeterea, & eum, quem antea dixi, aethera: tum ea, quae natura fluerent, atque manarent, ut aquam, & terram, & aera, solem, lunam, sidera, uniuersitatemq. rerum, qua omnia con tinerentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. Idemq. disputat, aethera esse eum, quem homines Iouem appellarent; quiq. aer per maria manaret, eum esse Neptunum: terrã, eam, quae Ceres diceretur, similiq. ratione prosequi tur uocabula reliquorum deorum. idemq. etiam legis perpetuae, & aeternae uim, quae quasi dux uitae, & magistra officiorum sit, Iouem dicit esse: eandemq. fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum ueritatem. quorum nihil tale est, ut in eo uis diuina inesse uideatur. Et haec quidem in primo libro de natura deorum: in secundo autem uult Orphei, Musaei, Hesiodi, Homeriq. fabellas accommodare ad ea. quae ipse primo libro de dijs immortalibus dixerit: ut etiã ueterrimi poetae, qui haec ne suspicati quidẽ sint, Stoici fuisse uideantur. quem Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerua, partum Iouis, ortumq. uirginis ad physiologiam traducens, disiungit a fabula.*

EXPLANATIO

ZENO } fuit Cyprius, ex urbe Citio, unde Citieus princeps Stoicorum. hic quoque effectum pro causa habuit, ignorans alium deum praeter rationis humanae qualecumque lumen & dictamen facienda, & non facienda demonstrans. NATVRALEM *legem diuinam &c.* } Censet Zeno naturalem legem esse diuinam uim corporea natura comprehensam, & in eadem imperantem recta, & prohibentem contraria, ipsamq. naturam, hoc est essentiam corpoream appellat legem. Sed quamuis Zeno diuinam uim induat natura corporea, non perinde sequitue, ut induat eam corpore sensibili siue pulsabili: quod tamen illi tribuendum censent Epicurei. non enim cognoscunt uim diuinam nisi sensibili corpori adiunctam, ut in ipso exaudire possit sensibilium preces. cum similia similibus congrediantur. AETHERA } ardentem aerem. SI *intelligi potest* } deridet opinionem Zenonis, ac si dicat, non posse intelligi deum illum qualemcumque statuat, nisi sentiat, & sensibilis sit: quia eiusmodi deus nihil sentiens non concipitur in animo, cum ad deum preces effundimus, optantes ab eo aliquid, aut uouentes promittimus ei aliquid: frustra enim deprecaremur non exaudientem. RATIONEM } uersatilem scientiam diffusam per sibi con-

bi conuenientem naturam, a qua perfecte detinetur, & in ea moderatur omnia; imperando scilicet recta, & prohibendo contraria. Vt autem eam rationem putat esse diuinam, ita & affectam putat qualitatibus naturalibus. VT *diuinam, esse affectam putat* } Vt diuina esse affectam putat, & apertius esset, &, ut puto, uerius, nec insigni tamen mutatione. Haec Paullus pater. ASTRIS *hoc idem tribuit* } nempe qualitates naturales motui obnoxias, quas alibi tribuit etiam rationi. THEOGONIAM, *id est originem deorum* } Hic quoque glossa fuit: nam illud, Id est originem deorum, quis nõ uidet adscriptum fuisse, ut Theogoniae significatio ostenderetur? qua ratione adducti deleuimus, eo libentius, quod quibusdam in antiquis libris expositio illa non est. Haec Paullus pater. VSITATAS, *perceptas cognitiones.* } Rectius, quod reposui, Insitas, perceptasq. cognitiones. nam & in Maffei libro ita legitur: & infra etiam, Insitas, dixit, deorum cognitiones habemus. Et alibi non semel. Atque etiam Lucretius, Vnde (inquit libro 5.) Insita notities est Vtilitatis. Haec Paullus pater. TOLLIT *insitas, perceptas q. cognitiones deorum* } remouet omnia, quae sensibilem nobis cognitionem deorum exhibere possint, cum sensibiles deos non recenseat in numero deorum. PER *quandam significationem*, } informationem. ARISTONIS } Is fuit Ceius, siue Cius, a Cea insula prope Euboeam, & a Zenone persuasus, posse per naturam uniuersam inferi, & tolli rebus insensibilibus animantes deos, non solum abstulit ea, per quae illos sentire possemus, sed ea quoque, per quae intelligere: censuit enim deos proprie esse sine forma, & sensu: omninoq. dubitauit, an deus animans habeat essentiam. DEVS *animans* } cuius est insensibile pulsando animare. CLEANTHES } Is fuit ex Asso, Troadis urbe, & Zenonis successor in schola, & disciplina Stoica. CVM eo } cum Aristone. TVM } modo, interdum, aliquando. Arguitur Cleanthis inconstantia. Is enim mundum appellat deum. alibi diuinum nomen animo tribuit, atque menti, sempiternae scilicet naturae, quae ambit omnia. alibi uero extremum ipsum omnia cingentem circulum, atque complexum ardorem, Ignitum scilicet aerem, qui etiam aether dicitur, certissimum deum esse iudicat. Idem etiam differens contra uoluptatem, fingit deorum speciem quandam. Praeterea diuinitatem omnem attribuit astris. Demum nihil ratione censet diuinius. In hoc autem Anaxagoras delirare uidetur, inquit Velleius, quod ubique statuit deum, qui tamen nusquam apparere possit. Epiphonema est, commonefaciens Lectorem de horrenda, & miseranda caligine mentium humanarum. IN *animi notione*; } in mente. TAMQVAM *in uestigio* } in ambiente circulo. REPONERE, } collocare, ut certam & ueram dei notionem habeamus. AT *Perseus*, } Perseus Citieus popularis Zenonis auditor fuit. Hic quoque effectus dei bonos pro ipso deo posuit. CVLTVM, } ornatum, & utilitatem. ABSVRDIVS } ineptius, inconuenientius, rationi non consonans. SORDIDAS } abiectas. DEFORMES, } turpes. HOMINES *iam morte deletos* } Errores de morte deorum & hominum post mortem in deos relatione saniores prisci refutarunt. Epimenides pie inquit

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ τὸν τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Cretenses semper mẽdaces, quia sepulcrum, o rex, tuum, Cretenses fabricarunt, tu uero non es morti obnoxius, sed semper uiuis. IN *deos* } in deorum numerum. CVLTVS } conueniens ueneratio. IN *luctu*? } nam mortuorum cultui nil magis conuenit, quam lacrymae. CHRYSIPPVS } Is fuit Solensis. SOMNIORVM } uanarum opinionum de natura deorum: talem enim illis tribuit naturam, quae, ceu somniantium uisa, nullam habeat realem subsistentiam, & firmitatem. VAFERRIMVS *interpres* } enarrator acerrimus, ac uersatilis. MAGNAM *turbam* } Varro supra triginta millia commenticiorum numinum meminit. IGNOTORVM *deorũ* } infimi, & obscuri generis. CONIECTVRA } ratiocinatione, collatione uestigiorum, quae de illis dijs nobis obtulit Chrysippus. INFORMARE } a deformitate ad formam traducere. CVM } etiamsi. VIM *diuinam* } supremam uim. IN *ratione* } recta scilicet, ad bonum tendente. ESSE *positam* } esse insitam. ET *uniuerso naturae animo* } & in animo diffuso per uniuersam naturae molem. ATQVE *mente* } & intelligentia, supremo scilicet circulo, cetera iam dicta ambiente. IPSVMQ. *mundum* } ipsamq. uniuersam naturam animatam. ET *eius animi fusionem uniuersam* } & ipsum animum fusum per uniuersam naturam. TVM } aliquando, inquit, congregat. EIVS *ipsius* } animi, scilicet. PRINCIPATVM } uim. QVI *in mente, & ratione uersetur*, } qui animus in supremo ambitu principatum gerat, & ad bonum ratione quadam dirigat. CONTINENTEM } quasi glutino, & constantia quadam. TVM } aliquando etiam congregat. FATALEM *umbram & necessitatem, &c.* } Ita nominare uidetur Chrysippus irrationalem motum. QVEM *antea dixi, aethera*: } Supremum ambitum, ex quo & igne fit aether, de quo supra dictum est. NATVRA } sponte, naturali motu fluerent. ATQVE *manerent*, } constanter perseuerarent, ut Terra. VNIVERSITATEM *rerum* } caelumq. OMNIA *continerentur* } omnis mundus comprehenderetur. IDEMQ. *disputat* } scilicet, Chrysippus disputando asserit. MANARET } sublaberetur. SIMILIQ. *ratione* } pari modo. PERSEQVITVR } subaudi declarare, interpretari. OFFICIORVM } honestarum actionum. EANDEMQ. } uim legis perpetuae, & aeternae, quae, &c. VETERRIMI } antiquissimi. SVSPICATI } leuiter opinati. STOICI *fuisse uideantur* } E stomacho dicit hoc Velleius. DIOGANES *Babylonius* } Hic Diogenes Stoicus e Seleucia fuit, attamen propter uicinitatem Babylonius dictus est. ORTVM *Iouis, partumq. uirginis* } Dicunt fabulae, Vulcanum securi caput Iouis dissecuisse, indeq. exsilijsse puellam armatam, quae Minerua inuentrix artium dicitur. Fabula indicat, Iouem, qui diuinus est animus, inferioribus prospiciens, sapientiam in se abditam habere, quae de potentia ad actum deduci nullo modo possit, sine instrumentis congruis: iccirco Vulcania securi, nimirum recta ratione quasi Lucina de tenebris ad lucem deducta est. PHYSIOLOGIAM } naturalium rerum sermonem. DISIVNGIT *a fabula* } ostendens non esse fabulam, sed naturae opus.

CICERO

EXPOSVI fere non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia. nec enim multo absurdiora sunt ea, quae poetarum uocibus fusa, ipsa suauitate nocuerunt: qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos; feceruntq. ut eorum bella, pugnas, proelia, uulnera uideremus, odia praeterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querellas, lamētationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, uincula, cum humano genere concubitus, mortalesq. ex immortali procreatos. Cum poetarum autem errore coniungere licet portenta magorum, Aegyptiorumq. in eodem genere dementiam; tum etiam uulgi opiniones, quae in maxima inconstantia, ueritatis ignoratione, uersantur. Ea, qui consideret, quam inconsulte ac temere dicantur, uenerari Epicurum, & in eorum ipsorum numero, de quibus haec quaestio est, habere debeat. solus enim uidit, primum, esse deos; quod in omnium animis eorum notionē impressisset ipsa natura: quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat, sine doctrina, anticipationem quandam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari possit. cuius rationis uim, atque utilitatem ex illo caelesti Epicuri de regula, & iudicio uolumine accepimus. Quod igitur fundamentum huius quaestionis est, id praeclare iactum uidetis. cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta; maneatq. ad unum omnium firma consensio: intelligi necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, uel potius innatas cognitiones habemus. de quo autē omnium natura consentit, id uerum esse necesse est. esse igitur deos, confitendum est. quod quoniam fere constat inter omnes non philosophos solum, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere siue anticipationem, ut ante dixi, siue praenotionem deorum. sunt enim rebus nouis noua ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellauit, quā antea nemo eo uerbo nominarat. hanc igitur habemus, ut deos beatos, & immortales putemur. quae enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos, & beatos haberemus. quod si ita est; uere exposita illa sententia est ab Epicuro; quod aeternum, beatūq. sit, id nec habere ipsum negotij quidquam, nec exhibere alteri; itaque neque ira, neque gratia teneri; quod, quae talia essent, imbecilla essent omnia. Si nihil aliud quaereremus, nisi ut deos pie coleremus, & ut superstitionē liberaremur; satis erat dictum. nam & praestans deorum natura hominum pietate coleretur, cum & aeterna esset, & beatissima; habet enim uenerationem iustam, quidquid excellit: & metus omnis aui, atque ira deorum pulsus esset; intelligitur enim, a beata, immortaliq. natura & iram, & gratiā segregari; quibus remotis, nullos a superis impendere metus. sed ad hanc confirmandam opinionem inquirit animus & formam, & uitam, & actionem mentis, atque agitationem in deo. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. nam a natura habemus omnes omnium gentium, speciem nullam aliam, nisi humanam, deorum. quae enim alia forma occurrit umquam aut uigilanti cuiquam, aut dormienti? sed, ne omnia reuocētur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. nam, cum, praestantissimam naturam, uel quia beata est, uel quia sempiterna, conuenire uideatur, eandem esse pulcherrimā; quae compositio membrorum, quae conformatio lineamentorum, quae figura, quae species humana potest esse pulchrior? nos quidem, Lucili, soletis, (nam Cotta meus modo hoc, modo illud) cum artificium effingitis, fabricamq. diuinam, quam sint omnia in hominis figura non modo ad usum, uerum etiam ad uenustatem apta, describere. quod si omnium animantium formam uincit hominum figura, deus autem animans est: ea figura profecto est, quae pulcherrima sit omnium. quoniamq. deos beatissimos esse cōstat; beatus autem esse sine uirtute nemo potest, nec uirtus sine ratione constare, nec ratio usquam inesse, nisi in hominis figura: hominis esse specie deos confitendū est. nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus; nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem.

EXPLANATIO

FERE } quasi omnia. ABSVRDIORA } irrationabiliora. POETARVM *uocibus* } Poetarum figmenta, & argumenta de deorum moribus, & actionibus flagitiosis cōtumeliosa est aduersus deum, & perniciosa moribus humanis. SVAVITATE } iucunditate numerorum, & cantibus. PORTENTA } superstitiones. quas quasi uelaturam sapientiae commenti sunt Magi. MAGORVM } Qui in physicis essent, sapientes, Magos appellabant Persae, apud quos ea sapientia adeo inualuit, ut & regum legibus imperitaret, & nomen ipsum, cum sapientia etiam nationes quandoque transire potuerit, & remaneret. Sunt, qui Magos, quasi Magnos dici arbitrentur, ob magnitudinem admirabilium, quae ab eiusmodi peritis patrantur. IN *eo genere* } opinandi. VVLGI } imperitae multitudinis. INCONSTANTIA } fluctuatione opinionum. EA *qui consideret* } Epicurus, reiectis aliorum opinionibus, suam solius commendat. INCONSVLTE } absque consilio, imprudenter. TEMERE } irrationabiliter. EORVM *ipsorum* } scilicet deorum. HABERE *debeat* } habere tenetur. SOLVS *enim uidit* } Epicuri affirmatio de dijs, ex naturalibus notitiis, in mentibus hominum. ANTICIPATIONEM } praenotionem. de qua Laertius in Epicuro, Simul atque homo nominatur, continuo per anticipationem forma etiam illius intelligitur, praecedentibus ac ducibus sensib. neque enim profecto quaereremus, quod inquirimus, nisi prius illud nouissemus. INFORMATIONEM, } effigiationem. CAELESTI } diuino, uerissimo. FVNDAMENTVM } principium. AD *unum* } usque ad unum. INTELLIGI *necesse est*, } Confirmatio ex

causa

caussa efficiente, hoc est, ex communi hominum iudicio, atque consensu. INSITAS } infixas. INNATAS } connaturales. FERE constat } quasi firmum est, & conuenit. REBVS } opinionibus, & sententiis. EO uerbo } tali appellatione. VT deos beatos } Qualis sit deus secundum Epicurum, nempe aeternus, & beatus. QVOD aeternum } Hanc Epicuri sententiam Lucretius prosecutus est:

> Omnis enim per se diuum natura necesse est
> Immortali aeuo summa cum pace fruatur,
> Semota a nostris rebus, seiunctaq. longe.
> Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
> Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
> Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

ID nec habere } Ita argumentatur Epicurus, Beatum est quod nihil habet negotij, Deus est beatus, Igitur nihil agit. NEGOTII } laboris, atque molestiae. GRATIA teneri } beneficentia occupari. TALIA } gratiosa, & iracunda. PIE coleremus } religiose, pure, uere, & fideliter ueneraremur. SVPERSTITIONE } uana religione. SATIS erat dictum } ad persuadendum diuinae naturae cultum. NAM & praestans } Epicurus cultum dei relinquit, metum aufert. PIETATE } puritate animi & corporis. IVSTAM } debitam. IMPENDERE } imminere, ac futuros esse. OPINIONEM } quam habemus de ui, & natura deorum. AC de forma } species dei nulla nisi humana secundum Epicurum, quia omnes gentes sic iudicant, quia nulla est alia pulchrior, quia nulla alia ratione, & uirtute praedicta est. INQVIRIT formam } In deo effigiem inquirit, & qualitatem uitae, quid in mente agat, quam frequens illius actio. REVOCENTVR } reducantur. PRIMAS notiones } praenotiones. COMPOSITIO } complexio. CONFORMATIO lineamentorum } conuenientia ductuum linearum ad conformandum. Metaphora a pictoribus sumpta, quorum imagines superficiem habent planam, nihilq. eminens, atque expressum. FIGVRAE } terminatio ductuum linearum. SPECIES } forma spectabilis. POTEST esse pulchrior? } Interrogatiue profertur: quasi dicat, nulla. ARTIFICIVM } sollertiam. EFFINGITIS } describitis, pingitis. FABRICAMQVE } opificium, elaborationem. VSVM } utilitatem. VENVSTATEM } decorem. ANIMANS est } sensibilem materiam pulsat, & uiuificat. PROFECTO est } subaudi praeditus. SINE uirtute } sine animo bene affecto. SINE ratione } qua officiorum magistra bene afficitur animus, & eadem duce uersatur in actionibus uirtuosis. NEC tamen ea species &c. } Correctio. sensus est, Deorum speciem esse in proxima potentia ad humanam, quae corpore constat, & sanguine: ac si dicat, sicuti numerus a proxime sequenti numero deficit, in figuris uero corpora cubo, atque ut mathematicum corpus deficit a physico; ita & deorum species ad humana: sed in proxima est potentia.

CICERO

HAEC quamquam & inuenta sunt acutius, & dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quiuis ea possit agnoscere: tamen, fretus intelligentia uestra, dissero breuius, quam caussa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas, & penitus abditas non modo uiderit animo, sed etiam sic tractarat, ut manu, docet eam esse uim, & naturam deorum, ut primum nõ sensu, sed mente cernatur, nec soliditate quadam, nec ad numerum, ut ea, quae ille propter firmitatem στερέμνια appellat, sed imaginibus similitudine, & trãsitione perceptis; cum infinita simillimarum imaginũ species ex innumerabilibus indiuiduis exsistat, & ad deos affluat, cum maximis uoluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamq. nostram intelligentiam, capere, quae sit & beata natura, & aeterna. summa uero uis infinitatis, & magna, ac diligenti cõtemplatione dignissima est: in qua intelligi necesse est, eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant. hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est aequabilem tributionem. ex hac igitur illud efficitur: si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem: &, si, quae interimant, innumerabilia sunt, etiam ea, quae conseruent, infinita esse debere. Et quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae uita deorum sit, quaeq. ab ijs degatur aetas. ea uidelicet, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluẽtius excogitari potest. nihil enim agit: nullis occupationibus est implicatus: nulla opera molitur: sua sapientia, & uirtute gaudet: habet exploratum, fore se semper tum in maximis, tum in aeternis uoluptatibus. hunc deum rite beatum dixerimus, uestrum uero laboriosissimum. siue enim ipse mundus deus est: quid potest esse minus quietum, quam, nullo puncto temporis intermisso, uersari circum axem caeli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est. siue in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum uicissitudines, ordinesq. conseruet, terras & maria contemplans, hominum commoda, uitasq. tueatur: nae ille est implicatus molestis negotiis, & operosis. nos autem beatam uitam in animi securitate, & in omnium uacatione munerum ponimus. docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum, nihil opus fuisse fabrica, eamq. rem ei esse tam facilem, quam uos negatis effici sine diuina posse sollertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non uidetis: ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum. cuius operam profecto non desideratis, si immensam, & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum uideretis: in quam se iniiciens animus, & intendens, ita late, longeq. peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi uideat, in qua possit insistere. in hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita uis innumerabilium uolitat atomorum: quae, interiecto inani, cohaerescunt tamen inter se, & aliae alias apprehendẽ

tes

tet continuantur: ex quo efficiuntur hae rerum formae, atque figurae: quas nos effici posse sine follibus, & incudibus non putatis: itaque imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominum, quem dies & noctes timeremus. quis enim non timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotij deum? hinc uobis exstitit primum illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis: ut, quidquid accidat, id ex aeterna ueritate, caussarumq. continuatione fluxisse dicatis. quanti autem philosophia aestimanda est, cui, tamquam aniculis, & ijs quidem indoctis, fato fieri omnia uideantur?

EXPLANATIO

BREVIS, *quam caussa desiderat.* } ne scilicet castigatis auribus uestris abuti uidear. FRETVS } confisus. DISSERO } enarro. CAVSSA } negotium. PENITVS } omnino, & intrinsecus. NON *modo uiderat animo, sed etiam sic tractat, ut manu doceat.* } Huius loci correctionem sensus ipse uidetur ostendere: tollet enim omne mendum, si quis ita legat, Non modo uiderat animo, sed etiam sic tractarat, ut manu, docet &c. Haec Paullus pater. SIC *tractarat* } explicauerat quasi manu. EAM } cuiusmodi proprietatibus praeditam. VIM } animum. NATVRAM } essentiam corpoream. VT *primum non* } Deus Epicuri non sensu, sed mente cernitur. NON *sensu* } animo scilicet pulsante naturam corpoream & sensibilem. SED *mente* } intelligentia: similia enim similibus congrediuntur. NEC *soliditate,* } cum ipsa deorum imago sit corpus simplex. nõ enim habet soliditatem pulsabilem. Corpus quidem figura est, quae trinam habet dimensionem. At solidum nihil est, quod terrae sit expers, & tangi non possit. hinc Graeci corpus, quod solidum est, Stereon, & Sterenion uocant, a firmitate, quae terrae proprietas est. NEC *ad numerum,* } non enim eadem semper manet, cũ nihil habeat solidi. SED *imaginibus* } Alibi Cicero quasi paraphrasi quadam usus dicet, Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu: nec esse in ea ullam soliditatem: neque eandem ad numerum permanere, eamq. esse uisionem ut similitudine, & transitione cernatur, neque deficiat umquam ex infinitis corporibus similium accessio. ex eoq. fieri, ut in hoc intenta mens nostra beatam illam naturam, & sempiternam putet. DEINDE *cum infinita* } Beatam & aeternam deorum naturam ex affluxu & intuitu iucundo, & perenni atomorum aestimat. EXSISTAT, *& ad eos affluat.* } Legendum puto, A deo affluat, sententia ita postulante: de quo dubitandum eo minus est, quod infra, Cum, inquit, ex ipso imagines semper affluant. Et Lucretius nostram coniecturam libro IV. plane confirmat. Haec Paullus pater. CVM *maximis uoluptatibus* } Repete, quod supra dictum est, Docet Epicurus. INFINITATIS } mentis, siue intelligentiae, cuius circulus incomprehensus est. INTELLIGI } cõprehendi. EAM *esse naturam* } In infinitate est ἰσονομία, id est aequabilitas, seu aequilibritas, hinc duo elicit Epicurus, Ergo tot sunt dij immortales, quot mortales, Ergo tot res sunt conseruantes, quot sunt interimentes. VT *omnia omnibus, &c.* } ad hoc, ut per eam indiuidua omnia suis correspondentibus indiuiduis copulentur, & fiant specificae naturae. RESPONDEANT } tamquam ex altera librae parte appensa. Haec dicuntur a Graecis Antistropha. Virgil.

Contra elata mari respondet Cnosia tellus.

EX *hac* } aequilibritate. QVAE *conseruent* } hinc illa quorundam Medicorum regula, si quod est in terris uenenum, aliquod etiam reperiri certum remedium, quod inuestigare aequum sit: ut numquam desperare liceat de diuina largitione. ET *quaerere a nobis* } Postquam Velleius egit de forma deorum, differit breuiter de modo uiuendi. QVAE } qualis aetas uiuatur. NIHIL *enim agit* } Vita dei Epicurei otiosa, & uoluptaria. NVLLA *opera molitur* } non uersatur in aliqua actione. Metaphora a molitoribus ducta, quae & uersatili orbium caelestium motui respondet. EXPLORATVM } compertum. VESTRVM } quem uos Stoici opificem mundi, & rectorem, principem ue facitis. SIVE *enim* } ita argumentantur. Si deus est mundus ipse non est beatus, sed multis negotijs implicitus: sin uero mundi gubernator est, similiter laboriosus est. CIRCVM *axem caeli* } Axis, proprie lignum est quadrangulum in medio, utriusque capitibus teretibus umbilicos rotarum circumuersabilium pertransiens, & coniungens, curribus necessarium instrumentum. Metaphoricè uniuersam rerum naturam hic designat, caelestibus circuitionibus mediam, quorum subit uicissitudines, adeo, ut instar Lunae perpetuo increscens, & decrescens transeat circuitione quadam de iuuentute in senectutem, & rursus de senectute in iuuentutem. VICISSITVDINES, } alternationes. ORDINESQ. } subalternationes. NAM *ille* } certe ille deus, quem opinati sunt Stoici opificem mundi, & rectorem. OPEROSIS, } laboriosis. NOS *autem* } Beatitudo Epicuro in ἀπραξίᾳ sita est. IN *animi securitate* } in animi arce, in supremo ambitu, ubi in tranquillitate uacat ab omnibus muneribus libertatem nactus. DOCVIT *nos* } Epicureos. IDEM, *qui cetera* } idem scilicet Epicurus, qui docuit cetera iá a nobis dicta, de forma dei. NATVRA *effectum* } Mundus naturaliter exstitit Epicuro absque adminiculo dei, siue excluso deo. NIHIL *opus fuisse fabrica* } & per consequens non eguisse fabrilibus instrumentis, neque arte fabrili. EAMQ. *rem* } idq. opificium mundanũ, quod uos Stoici negatis posse effici sine diuina sollertia, hoc est, prouidentia, acumine, ratione, & arte. TAM *facilem* } adeo facilem. VT *effectum sit* } ipsa uis naturalis. QVOD } mundanum opificium. SINE *aliqua mente* } sine particulari prouidentia. NON *uidetis* } Sensus est, Nesciunt Stoici opinari mundanum opificium nisi in aliquo particulari ambitu caelesti, ubi omnia habent primum pacata, & secundis uentis nauigant; sed, cum deinde ueluti in argumento tragico, omnia turbantur, & aduersis fluctibus obruuntur; tunc fidem atque auxilium implorant supremi domicilij. Ita Homerus in rei obscurae difficultate uersans numine inuocani ar, repetitq. uota: Hoc loco Musae Iouis filiae inuoco, Musae domicilium caeleste incolentes. Vos

enim deae estis, uos adfuistis, uos omnia meministis. Nos incognitum habemus, qui reges, ducesq. fuerint illius classis, quae ad Troiam nauigauit: Ego recensere non possem, nisi uos deae autē edoceretis. INTERMINATAM } infinitam, supremam. PEREGRINATVR } uagatur, & discurrit. ORAM *ultimi* } superficiem ambitus extremi. INSISTERE } quiescere. IN *hac igitur immensitate, &c.* } In hoc supremo ambitu naturae corporeae, quae tripliciter mensuratur, nempe latitudine, longitudine, atque altitudine, Atomi, inquit, uolitant, & suo concursu, cohaerentiaq. omnia efficiunt. VOLITAT } quasi auis in aere. INFINITA *uis* } uniuersa uis. INNVMERABILIVM *atomorum* } aereorum corporum, quae numerari non possunt. Sunt atomi corpora aerea, quae lucente Sole uidentur sursum & deorsum continue coagitari, ita, ut propter inconstantiam, atque immēnsam multitudinem numerari non possint. QVAE } scilicet atomi. INTERIECTO *inani* } interiecto caelorum supremo ambitu, qui etiam aer dicitur à Stoicis. COHAERESCVNT *tamen, & continuantur* } hoc est, quamquam atomi ex discretis corporibus aeris sint, cohaerescunt tamen per naturam, quae est omnium gluten; & continuantur per supremum aerem. SINE *follibus, & incudibus* } sine Vulcanicis instrumentis. CVRIOSVM, } sagacem. NEGOTII } laboris, & uigilantiae. AETERNA *ueritate* } fida, ac certa constitutione. QVANTI } quanto pretio digna. Vellicat Velleius philosophiam Stoicam.

CICERO

SEQVITVR μαντικὴ nostra, quae Latine diuinatio dicitur: qua tanta imbueremur superstitione, si uos audire uellemus, ut haruspices, augures, arioli, uates, & coniectores nobis essent colendi. his terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem uindicati nec metuimus eos, quos intelligimus nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quaerere; & pie, sancteq. colimus naturam excellentem, atque praestantem. Sed, elatus studio, uereor, ne longior fuerim. erat autem difficile, rem tantam, tamq. praeclaram, inchoatam relinquere. quamquam non tam dicendi mihi ratio habenda fuit, quam audiendi. Tum Cotta comiter, ut solebat, Atqui, inquit, Vellei, nisi tu aliquid dixisses, nihil sane ex me quidem audire potuisses. mihi enim non tam facile in mentem uenire solet, quare uerum sit aliquid, quam quare falsum: idq. cum saepe, tum, cum te audirem, paulla ante contigit. Roges me, qualem deorum naturam esse ducam: nihil fortasse respondeam. quaeras, putem ne talem esse, qualis modo a te sit exposita: nihil dicam mihi uideri minus. sed, ante quam aggrediar ad ea, quae a te disputata sunt; de te ipso, dicam, quid sentiam. Saepe enim de L. Crasso, familiari tuo illo, uideor audisse, cum te togatis omnibus sine dubio anteferret, & paucos tecū Epicureos e Graecia compararet, sed, quod ab eo te mirifice diligi intellige bam, arbitrabar illum propter beneuolentiam id uberius dicere. ego autem, etsi uereor laudare praesentem, iudico tamen, de re obscura, atque difficili a te dictum esse dilucide, neque sententijs solum copiose, sed uerbis etiam ornatius, quā solent uestri. Zenonem, quem Philo noster Coryphaeū appellare Epicureorum solebat, cum Athenis essem, audiebam frequenter, & quidem ipso auctore Philone; credo, ut facilius iudicarem, quam illa bene refellerentur; cum a principe Epicureorum accepissem, quemadmodum dicerentur. nō igitur ille, ut plerique, sed isto modo, ut tu, distincte, grauiter, ornate. sed, qđ in illo mihi usu saepe uenit, idem modo, cum te audirem, acciderat, ut moleste ferrem, tantum ingenium (bona uenia me audies) in tam leues, ne dicam in tā ineptas, sententias incidisse. nec ego nūc ipse aliquid afferam melius. ut enim modo dixi, omnibus fere in rebus, & maxime in physicis, quid non sit, citius, quā quid sit, dixerim. Roges me, quid, aut qualis sit deus: auctore utar Simonide: de quo cum quaesiuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi caussa sibi unum diem postulauit: cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petiuit: cum saepius duplicaret numerum dierum; admiransq. Hiero quaereret, cur ita faceret; quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res uidetur obscurior. sed Simonidem arbitror, (nō enim poeta solum suauis, uerum etiam ceteroqui doctus, sapiensq. traditur) quia multa uenirent in mētem acuta, atque subtilia, dubitantem, quid eorum esset uerissimum, desperasse omnem ueritatem.

EXPLANATIO

IMBVEREMVR *superstitione,* } impleremur timore inani. HARVSPICES } uictimarum inspectores. AVGVRES } auium garritum obseruantes. ARIOLAS } singulorum fata enunciantes. VATES } fata reipub. enunciantes. CONIECTORES } somniorum interpretes. HIS *terroribus* } Epilogus Epicuri orationis de dijs. LIBERTATEM } securitatem animi. VINDICATI } positi. SED *elatus* } Excusatio de uerbositate. STVDIO } uoluntate & cura explicandi res tam praeclaras. QVAM *audiendi* } modeste de se loquens, aliorum animos Velleius demeretur, & captat. TVM *Cotta* } Inducit Cicero Cottam Academicum refellentem Epicuri opiniones de forma, deq. mentis agitatione, ac de uita deorum; illudq. tenet, nihil ut pronunciet. NISI *aliquid dixisses* } proposuisses. ad illud respondet, quod Velleius dixerat, Habendam sibi magis fuisse rationem audiendi, quam dicendi. QVAM *quare falsum:* } Id enim Academicum est, omnia reuocare in dubium. SAEPE *enim* } Encomium Vellei, monens, amicis honesta esse tribuenda, & comiter respondendum. TOGATIS } nobilibus Romanis. IVDICO *tamen* } Obscura, & difficilia oratione dilucida, cum sententiis copiosa, tum uerbis ornata explicanda sunt. DE *re obscura,* } de ui & proprietate numinis, quod non facile cognoscitur. DILVCIDE } clare, aperte. VESTRI. } Epicurei, philosophi Graeci. PHILO *noster* } Academicus philosophus. CORYPHAEVM } principem. Coryphaeus Graece dicitur, Latine is, qui tenet uerticem, & summi

tatem,

tatem, quae Κορυφὴ appellatur. Hic Zeno Sidonius fuit, & Epicuri sectator. AVCTORE } suasore. QVEMADMODVM *dicerentur*. } dicendi modum. DISTINCTE, } ordinate. GRAVITER, } sententiose. IN *illo* } Zenone Epicureo. VT *moleste ferrem* } Modesta dissensio ab amico, cuius ingenium quidem laudat, sed sententiam reprehendit. SIMONIDES: } Caius fuit, & poeta lyricus, qui quo diutius de deo cogitauit, eo minus, quid esset, inuenit. Est uero impotentis animi in inuestigatione ueri, cum sese aliqua dubia offerunt, ueritatem omnem desperare. HIERO } Syracusanorum rex. DELIBERANDI } consultandi. SVAVIS } iucundus, & dulcis, cum esset poeta Melicus.

CICERO

*E*PICVRVS *uero tuus (nam cum illo malo differere, quam tecum) quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed etiam mediocri prudentia? Quaeritur primum in ea quaestione, quae est de natura deorum, sint ne dij, nec ne sint. difficile est negare: credo, si in concione quaeratur: sed in huiuscemodi sermone, & consessu, facillimũ. itaque ego ipse pontifex, qui caerimonias, religionesq. publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi, non opinione solum, sed etiam ad ueritatem plane uelim. multa enim occurrunt, quae conturbent, ut interdum nulli esse uideantur. sed uide, quam tecum agam liberaliter. quae cõmunia sunt uobis cum ceteris philosophis, non attingam, ut hoc ipsum: placet enim omnibus fere, mihiq. ipsi in primis, deos esse: itaque non pugno: rationem tamen eam, quae a te affertur, non satis firmam puto. Quod enim omnium gentium, generumq. hominibus ita uideretur, id satis magnum esse argumentum dixisti, cur esse deos confiteremur. quod cum leue per se, tum etiam falsum est. Primum enim unde notae tibi sunt opiniones nationum? equidem arbitror, multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. quid? Diagoras, Atheos qui dictus est, posteaq. Theodorus, non ne aperte deorum naturam sustulerunt? nam Abderites quidem Protagoras, cuius a te modo mentio facta est, sophistes temporibus illis uel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset; De dijs neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere; Atheniensium iussu urbe, atque agro est exterminatus; librisq. eius in concione combusti. ex quo equidem existimo, tardiores ad hanc sententiam profitẽdam multos esse factos, quippe cum poenam ne dubitatio quidem effugere potuisset. Quid de sacrilegis, quid de impijs, periurisq. dicemus?*

- Tubulus si Lucius umquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius, -

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tã periurus, aut tã impius fuisset? Non est igitur tam explorata ista ratio ad id, quod uultis, confirmandum, quam uidetur. sed, quia cõmune est hoc argumentum aliarum etiam philosophorum, omittam hoc tempore; ad uestra propria uenire malo. Concedo esse deos: doce me igitur, unde sint, ubi sint, quales sint corpore, animo, uita. haec enim scire desidero. abuteris ad omnia atomorũ regno, & licentia. hinc, quodcumque in solum uenit, ut dicitur, effingis, atque efficis. quae primum nullae sunt: nihil enim est, quod uacet corpore: corporibus autem omnis obsidetur locus: ita nullum inane, nihil esse indiuiduum potest. haec ego nunc physicorum oracla fundo: uera, an falsa, nescio; sed ueri tamen similiora, quam uestra. ista enim flagitia Democriti, siue etiam ante Leucippi, esse corpuscula quaedam leuia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quaedam, & quasi adunca; ex his effectum esse caelum, atque terras, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito; hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad hanc aetatem perduxisti. priusq. te quis de omni uitae statu, quam de ista auctoritate, deiecerit. ante enim indicasti, Epicureum te esse oportere, quã ista cognouisti. ita necesse fuit, aut haec flagitia animo cõcipere, aut susceptae philosophiae nomen amittere. quid enim merears, ut Epicureus esse desinas? nihil equidem, inquis, ut rationem uitae beatae, ueritatemq. deseram. ista igitur est ueritas? nam de uita beata nihil repugno: quam tu ne in deo quidem esse censes, nisi plane otio langueat: sed ubi est ueritas? in mundis, credo, innumerabilibus, omnibus minimis temporum punctis alijs nascentibus, alijs cadentibus; an in indiuiduis corpusculis, tam praeclara opera, nulla moderante natura, nulla ratione, fingentibus? Sed oblitus liberalitatis meae, qua tecum paullo ante uti coeperam, plura complector.

EXPLANATIO

EPICVRVS *uero* } Confutatio Epicuri, cuius sententia de dijs ἀφιλόσοφος est, & impudens. MEDIOCRI } uulgari. DIFFICILE } periculosum. CONCIONE } coetu populari. CONSESSV, } coetu sapientum. ITAQVE *ego ipse* } Prima pars orationis Cottae de dijs, Quod sint. CAERIMONIAS, } diuinum cultum. SANCTISSIME } integerrime. OPINIONE } ambiguo iudicio. VERITATEM } certitudinem. OCCVRRVNT } in mentem ueniunt. CONTVRBENT } confundant, & cogant dubitare. LIBERALITER. } ingenue, ac benigne. NON *pugno* } non contradico. QVOD *enim* } Infirmatio argumenti Epicuri de dijs. Quod omnes gentes iudicant, est uerum, Omnes gentes iudicant esse deos, Igitur &c. Cotta uero negat minorem, allatis contrariis exemplis. GENERVM } condicionum, & qualitatum. ARGVMENTVM } indicium. LEVE } futile. IMMANITATE } feritate, ac morum prauitate. NVLLA *suspicio* } nec minima opinio. ATHEOS } sine deo. ABDERITES } ex Abdera opido Thraciae. Protagoras ob dubitationem de dijs damnatus. SOPHISTES } sapiens in arte dicendi. HABEO *dicere* } conuenit dicere, cum non liqueat, sitq. ambiguum. CONCIONE } publico coetu. PROFITENDAM } palam asserendam. DVBITATIO } ambiguitas, qua Protago-

ras laborauit. Qvid *de sacrilegis* ʒ Scelerati ipso facto declarant nullum esse deum, qui uindicet. Si *Tubulus* ʒ In 2. de Fin. Cic. sic scribit, An tu me de L. Tubulo putas dicere ? qui cum praetor inter Sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaeuola tribunus pleb. ferret ad plebem uellent ne de ea re quaeri. quo plebiscito decreta est a senatu consuli quaestio Cn. Scipioni. profectus in exsilium Tubulus statim, nec respondere ausus est, erat enim res aperta. Lvpvs, *& Carbo* ʒ Mali fuerunt ciues, & impij. Satyricus poeta dicit,

Secuit Lucilius urbem
Te Lupe, te Muci, & genuinum fregit in illis.

Neptvni *filius* ʒ immanis & ferus, ab omni humanitate alienos, tamquam *e* mari genitos Neptuni filios dixit antiquitas sicuti Terrae filios, qui ignotos parentibus nati fuissent. Explorata ʒ certa. Ad *uestra propria* ʒ ad peculiares Epicureorum rationes, quibus probant esse deos. Doce *me igitur* ʒ Secunda pars, unde, ubi, & quales sint. Vnde *sint* ʒ ex qua substantia constent. Regno ʒ potestate, & efficacia. Qvodcvmqve *&c.* ʒ Prouerbium, id est, neque quid dicas, neque quid agas attendis. sed quiduis ex atomis fingis sicut figulus ex suo luto. Hinc ʒ ex his atomis. Qvae ʒ atomi. Primvm *nullae* ʒ Confutatio atomorum ex loci circũstantia. Omnia loca sunt completa corporibus, nec natura admittitur uacuum aut inane, Atomus non est corpus, Igitur Atomus nihil est. Nihil *est enim* ʒ ratio, cur nulli sint atomi. Qvod *uacet* ʒ uacuum sit. Obsidetvr ʒ occupatur. Inane ʒ uacuum. Physicorvm ʒ naturae sensibilis interpretum. Oracvla ʒ sententias arcanas, atque obscuras. Flagitia ʒ errata flagris digna. Esse *corpuscula* ʒ Descriptio atomorum. Levcippi, ʒ Leucippus, inquit Laertius, Eleates fuit, siue, secundum quosdam, Abderites, uel ut alij Milesius. Levia, ʒ polita. Qvasi *adunca* ʒ instar ferrei hami recurua. Cogente ʒ coniungente. Statv ʒ condicione. Avctoritate ʒ sententia. Qvid *enim mereas,* ʒ quid uelles lucrari: ac si dicat: Omne praemium quamquam maximum renueres pro dogmate Epicureo retinendo. Rationem ʒ formulam. Sed *ubi est ueritas?* ʒ Vtrumque, inquit Cotta, falsissimum est & esse mundos innumerabiles, & ex atomis omnia gigni. primum enim si subinde & celeritate incredibili nascerentur mundi, & occiderent, impediretur omnis collectio, & dissiparentur naturae partes, Deinde si ex atomis generarentur omnia, sequeretur ipsas esse aeternas, Deum uero & alia omnia ex illis facta, mortalia. Moderante ʒ temperante.

C I C E R O

*C*oncedam *igitur, ex indiuiduis constare omnia: quid ad rem? deorum enim natura quaeritur. sint sane ex atomis; non igitur aeterni. quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit. si natum, nulli dij ante quam nati. &, si ortus est deorum; interitus sit necesse est, ut tu paullo ante de Platonis mundo disputabas. ubi igitur illud uestrum beatum, & aeternum? quibus duobus uerbis significatis deum. quod cum efficere uultis, in dumeta correpitis. ita enim dicebas, non corpus esse in deo, sed quasi corpus; nec sanguinem, sed quasi sanguinem. hoc persaepe facitis, ut, cum aliquid non ueri simile dicatis, & effugere reprehensionem uelitis, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit: ut satius fuerit id ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere. uelut Epicurus, cum uideret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus, & necessarius; inuenit quo modo necessitatem effugeret: quod uidelicet Democritum fugerat: ait atomum, cum pondere & grauitate directo deorsum feratur, declinare paullulum. hoc dicere turpius est, quam illud, quod uult, non posse defendere. idem facit contra dialecticos. a quibus cum traditum sit, in omnibus disiunctionibus, in quibus, aut etiam, aut non, poneretur, alterutrum uerum esse: pertimuit, ne, si concessum esset huiusmodi aliquid, aut uiuet cras, aut non uiuet Epicurus, alterutrum fieret necessariũ: totum hoc, aut etiam, aut non, negauit esse necessarium. quo quid dici potest obtusius? urgebat Arcesilas Zenonem, cum ipse omnia falsa diceret, quae sensibus uiderentur; Zeno autem non nulla uisa esse falsa, non omnia. timuit Epicurus, ne, si unum uisum esset falsum, nullum esset uerum: omnes sensus ueri nuncios dixit esse: nihil horum, nisi callide: grauiorem enim plagam accipiebat, ut leniorem repelleret. Idem facit in natura deorum: dum indiuiduorum corporum concretionem fugit, ne interitus & dissipatio cõsequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem. mirabile uidetur, quod non rideat haruspex, cum haruspicem uiderit: hoc mirabilius, quod uos inter uos risum tenere possitis. non est corpus, sed quasi corpus. hoc intelligerem quale esset, si id in cereis fingeretur, aut fictilibus figuris: in deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum: ne tu quidem, Vellei: sed non uis fateri: ista enim a uobis quasi dictata redduntur: quae Epicurus oscitans alucinatus est, cum quidem gloriaretur, ut uidemus in scriptis, se magistrum habuisse nullum. quod & non praedicanti tamẽ facile quidẽ crederẽ, sicut mali aedificij domino, glorianti se architectum non habuisse. nihil enim olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis. Xenocratem audire potuit: quem uirum, dij immortales: & sunt qui putant audiuisse, ipse non uult: credo plus nemini. Pamphilum quendam, Platonis auditorem, ait a se Sami auditum: ibi enim adolescens habitabat cum patre, & fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta uenerat. sed, cum agellus eum non satis aleret, ut opinor; ludi magister fuit. sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus. ita metuit, ne quid umquã didicisse uideatur. in Nausiphane Democriteo tenetur: quem cum a se non neget auditum, uexat tamen omnibus contumelijs. atqui, si haec Democritea non audisset, quid audierat? quid est in physicis Epicuri*

non a Democrito? nam, etsi quaedam commutauit, ut quod paullo ante de inclinatione atomorum dixi: ea men pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemq. mundorum, eorum ortus, & interitus, omnia fere, quibus na turae ratio continetur. Nunc istuc, quasi corpus, & quasi sanguinem, quid intelligis? ego enim scire te ista melius, quam me, non fateor solum, sed etiam facile patior. cum quidem semel dicta sunt; quid est, quod Velleius intelligere possit, Cotta non possit? itaque, corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo: quasi corpus, & quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo.

EXPLANATIO

QVOD *autem ex atomis* } asserit Cotta deos ex atomis compositos non posse esse immortales. IN *dumeta correpitis* } Ad locutiones intortas callide confugitis, quasi serpentes, qui simul repũt ad dumeta, cum ab aliquo timent. Elegans est Metaphora. VT *cum aliquid* } Satius est conuictum se fateri, quam in eo, quod defendere non potes, impudenter, & pertinaciter perseuerare. SATIVS } melius, & honestius. SVOPTE *pondere* } naturali grauitate. NIL *fore in nostra potestate* } Idem Cicero agens de fato dicit Epicurus declinatione atomica uitari necessitatem fati putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam, cum declinat atomus. Hanc rationem induxit, ne, si semper atomus grauitate feratur naturali, & necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moueretur animus, ut atomorum motu cogeretur. QVOD *Democritum fugerat* } Democritus ignorauerat. Democritus, auctor atomorum, maluit (ut alibi dicit Cicero) omnia fieri ex necessitate, quam corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Vnde Lucretius:

Sed ne res ipsa recessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agendis,
Et deuicta quasi cogatur ferre, patique,
Id facit exiguum clinamen principiorum.

AIT *atomum cum* } Epicurus errorem errore cumulat, & excusat, cum declinare uult necessitatem fatalem. Argumentum hoc est: Ex atomis omnia efficiuntur, Atomorum motus est certus, & necessarius, Igitur omnia sunt necessitate ineuitabili. Responsio Epicuri ad minorem, Atomi non deorsum feruntur directo, sed paullulum declinant, Qua quidem declinatione necessitas eliditur. DIRECTO } ad lineam rectam, & pares angulos. TVRPIVS } uituperabilius. QVOD *uult* } esse scilicet quendam animi motum uoluntarium, & liberũ. TRADITVM *sit,* } in primis constitutum. AVT *etiam, aut non* } aut affirmatio, aut negatio. IN *omnibus disiunctionibus* } Disiunctiua propositio est: Quodlibet est, aut non est, eaq. necessaria est, alioqui seqnetur implicatio contradictionis. Hanc regulam certitudinis Epicurus sustulit, ut necessitatem Stoicam elideret. ALTERVTRVM } e duobus alterum. TOTVM *hoc* } enunciatum. aut affirmatiue, aut negatiue. OBTVSIVS } hebetius, & crassius. OMNIA *falsa* } nullum esse uerum iudicium in sensibus. VISA } quae oculis sese offerũt. OMNES *sensus ueri* } Hyperbole est. cum enim sensus imbecilli sint, & hebetes, facile eis imponitur, ut falsa ꝓ ueris arripiant. CONCRETIONEM } coagmentationem. NEGAT *esse corpus* } ἄτομα Epicuri. DISSIPATIO } dissolutio. MIRABILE *uidetur* } Miror inquit uos posse inter uos risum tenere, cum tam absurda dicatis, ut de haruspicibus dici potest, qui uanissima quaeque dicunt interpretando exta. HOC *mirabilius* } maiore admiratione dignum. QVALE } cuius naturae, ac proprietatis. FINGERETVR } formaretur. FICTIBVS } testaceis, & e creta effigiatis. DICTATA } praescripta. REDDVNTVR } recitantur. QVAE *Epicurus* } Notatur Epicurus, quod non solum balbutit de natura rerum, sed superbe etiam gloriatur se praeceptore nullo egere; nihil scilicet tam metuens, quam nequid umquam didicisse uideatur: sed nihil in theatrum producit, nisi inscitiam cum magna pertinacia coniunctam. OSCITANS } negligens, ignarus, obtusus. ALVCINATVS *est* } a ueritatis luce aberrans enunciauit, praescripsit. QVOD *& non praedicanti tam facile quidem credam, sicut.* } Tam, & Sicut, particulae non sunt sibi inuicem respondentes: itaque, & locutione magis usitata, & sensu aliquanto aptiore, legetur: Quod & non praedicanti tamen facile quidem crederem, sicut mali aedificii, &c. Quam lectionem habet Maffei liber scriptus: eamq. secutus sum in nostro libro. Haec Paullus pater. PRAEDICANTI } uulganti, & iactanti. Ex *Academia,* } ex doctrina Platonica. Ex *Lyceo,* } ex Aristotelica doctrina. Academia Platonicum fuit gymnasium, Lyceum uero Aristotelicum: sicut & Paecile Stoicum, Cynosarges Cynicum. SVNT *qui putent* } ut Demetrius Magnesius, auctore Laertio. CREDO *plus nemini* } Magis, inquit, credo Epicuro neganti se magistrum habuisse nullum. SAMI } Samus insula est, quam Athenienses Pericle, ac Sophocle ducibus uastarunt, coloniamq. deduxerunt, bis mille colonis eo missis, in quibus dicit Strabo Neocles Epicuri pater, ludi magister, quem hic, & in urbe Teo educatum ferunt. IN *eam* } Samum. AGRIPETA } nouus colonus, qui agrum petit. LVDI } litterarij scilicet. nam auctore Pediano Asconio, omnem Scholam appellant ludum, quapropter aliquo adiuncto distinguitur. IN *Nausiphane* } Nausiphanis Teij, dicit Laertius, Epicurum auditorem fuisse tradunt. DEMOCRITEO. } Democriti sectatore. CAPITVR } conuincitur. VEXAT } lacerat, conuicijsq. proscindit. ATQVI } certe. HAEC *Democritea* } haec Democriti placita. QVID *est in physicis* } Secta Epicuri a Democrito est. NON *a Democrito?* } subaudi accepta. NATVRAE *ratio* } scientia de rerum natura. NVNC *istuc* } Vrget Epicurum reiteratione.

CICERO

NEc *tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulte, tamquam Heraclitus: sed, quod inter nos liceat, ne tu quidem intelligis. illud uideo pugnare te, species ut quaedam sit deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitq. pura, leuis, perlucida. dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: corpus illud non est, sed simile corpori: nec ille fusus, & candore mixtus rubor sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo: sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse. Fac id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum: cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta, atque formas. non deest hoc loco copia rationum, quibus docere uelitis humanas esse formas deorum: primum, quod ita sit informatum, anticipatumq. mentibus nostris, ut homini, cum de deo cogitet, forma occurrat humana: deinde, ut, quoniam rebus omnibus excellat natura diuina, forma quoque esse pulcherrima debeat; nec esse humanam ullam pulchriorem. tertiam rationem affertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit. primum igitur quidque consideremus quale sit. arripere enim mihi uidemini, quasi uestro iure, rem nullo modo probabilem. Quis tam caecus in contemplandis rebus umquam fuit, ut non uideret species istas hominum collatas in deos aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a uitae prauitate conuerterent; aut superstitione, ut essent simulacra, quae uenerantes deos ipsos se adire crederent? auxerunt autem haec eadem poetae, pictores, opifices. erat autem non facile, agentes aliquid, & molientes deos in aliarum formarum imitatione seruare. accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius uideatur. sed tu hoc physice non uides, quam blanda conciliatrix, & quasi sui sit lena natura. an putas ullam esse terra mariq. belluam, quae non sui generis bellua maxime delectetur? quod ni ita esset; cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus uaccae? an tu aquilam, aut leonem, aut delphinum ullam anteferre censes figuram suae? quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius, quam hominem, putaret, eam esse caussam, cur deos hominum similes putaremus? quid censes, si ratio esset in belluis, non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse? at mehercle ego, (dicam enim, ut sentio) quamuis amem ipse me, tamen non audeo dicere, pulchriorem esse me, quam ille fuit taurus, qui uexit Europam. non enim hoc loco de ingenijs, aut de orationibus nostris, sed de specie, figuraq. quaeritur. quod si fingere nobis, & iungere formas uelimus; qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus inuehens, belluis adiunctis humano corpori, nolis esse? difficili in loco uersor. est enim uis tanta naturae, ut homo nemo uelit nisi hominis similis esse: & quidem formica formicae: sed tamen cuius hominis? quotus enim quisque formosus est? Athenis cum essem, e gregibus epheborum uix singuli reperiebantur. uideo, quid arriseris: sed ita tamen res se habet, deinde nobis, qui, concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiã uitia saepe iucunda sunt. naeuus in articulo pueri delectat Alcaeum. at est corporis macula naeuus: illi tamen hoc lumen uidebatur. Q. Catulus, huius, collegae, & familiaris nostri, pater, dilexit municipem tuum Roscium: in quem etiam illud est eius:*

Constiteram exorientem auroram forte salutans,
Cum subito a laeua Roscius exoritur:
Pace mihi liceat, caelestes, dicere uestra:
Mortalis uisus pulchrior esse deo.

huic pulchrior deo? at erat, sicut hodie est, peruersissimis oculis. quid refert? si hoc ipsum salsum, & uenustum illi uidebatur.

EXPLANATIO

NEc *tu me celas ut Pythagoras &c.* } Comparatione exaggerat errorem Epicuri. ALIENOS } scilicet a disciplina sua. NEC *consulto* } de industria, dedita opera. HERACLITVS } fuit Ephesius, & Scotinos, idest tenebrosus, & obscurus cognominatus est, quoniam nimis obscure de natura rerum disputauit, & scripsit. de quo Lucretius:

Heraclitus init quorum dux proelia primus,
Clarus obscuram linguam.

INTER *nos liceat* } subaudi, dicere. PVGNARE *te,* } te contendere. SPECIES *ut quaedam* } impugnat speciem deorum ab Epicuro descriptam. CONCRETI, } coagmentati, siue corporei. SOLIDI, } corporei terrestris. EXPRESSI, } exstantis. EMINENTIS, } exuberantis. PVRA, } simplex. LEVIS } expolita. PERLVCIDA. } resplendens, atque diaphana. VENERE *Coa:* } Nobilissimus pictor Apelles Cous popularibus suis pinxit Venerem e mari exeuntem, quae ob id Anadyomene dicta est. Plinius dicit, Venerem exeuntem e mari Diuus Augustus dicauit in delubro patris Caesaris, quae Anadyomene uocatur. Vnde Ouidius:

Vt Venus artificis laus est, & gloria Coi,
Aequoreo madidas, quae premit imbre comas.

FVSVS, } extensus per lineamenta. CANDORE } albedine splendida. NON *res,* } uerum corpus, & sanguinem. FAC *id,* } Concessio. CEDO } dic, effare quae fila, & ductus sint harum imaginum, quas deo attribuitis. ADVMBRATORVM } habentium umbram corporis. PRIMVM, *quod ita sit* } Repetitiones Epicuri tres, quibus formam humanam deo adstruit. ANTICIPATVMQ. } praecognitum, animo ante comprehensum. OCCVRRAT } animo repraesentetur. PRIMVM *igitur* } Cotta Epicureos, tamquam de re maxima te-

mere & imprudenter loquentes notat, refutans pes contritam interpretationem figmentum de humana deorum forma. ARRIPERE, *quasi uestro iure,* } assumere, proprio uestro iudicio; etiamsi nulla constet ratio. CAECVS } ignarus, hebes, obtusus. SPECIES } formas. COLLATAS } per similitudinem quandam translatas. AVT *consilio* } prudentia. CVLTVM } uenerationem. SVPERSTITIONE } obiectu metus. MOLIENTES } mouentes. ACCESSIT *etiam* } Alia interpretatio ex communi hominum opinione, & insita quadam ui animantium, ut se suaq. maxime admirentur. PHYSICE } sensibilium corporum interpres. CONCILIATRIX } mediatrix. est enim natura commune subiectura & medium, in quo conueniunt, cohaerescunt, conciliantur q. opposita. SIT *lena* } Methaphora, id est, similis lenae, illicientis ad sui amorem. GESTIRET } gestu corporis laetaretur. PRAESCRIPSIT } dictauit, ordinauit, praecepit. PLVRIMVM } quasi principatum formae. AT *mehercle* } Exemplum. ILLE *taurus* } fabulae dicunt Iouem conuersum in candidum taurum cornibus recuruis, atque innoxijs, e Phoenicia in Cretam insulam asportasse Europam Agenoris filiam. SPECIE } forma. QVOD *si fingere* } Anthesis. INVEHENS } insidens natantibus piscibus humano corpori pubetenus adnexis. QVOTVS *enim quisque* } quasi dicat, pauci formosi sunt. QVID *arriseris* } cur mihi riseris: Intelligo caussam sui risus, inquit Cotta; quoniam memini Epheborum. CONCEDENTIBVS *philosophis antiquis* } Arist. lib. II. Polit. cap. 8. Idem Cicero in Tusc. disp. Mihi quidem haec in Graecorum gymnasijs consuetudo uidetur, in quibus isti liberi, & concessi, sunt amores. ETIAM *uitia* } Vitia etiam iucunda nobis esse solent in his, quos impense amamus, id quod exempla Alcei, & Catuli declarant. IN *articulo* } in iunctura. ALCAEVM } Is fuit Lesbius, & poeta Lyricus. NAEVVS: } uerrucae instar, in qua possunt crescere pili. LVMEN } nitor, & splendor. COLLEGAE } socij in magistratu. FAMILIARIS } amici. MVNICIPEM *tuum* } ex eodem municipio. Lanuuinus fuit hic Velleius. Lanuuium nunc uulgo dicitur Ciuitas Lauini; inter Longam Albam, & Neptunium opidum sita. ILLVD } tetrastichum, quod sequitur in praeconia Roscij. EIVS } Q. Catuli. HVIC *pulchrior deo?* Concinnior erit sententia, si legatur; Hui, pulchrior deo? Haec Paullus pater. PERVERSISSIMIS *oculis* } deprauatissimis, & enormiter distortis. SALSVM, } delectabile. VENVSTVM } gratiosum, atque decorum.

C I C E R O

*R*EDEO *ad deos. ecquos si non tam Strabones, at paetulos esse arbitramur? ecquos naeuum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones; quae sunt in nobis? an omnia emendata in illis? detur id uobis. num etiam est una omnium facies? nam, si plures, aliam esse alia pulchriorē necesse est. igitur aliquis non pulcherrimus deus. si una omnium facies est: florere in caelo Academiam necesse est. si enim nihil inter deum, & deum differt: nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. Quid, si etiam, Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis, de deo cogitantibus, speciem, nisi hominis, occurrere: tamen ne ista tam absurda defendes? nobis fortasse si occurrit, ut dicis: Iouem, Iunonem, Mineruam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem; reliquos deos ea facie nouimus, qua pictores, fictoresq. uoluerunt: neque solum facie, sed etiam ornatu, aetate, atque uestitu. at non Aegyptij, nec Syri, nec fere cuncta barbaries. firmiores enim uideas apud eos opiniones esse de bestijs quibusdam, quam apud nos de sanctissimis templis, & simulacris deorum. etenim fana multa exspoliata, & simulacra deorum de locis sanctissimis ablata uidemus a nostris: at uero ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem uiolatum ab Aegypto. quid igitur censes? Apim illum, sanctum Aegyptiorum bouem, nō ne deum uideri Aegyptijs? tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu numquam ne in somnijs quidem uides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. at non est talis Argiua, nec Romana Iuno. ergo alia species Iunonis Argiuis, alia Latinis: & quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Hammonis Iouis. nō pudet igitur physicum, id est speculatorem, uenatoremq. naturae, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium ueritatis? isto enim modo dicere licebit, Iouem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, caesios oculos Mineruae, caeruleos esse Neptuni. & quidem Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes: in quo stante, atque uestito, leuiter apparet claudicatio non deformis. claudum igitur habebimus deum, quoniam de Vulcano sic accepimus. Age, & his uocabulis deos esse facimus, quibus a nobis nominantur. at, primum, quot hominum linguae, tot nomina deorum. non enim, ut tu Velleius, quocumque ueneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania. deinde, nominum non magnus numerus ne in pontificijs quidem nostris, deorum autem innumerabilis. An sine nominibus sunt? istud quidem ita nobis dicere necesse est. quid enim attinet, cum una facies sit, plura esse nomina? quam bellum erat, Vellei, confiteri, potius nescire, quod nescires, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum tibi displicere? An tu mei similem putas esse, aut tui deum? profecto non putas. quid ergo? solem dicam, aut lunam, aut caelum deum? ergo etiam beatum. quibus fruentem uoluptatibus? & sapientem. qui potest esse in eiusmodi trunco sapientia? haec uestra sunt. si igitur nec humano uisu, quod docui; nec tali aliquo, quod tibi persuasum est: quid dubitas negare deos esse? non audes. sapienter id quidem. etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos deos. noui ego Epicureos omnia sigilla uenerantes. quamquam uideo non nullis uideri; Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, uerbis reliquisse deos, re sustulisse. itaque in illis selectis eius, breuibusq. sententijs, quas appellatis κυρίας δόξας, haec, ut opinor, prima sententia est: Quod beatum & immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.*

EXPLANATIO

REDEO *ad deos* } Exagitat formam humanam deorum. ECQVOS } interrogatiue ponitur, & significat, quot putamus esse strabones, & paetos? Strabones dicuntur, qui oculos habent retortos: Paeti uero, qui leniter deflexos ad lasciuiam. Vnde oculi Veneris paeti dicuntur. SILOS, } Sili appellantur, qui nasum habent sursum uersum, atque repandum. inde galeae ob similitudinem Silae dictae. FLACCOS, } Flacci dicuntur, qui aures habent grandiores, & languidas. Aures inquit, Plinius, homini tantum immobiles, ab his Flaccorum cognomina. FRONTONES, *capitones;* } A magnitudine frontis, frõtones & capitones capitis dicuntur. EMENDATA } sine menda, & deprauatione. DETVR } concedatur esse omnia emendata. VNA } eadem, & similis, citra discrimen. FLORERE } uigere, locum habere. ACADEMIAM } id est confusionem quãdam, & ambiguitatem propter deorum formae similitudinem. qualis ambiguitas est in Academico dogmate, in quo ueritas ipsa latet. Vnde Horatius:

Atque inter Siluas Academi quaerere uerum.

COGNITIO } notitia. PERCEPTIO } certa scientia ueritatis. QVID, *si etiam* } Alia refutatio opinionis de specie humana deorum ex contrarijs exemplis Aegyptiorum, &c. SI *occurrit* } seruat Academicum morem, nihil affirmans. EA *facie* } adspectu, imagine. FICTORES } opifices figurarum. ORNATV } cultu corporis. AT *non* } ostendit Cotta non omnes gentes, & nationes putasse deos habere humanam formam. FIRMIORES } stabiliores. A NOSTRIS } Hoc maxime dicit propter C. Verrem, quem ideo sacrilegum uocat Iuuen. & idem Cicero in Verrinis, templa expilata potiit, & asportata simulacra numinum. APIM *illum* } Collatio speciei deorum apud alias, atque alias gentes. SANCTVM } uenerabilem. ILLAM *nostram sospitam,* } Iunonem, quae Sospita cognominabatur, templumq. habebat apud Lanuuium. PELLE *caprina* } Hic erat cultus, & uestitus Sospitae Iunonis. ROMANA } quae Romae colitur. HAMMONIS } arenarij, in effigie arietis. NON *pudet* } Veritatis testimonium non ab hominum opinione, sed recto iudicio cum rei natura congruente, petendum. PHYSICVM, *id est,* } Etymologia. TESTIMONIVM } confirmationem. IMBERBVM, } Sic scripsi in libro nostro, cum antea legeretur, Imberbem. secutus in hoc eum Carisij auctoritatem. ALCAMENES } fuit Atheniensis. AT *primum* } Diuersitas nominum deorum, praesefert etiam dissimilitudinem formae. PONTIFICIIS } sacras pontificum caerimonias continentibus. NOSTRIS, } id dicit, quoniam pontifex maximus erat Cotta. QVID *attinet,* } ad tollendam scilicet ambiguitatem. QVAM *bellum* } satius est ignorantiam confiteri suam, quam temere de rebus non intellectis dimicare. ISTA } tam indecora & absurda. NAVSEARE, } euomere. MEI *similem* } meae concionis, formae, & qualitatis. QVID *ergo?* } acsi dicat, cũ deus non habeat humanam formam, licebit ne solem, aut lunam deum appellare? quo dato, erit etiam beatus, & sapiens: beatitudo enim, & sapientia diuinae naturae tribuendae sunt. Verum, quomodo deus fruetur uoluptatibus, & sapientia, nisi habeat humanam formam? est enim sol, aut luna, corpus mutilum, truncum, ac sine membris, & sensibus. HAEC *uestra sunt* } eiusmodi, inquit, sunt Epicureorum placita, quae sibi ipsis non constant. HVMANO *uisu,* } humani corporis forma constat deus. TALI *aliquo* } corpore scilicet trunco. QVOD *tibi persuasum est* } ut deo tribueres. SAPIENTER *id quidem* } subaudi facis. Hoc *loco* } In hac disputatione inter amicos, a quibus tibi nihil timendum est. NON *populum metuis* } hoc est offensionem populi, a quo timere posses. SED *deos ipsos* } de quibus uideris bene sentire. SIGILLA *numerantes.* } Sensu, ut opinor, meliore, clariore quidem certe, legeretur, Sigilla uenerantes. Haec Paullus pater. *Sigilla*: numinum, scilicet signa uel parua. OFFENSIONEM *Atheniensium* } scilicet uiolando iura, Deos non existimans, quos ciuitas colit. RE } opinione & sententia. SELECTIS } egregijs, & eximijs. Κυρίας δόξας, } id est ratas, firmasq. opiniones. Κυρόω Graece, sancio Latine. Κύρος sanctio. inde Κύριος dicitur ratus, & sanctus. Idem Cicero agens de Fin. bonorum, & malorum dicit: Quis uestrum non edidicit Epicuri cyrias doxas, id est maximae ratas, quia grauissime sint ad beate uiuendum breuiter enunciatae sententiae. QVOD *beatum* } Falsa definitio beati. NEGOTIVM } labor.

CICERO

IN hac ita exposita sententia, sunt qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi fecerit, fecisse consulto. de homine minime uafro male existimant. dubium est enim, utrum aliquid dicat iste beatum, & immortale, an, si quod sit beatum, id esse immortale. non animaduertunt, hic eum ambigue locutum esse, sed multis alijs locis & illum, & Metrodorum tam aperte, quam paullo ante te. ille uero deos esse putat: nec quemquam uidi, qui magis ea, quae timenda esse negaret, timeret, mortem dico, & deos. quibus mediocres homines non ita ualde mouentur, his ille clamat omnium mortalium mentes esse perterritas. tot milia latrocinantur, morte proposita. alij omnia, quae possunt, fana compilant. credo, aut illos mortis timor terret, aut hos religionis. Sed, quoniam non audes (iam enim cum ipso Epicuro loquar negare esse deos; quid est, quod te impediat aut solem, aut lunã, aut mundum, aut mentem aliquam sempiternam in deorum naturam ponere? Numquam uidi, inquis, animam rationis, consilijq. participem in ulla alia, nisi humana figura. Quid? solis numquidnam, aut lunae, aut quinque errantium siderum simile uidisti? sol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, cursus annuos conficit. huius hanc illustrationẽ eisdem incensa radijs menstruo spatio luna cõplet. quinque autem stellae eundem orbem tenentes, aliae pro-

pius

pius a terris, aliae remotius, ab ijsdem principijs, dis paribus temporibus eadem spatia conficiunt. numquid tale, Epicure, uidisti? ne sit igitur sol, ne luna, ne stellae: quoniam nihil esse potest, nisi quod attingimus, aut uidimus. Quid? deum ipsum num ne uidisti? cur igitur credis esse? collamus ergo omnia, quae aut historia nobis, aut noua ratio affert. ita fit, ut mediterranei mare esse non credant. quae sunt tantae animi angustiae; ut, si Seriphi natus esses, nec umquã egressus ex insula, in qua lepusculos, uulpeculasq. saepe uidisses, non crederes leones, & pantheras esse, cum tibi, quales essent, diceretur? si uero de elephanto quis diceret, etiam irrideri te putares? Et tu quidem, Vellei, non nostro more, sed dialecticorum, quae funditus gens nostra non nouit, argumenti sententiam conclusisti: beatos esse deos sumpsisti. concedimus. Beatum autem sine uirtute neminem esse posse, id quoque damus, & libenter quidem. Virtutem autem sine ratione constare nõ posse, conueniat id quoque necesse est.

EXPLANATIO

DVBIVM *est enim*, } Haec ratio existimantium Epicurum male sensisse de dijs quoniam consulto ambiguam de illis sententiam protulerit. HIC } in hac sententia. METRODORVM } ipsius Epicuri sodalem. QVAE *timenda esse negaret* } Prouidentiam dei tollit Epicurus, ut timorem dei ex animis hominum deleat. MEDIOCRES *homines* } mediocri cognitione subnixi. MOVENTVR } terrentur. PROPOSITA } constituta illis in poenam, si capiantur. COMPILANT } spoliant. CREDO } quasi dicat nec morte, nec religione tenentur. NVMQVAM *uidi*, } Id solum est aliquid, quod uidetur, & attingitur, Deus non alia specie uideri non potest, nisi humana. Igitur si deus est, non nisi humana forma uisibili praeditus est. Respondetur, maior per se falsa est. Tum contrarijs exemplis stellarum refutatur. ORBIS } circuli, qui Zodiacus Graece dicitur. VLTIMIS } extremis a cancro ad Capricornum. DEFINIENS } distermínans. HVIVS } Solis. LVSTRATIONEM } circuitum. EIVSDEM } Solis. COMPLET. } perficit. QVINQVE *stellae* } Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius. IISDEM *principijs* } quibus Sol, & Luna. DISPARIBVS } diuersis, atque differentibus. NVMNE } quasi dicat, non uidisti. HISTORIA } enarratio rerum priscarum. NOVA *ratio* } noua ars, & mathematica in primis. MEDITERRANEI } in media terra incolentes, procul uidelicet a mari. TANTAE *animi* } Reprehenditur angustia animi nihil credentis, nisi quod uidet. SERIPHI } Seriphus parua est insula in mari Aegeo damnata quondam scelestorum exulijs. NON *nostro more* } Epicureorum scilicet. SED *dialecticorum* } Epicuri totam dialecticam, tamquam inutilem & uanam repudiarunt. QVAE *funditus gens nostra non nouit* } Puto legendum esse, Quem: ut subaudiatur, morem: & deinde, Argumentis sententiam, non, Argumenti sententiam. Haec Paullus pater. SVMPSISTI. } enunciasti ut certum quoddam, & concedendum. SINE *ratione* } sine praescripto rationis, ponentis quandam mediocritatem rebus. CONVENIAT } constet inter nos.

CICERO

ADIVNGES, *nec rationem esse nisi in hominis figura. quem tibi hoc daturum putas? si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc peruenire? quid autem est istuc gradatim? sumpsisses tuo iure. nam a beatis ad uirtutem, a uirtute ad rationem uideo te uenisse gradibus: a ratione ad humanam figuram quo modo accedis? praecipitare istud quidẽ est, non descendere. Nec uero intelligo, cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quam homines deorum. quaeres, quid intersit. si enim hoc illi simile sit, esse illud huic uideo. sed hoc dico, non ab hominibus formae figuram peruenisse ad deos. dij enim semper fuerunt, & nati numquam sunt, siquidem aeterni sunt futuri: at homines nati: ante igitur humana forma, quam homines, ea qua erant forma dij immortales. non ergo illorum humana forma, sed nostra diuina dicenda est. Verum hoc quidem, ut uoletis: illud quaero, quae fuerit tanta fortuna. nihil enim in rerum natura ratione factum esse uultis. sed tamen quis iste tantus casus, unde tam felix concursus atomorum, ut repente homines deorum forma nascerentur? semina deorum decidisse de caelo in terras putamus, & sic homines patrum similes extitisse? uellem diceretis: deorũ cognationem agnoscerem non inuitus. nihil tale dicitis: sed casu esse factum, ut deorum similes essemus. & nunc argumenta quaerenda sunt, quibus hoc refellatur? utinam tam facile uera inuenire possem, quam falsa conuincere. etenim enumerasti memoriter, & copiose, ut mihi quidem admirari liberet in homine esse Romano tantam scientiam, usque a Thalete Milesio de natura deorum philosophorum sententias. Omnes ne tibi illi delirare uisi sunt, qui sine manibus & pedibus constare deum posse decreuerunt? nec hoc quidem uos mouet cõsiderantes quae sit utilitas, quaeq. opportunitas in homine mẽbrorum, ut iudicetis mẽbris humanis deos non egere? quid enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehendatur? quid reliqua descriptione omnium corporis partium? in qua nihil inane, nihil sine caussa, nihil superuacaneum est. itaque nulla ars imitari sollertiam naturae potest. habebit igitur linguam deus, & non loquetur; dentes, palatum, fauces nullum ad usum: quaeq. procreationis caussa natura corpori affinxit, ea frustra habebit deus: nec externa magis, quam interiora. cor, pulmones, iecur, ceteraque, detracta utilitate, quid habent uenustatis? quandoquidem haec esse in deo propter pulchritudinem uultis. Istis ne fidentes somnijs non modo Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemq. dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit?*

ſa ſit? ſcito quidem illa ſermone, & Attico: ſed, cum tantum Epicuri hortus habueris licentiae, etiam ſoletis queri? Zeno quidem etiam litigabat. quid dicam Albucium? nam Phaedro nihil elegantius, nihil humanius. ſed ſtomachabatur ſenex, ſi quid aſperius dixeram: cum Epicurus contumelioſiſſime Ariſtotelem uexarit Phaedoni Socratico turpiſſime maledixerit; Metrodori, ſodalis ſui, fratrem Timocratem, quia neſcio quid in philoſophia diſſentiret, totis uoluminibus conciderit; in Democritum ipſum, quem ſecutus eſt, fuerit ingratus; Nauſiphanem, magiſtrum ſuum, a quo nihil didicerat, tam male acceperit. Zeno quidem non eos ſolum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceterosq. figebat maledictis, ſed Socratem ipſum, parentem philoſophiae, Latino uerbo utens, ſcurram Atticum fuiſſe dicebat, Chryſippum numquam, niſi Cheſippum, uocabat. tu ipſe paullo ante, cum tamquam ſenatum philoſophorum citares, ſummos uiros deſipere, delirare, dementes eſſe dicebas. quorum ſi nemo uerum uidit de natura deorum; uerendum eſt, ne nulla ſit omnino. nam iſta, quae uos dicitis, ſunt tota commenticia, uix digna lucubratione anicularum. non enim ſentitis, quam multa nobis ſuſcipienda ſint, ſi impetraueritis, ut concedamus eandem eſſe hominũ, & deorum figuram. omnis cultus, & curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quae adhibetur homini; ingreſſus, curſus, accubatio, inclinatio, ſeſſio, comprehenſio; ad extremum etiam ſermo, & oratio.

EXPLANATIO

GRADATIM] per gradus propoſitionum, & enunciationum. Tranſlatio a ſcalarum gradibus, quibus adſcēditur ſucceſſiue, atque deſcenditur. ISTVC] ad hanc enunciationem uidelicet, quod ratio nō eſt, niſi in hominis figura. PERVENIRE?] per aceruialem ratiocinationem, quam Graeci Soritem appellant. SVMPSISSSS] poſuiſſes primum, ut inde concluderes quod uolebas. TVO *iure*] arbitrio tuo. GRADIBVS] per gradus enunciationum. QVO *modo accedis*?] ac ſi dicat, talis tranſitus omnino eſt abſurdus. PRAECEPITARS] cadere in praeceps, & non per gradus deſcendere. QVID *interſit*?] quae ſit differentia inter haec, quae ſequuntur reciproca & recurrentia, id eſt illos eſſe ſimiles nobis, aut nos illis. SSD *hoc dico*,] Reſpondet Cotta, quid interſit. DII *enim ſemper fuerunt*] Argumentum ex temporis circumſtantia. AETERNI] quoniam aeternum id dicitur, quod nec principium habuit, nec fine aliquādo terminabitur. SED *noſtra diuina*] In hanc ſententiam Cicero in Tuſc. diſp. Fingebat, inquit, haec Homerus, & humana ad deos transferebat, diuina mallem ad nos. VERVM *hoc quidem*] concedatur, inquit, uobis hoc, quod maluit Epicurus; deos eſſe hominum ſimiles. FORTVNA] fortunatus concurſus, atomorum ſcilicet. RATIONE] conſilio diuino, & ſollerti iudicio. VNDE *tam felix*] Argumentum ab attributo quodam atomorum. Concurſus atomorum eſt fortuitus, ſimilitudo formae hominum, & deorum non eſt fortuita. Igitur non eſt ex atomorum concurſu, quod tamen contra principium, & cauſſam rerum omnium Epicurus ſtatuit. SEMINA *deorum*] conceſſio. PVTAMVS,] Poſſumus ne inquit, exiſtimare diuinum ſemen impleſſe terram, & homines effinxiſſe. COGNATIONEM] Naturam, quam homines haberent communem cũ dijs. CASV,] fortuna, & non ſemine deorum. CONVINCERE.] refellere. ETENIM *enumeraſti*] Argumentum ab auctoritate, Philoſophi magni nominis ſine humana facie deum deſcribunt. SCIENTIAM,] cognitionem. DELIRARS] aberrare. DECRSVERVNT?] iudicauerunt, & ſtatuerunt. NEC *hoc quidem nos*] Argumentum ab inutili, nihil opus eſt deo membris humanis. OPPORTVNITAS] neceſſaria utilitas. IMITARI] imitando aſſequi. SOLLERTIAM] acumen, & exquiſitam artem. EXTERNA] exſtantia, & apparentia. COR, *pulmones, iecur, ceteraque, detracta utilitate, quid habent uenuſtatis?*] Corrigo, Cor, pulmones, iecur, cetera; quae, detracta utilitate, quid habent uenuſtatis? Vt a praecedentibus tenui diſtinctionis nota ſeiũgantur, & ad uerbum Habebit, referantur. Haec Paullus pater. *Venuſtatis?*: delectationis, gratiae, atque pulchritudinis. FIDENTES *iſtis ſomnijs*] delirus opinionibus, ſomniorum inſtar. HERMACHVS] Is fuit Mitylenaeus. AVSA *ſit*?] ac ſi dicat, Indignum profecto eſt, euſq. proceſſiſſe delirantium impudentiam, ut & meretricula auſa fuerit aduerſus Theophraſtum, hominem in ſapientia, & eloquentia tātum, qui (ut inquit Plinius) nomen diuinum inde inuenerit. SCITO] erudito. ATTICO:] eleganti, nitido, EPICVRI *hortus*] ſectatores Epicuri, cuius ſchola hortenſis uocabatur. LICENTIAE,] libertatis temerariae. ETIAM *ſoletis quaeri?*] ſoletis indignari, ſiquis nobis contradixerit? id quod ſolebat Phaedro, ut paullo infra. ZENO] Zenonis conuicia in Socratem. Fuit philoſophus Epicureus, de Finibus. LITIGABAT] lites diſputando exercebat. ALBVCIVM?] de hoc in Bruto, T. Albucius paene Graecus. fuit autem Athenis adoleſcens, perfectus Epicureus euaſerat, minime aptum ad dicendum genus. PHAEDRO] philoſophus Epicureus, de Finibus. STOMACHABATVR] indignabatur. CVM *Epicurus uexarit*,] etiam ſi Epicurus taxauerit. PHAEDONI *Socratico*] Elienſis fuit, & ſeruus, forma, & ingenio liberali: quem, a Cebete emptum, Socrates, & Plato in philoſophiae diſciplinis habuerunt: euſq. nomini Plato librum illum diuinum de immortalitate animae dedit. TVRPISSIME] obſceniſſime. TOTIS] integris. TAM *male acceperit.*] tam contumelioſe tractarit. TVM *erant*] tum uiuebant. FIGEBAT] impetebat, uulnerabat. PARENTEM] auctorem eius philoſophiae, quae eſt de uita, & moribus. SCVRRAM] ridiculum aſſentatorem. TAMQVAM *ſenatum philoſophorum*] hoc eſt, coetum philoſophorum, qui eſt tamquam ſenatus. NAM *iſta, quae uos dicitis*] Mira extenuatio Epicuri diſciplinae. COMMENTICIA] conficta. NON *ſentitis*] non cognoſcitis. OMNIS *cultus*,] Argumentum ab adiacentibus, poſita figura hominis ſequuntur cetera accidentia homini conuenientia. *Cultus*: ornatus, atque ueſtitus. CVRATIO] uictus, remedia, & cetera id genus.

CICERO.

NAM, quod & mares deos, & feminas esse dicitis: quid sequatur, uidetis. equidem mirari satis nō possum, unde ad istas opiniones uester ille princeps uenerit. sed clamare non desinitis, retinendum hoc esse, deus ut beatus, immortalisq. sit. quid autem obstat, quo minus sit beatus, si non sit bipes? aut ista siue beatitas, siue beatitudo dicenda est, (utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis uerba sunt) uerum ea, quaecumque est, cur aut in solem illū, aut in hunc mundum, aut in aliquam mentem aeternam, figura, membrisq. corporis uacuam, cadere non potest? Nihil aliud dicis, nisi, numquam uidi solem, aut mundum beatum. Quid? mundum, praeter hunc, umquam ne uidisti? negabis. cur igitur non sexcenta millia esse mundorum, sed innumerabilia, ausus es dicere? ratio docuit. ergo hoc te ratio non docebit, cum praestantissima natura quaeratur, eaq. beata, & aeterna, quae sola in diuina natura sunt, ut immortalitate uincamur ab ea natura, sic animi praestantia uinci; atque, ut animi, item corporis? cur igitur, cum ceteris rebus inferiores simus, forma pares sumus? ad similitudinem enim deo propius accedebat humana uirtus, quam figura. an quidquam tam puerile dici potest, (ut eundem locum diutius urgeam) quam si ea genera belluarum, quae in rubro mari, Indiaue gignantur, nulla esse dicamus? atqui ne curiosissimi quidē homines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quae terra, mari, paludib. fluminibus exsistunt, quae negemus esse, quia numquam uidimus. Ipsa uero quam nihil ad rem pertinet, quae nos delectat maxime, similitudo? quid? canis non ne similis lupo? atque, ut Ennius,

Simia quam similis, turpissima bestia, nobis?

at mores in utroque dispares. elephanto belluarum nulla prudentior. at figura quae uastior? de bestijs loquor. quid? inter ipsos homines non ne & simillimis formis dispares mores, & moribus figura dissimilis? etenim, si semel, Vellei, suscipimus genus hoc argumenti; attende, quo serpat. tu enim sumebas, nisi in hominis figura rationem inesse non posse. sumet alius, nisi in terrestri; nisi in eo, qui natus sit; nisi in eo, qui adoleuerit; nisi in eo, qui didicerit; nisi in eo, qui ex animo constet, & corpore caduco, & infirmo; postremo, nisi in homine, atque mortali. quod si in omnibus his rebus obsistis; quid est, quod te una forma conturbet? his enim omnibus, quae proposui, adiunctis, in homine rationem esse, & mentem uidebas. quibus detractis, deum tamen nosse te dicis, modo lineamenta maneant. hoc est non considerare, sed quasi sortiri quid loquare. Nisi forte ne hoc quidem attendis, non modo in homine, sed etiam in arbore, quidquid superuacaneum sit, aut usum non habeat, obstare. quam molestum est, uno digito plus habere? quid ita? quia nec speciem, nec usum alium quinque desiderant. tuus autem deus non digito uno redundat, sed capite, collo, ceruicibus, lateribus, aluo, tergo, poplitibus, manib. pedibus, feminibus, cruribus. si, ut immortalis sit; quid haec ad uitā mēbra pertinent? quid ipsa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur: haec enim sunt domicilia uitae: oris quidem habitus ad uitae firmitatem nihil pertinet. At eos uituperabas, qui ex operibus, magnificis, atque praeclaris, cum ipsum mundum, cum eius membra, caelum, terras, maria, cumq. horum insignia solem, lunā, stellasq. uidissent, dumq. temporum mutationes, maturitates, uicissitudinesq. cognouissent; suspicati essent aliquam excellentem esse, praestantemq. naturam, quae haec fecisset, moueret, regeret, gubernaret. qui etiam si aberrant a coniectura, uideo tamen quid sequantur.

EXPLANATIO

QVID *sequatur*, } nempe coitus, & procreatio. PRINCEPS } auctor Epicurus. SI *non sit bipes?* } cuiusmodi est humana forma. DVRVM } quod offendit aures Romanorum. VSV } consuetudine loquendi. QVAECVMQ. *est*, } cuiuscumq. qualitatis sit. QVID? *mundum*, } Argumentum a pari, ut mundum beatum non uidisti, sic ne innumerabiles mundos uidisti, neque igitur peccas innumerabiles mundos adstruendo; ac si beatitatem mundo attribuas. RATIO *docuit* } subaudi, inquiens. RATIO *non docebit* } Hoc, inquit, magis est rationi congruum, ut a diuina natura uincamur, non solum rationis praestantia, sed etiam corpore. CVR *igitur* } ex negatione principalis partis, uirtute sumus dijs inferiores, igitur forma non sumus pares. AN *quidquam* } Puerile, inquit, est non putare aliquid esse, quod non uideris. AN *quidquam* } Absurdum est, ea, quae non uideris, omnia negare. IPSA *uero* } Differentia inter similitudinem, & mores. VRGEAM } stimulem, uexem, & taxando uellicem. CVRIOSISSIMI } diligentissimi. AD *rem* } subaudi quam uultis confirmandam, nempe similitudine corporis ostendi naturae, ac morum similitudinem. VASTIOR? } membrosior. SIMILLIMIS *formis* } quales sunt geminorum figurae. ET *moribus* } scilicet simillimis, dispar effigies corporis. GENVS *hoc argumenti*; } gradationem talem, qua es usus ad id probandum, quod intendebas. QVO *serpat*. } ad quem finem tendat. SVMEBAS, } enunciabas tamquam uerum, & cōcedēdum. OMNIBVS *his* } quae alius potest sumere, & maxime de corpore mortali, & homine. OBSISTIS } repugnans, quoniam in deum talia non cadunt. VNA *forma* } hominis scilicet. CONSIDERARE, } prudenter pensiculare. SED *quasi sortiri* } Notatur iterum imprudentia, & inconstantia Epicuri. *Sortiri* sorte uenari. NON *modo* } Repetitio argumenti ab inutili. SVPERVACANEVM *sit*, } superfluum sit. VSVM } utilitatē aliquam. OBSTARE. } nocere. SPECIEM, } figuram. VSVM } actum ipsum utendi. REDVNDAT, } superfluit. FEMINIBVS, } membris genitalibus. DOMICILIA *uitae*. } in quibus uita inhabitat, unde uitalia membra appellantur. ORIS *quidem habitus* } id est, figura. AT *eos uituperabas* } Confert argumentum ex

effectis dei cum Epicuri praenotionibus. INSIGNIA ʒ splendores, ornamenta. MATVRITATES, ʒ complementa. VICISSITVDINESQ. ʒ alternationes. SVSPICATI ʒ quadam opinione cognoscentes. NATVRAM, ʒ uim generationi insitam. REGERET ʒ consilio. GVBERNARET ʒ reipsa. QVID *sequaneur.* ʒ quid uellent assequi, nempe in rebus creatis, & ratum ordinem seruantibus, esse creatorem, & rectorem.

CICERO

TV quod opus tandem magnum, & egregium habes, quod effectum diuina mente uideatur, ex quo esse deos suspicere? Habeo, inquis, in animo insitam informationem quandam dei, & barbati quidẽ Iouis, galeatae Mineruae. nũ igitur tales putas? quanto melius haec uulgus imperitorum: qui non membra solum hominis deo tribuunt, sed usum etiam membrorum: dant enim arcum, sagittas, hastam, clypeum, fuscinam, fulmen: & si, actiones quae sint deorum, non uident, nihil agentem tamen deum non queunt cogitare. Ipsi, qui irridentur, Aegyptij nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecrauerunt. ibes maximam uim serpentium conficiũt; cum sint aues excelsae, cruribus rigidis, corneo, proceroq. rostro; auertunt pestem ab Aegypto, cum uolucres angues, ex uastitate Libyae uento Africo inuectas, interficiunt, atque consumunt. ex quo fit, ut illae nec morsu uiuae noceant, nec odore mortuae. possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de feliũ dicere: sed nolo esse longus. ita concludam tamen; belluas a barbaris propter beneficium consecratas, nostrorum deorum non modo beneficium nullum exstare, sed ne factum quidem omnino. Nihil habet, inquit, negotij. Profecto Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. at ipsi tamen pueri, etiã cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: deum sic feriatum uolumus cessatione torpere, ut, si se commouerit, uereamur, ne beatus esse non possit. haec oratio non modo deos spoliat motu, & actione diuina, sed etiam homines inertes efficit; si quidem agens aliquid ne Deus quidem esse beatus potest. Verum sit sane, ut uultis, deus effigies hominis, et imago: quod eius est domicilium? quae sedes? qui locus? quae deinde actio uitae? quibus rebus, id quod uultis, beatus est? utatur enim suis bonis, oportet, & fruatur, qui beatus futurus est. Nam locus quidem ijs etiam naturis, quae sine animis sunt, suus est cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua; superior aeri, ignibus altissima ora reddatur. Bestiarum autem terrenae sunt aliae, partim aquatiles, aliae quasi ancipites, in utraque sede uiuentes: sunt quaedam etiam, quae igne nasci putantur, apparentq. in ardentibus fornacibus saepe uolitantes. Quaero igitur; uester deus primum ubi habitet: deinde, quae caussa eum loco moueat; si modo mouetur aliquando: postremo, cum hoc proprium sit animantium, ut aliquid appetant; quod sit naturae accommodatum: deus quid appetat; ad quam denique rem motu mentis, ac rationis utatur; postremo, quo modo beatus sit, quo modo aeternus. quidquid enim horum attigeris, ulcus est. ita male instituta ratio exitum reperire nõ potest. Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem, neque eandem ad numerum permanere, eamq. esse eius uisionem, ut similitudine, et transitione cernatur, neque deficiat unquam ex infinitis corporibus similium accessio; ex eoq. fieri, ut in haec intenta mẽs nostra beatam illam naturam, & sempiternam putet. Hoc per ipsos deos, de quibus loquimur, quale tandem est? nã, si tantum modo ad cogitationem ualent, nec ullam habent soliditatem, nec eminentiam: quid interest, utrũ de hippocẽtauro, an de deo cogitemus? omnem enim talem conformationem animi cetteri philosophi motũ inanem uocant: uos autem aduentum in animos, & introitum imaginum dicitis.

EXPLANATIO

INFORMATIONEM ʒ effigiationem, siue figurã. NVM *igitur tales putas?* ʒ ac si dicat, Vanissima est haec informationum Iuppiter non est barbarus, & Minerua non est galeata, ut pictores, & fictores effinxerunt. QVANTO *melius haec* ʒ De utilitatibus, siue actionibus dei. VSVM ʒ actum utendi. FVSCINAM ʒ telum est piscatorium, cuius diminutiuum Fuscinula. Est & Fuscina tridens Neptuni. CONSECRAVERVNT. ʒ sacrã, atque diuinam esse decreuerunt. VIM ʒ multitudinem. CONFICIVNT, ʒ enecant. RIGIDIS ʒ asperis, ac duris. AVERTVNT ʒ expellunt. VOLVCRES ʒ alatos. VASTITATE ʒ amplo deserto. CONSVMVNT. ʒ deuorant. ILLAE ʒ angues. ODORE ʒ fetore, quo aer inficitur, gignitq. morbos. ICHNEVMON ʒ inquit Plinius, maxime nascitur Aegypto; qui patentes crocodili dormientis fauces ingressus, ut telum aliquod immissum erodit. Diodorus, Ichneumon oua crocodilorum conterit, quodq. dictu mirabile est, nec oua comedens, neque ulla sua utilitate, sed natura duce, ad necessariam quandam commoditatem mortalium. NEGOTII. ʒ laboris, & curae. PROFECTO *Epicurus* ʒ Inertia deorum refellitur. DELICATI, ʒ molles, ignaui, desides. CESSATIONE ʒ otio, & quiete. CESSANT ʒ uacui sunt litterarijs curis, & feriati. FERIATVM ʒ otiosum, nihil molientem. TORPERE, ʒ languere, otioq. marcescere. INERTES ʒ ignauos. VERVM *sit sane* ʒ Concessio. Esto, inquit, deum habere humanam effigiem. Videamus ubi habitet, quid agat, quibus uoluptatibus abundet: qualis ista sit effigies, ut merito possit dici aeternus, & beatus, quae duo in diuina natura relucere in primis decreuit Epicurus. NAM *locus* ʒ sedis dei inquisitio. FRVATVR, ʒ delectetur proprijs bonis, & nihil ei desit, quod ad beatitudinem pertinet. INVNDET ʒ tegat, & alluat. SVPERIOR *aeri*, ʒ Antiqui libri &, Superius

aer,& supremum aer habent,ego rectius legi putarem. Superiorem aerem subaudiamus,locum teneat:uel,superior aeri:ut insequens membrum spectet:quod in nostro libro reposui. Hoc Paulus pater. ALTISSIMA ora] summum caeli spatium. ANCIPITES] dubiae,& amphibias,quoniam & in terra degunt,& aqua. QVAERO igitur] cumulus quaestionum. QVAE caussa] qui appetitus. NATVRAE accommodatum] aptum cōseruationi, & augmento naturae. QVOMODO beatus] quibus medijs beatitudinem assequatur. QVIDQVID horum] beatitudinis,ac aeternitatis. ATTIGERIS] ut attribuas deo,quasi indigenti. VLCVS est] id est haerebit,uel offendet.argui enim poterit deum esse quiddam corrupubile,& continue defluens,ueluti ulcus. ITA male] Male instituta oratio non reperit exitum. EXITVM] conclusionem certam,& necessariam : cum assumptae propositiones irrationabiles fuerint. SIC enim dicebas,] Repetit quadam paraphrasi Epicuream rationem de beatitudine,& aeternitate diuinae naturae. HOC per ipsos deos,] Deridet Cotta eiusmodi Epicureorum ineptias,dicitq. se nullo modo perspicere, quid sibi uelint haec deliramenta. QVASI] eius proprietatis. AD cogitationem] Animis finguntur,nec re ipsa sunt. CONCITATIONEM] effigiationem. MOTVM inanem] cogitationem uanam,& cassam.quoniam re uera nulla est.

C I C E R O

VT igitur,Ti. Gracchum cum uideor concionantem in Capitolio uidere,de M. Octauio deferentem sitellam,tum eum motum animi dico esse inanē: tu autem & Gracchi,& Octauij imagines remanere, quae,in Capitolium cum peruenerint, tum ad animū meum referantur: hoc idem fieri in deo, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo esse beati atque aeterni intelligantur.fac imagines esse, quibus pulsentur animi: species dumtaxat obijcitur quaedam.num etiam cur beata sit,cur aeterna? quae autem istae imagines uestrae,aut unde? a Democrito omnino haec licentia: sed & ille reprehensus a multis est : nec uos exitum reperitis ; totaq. res uacillat,& claudicat.nam,quid est,quod minus probari possit,quam omnium in me incidere imagines? Homeri,Archilochi,Romuli, Numae,Pythagorae,Platonis,nec ex forma,qua illi fuerunt?quo modo illi ergo?& quorum imagines?Orpheū poetam docet Aristoteles numquam fuisse : & hoc Orphicum carmen Pythagorici ferunt cuiusdam fuisse Cercopis. at Orpheus,id est imago eius, ut uos uultis,in animum meum saepe incurrit. quid, quod eiusdem hominis in meum aliae,aliae in tuum?quid,quod earum rerum, quae numquam omnino fuerunt,neque esse potuerunt,ut Scyllae,ut Chimerae?quid,quod hominum,locorum,urbium earum, quas numquam uidimus? quid,quod , simul ac mihi collibitum est, praesto est imago? quid , quod etiam ad dormientem ueniunt inuocatae? tota res, Vellei , nugatoria est : uos autem non modo oculis imagines , sed etiam animis inculcatis : tanta est impunitas garriendi. at,quam licenter? fluentium frequenter transitio fit uisionum, ut e multis una uideatur.puderet me dicere,non intelligere,si uos ipsi intelligeretis,qui ista defenditis . quo modo enim probas,continenter imagines ferri? aut, si continenter,quo modo aeternae? Innumerabilitas,inquis,suppeditat atomorum . num eadem ergo ista facient, ut sint omnia sempiterna? Confugis ad aequilibritatem:sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus : & ais, quoniam sit natura mortalis, immortalem etiam esse oportere. isto modo, quoniam homines mortales sunt,sint aliqui immortales: &, quoniam nascuntur in terra,nascantur & in aqua: &, quia sunt quae interimant,sint quae conseruent. sint sane : sed ea conseruent, quae sunt : deos istos esse non sentio . Omnis tamen ista rerum effigies ex indiuiduis quo modo corporibus oritur? quae etiam si essent,quae nulla sunt : pellere se ipsa & agitari inter se concursu fortasse possent : formare,figurare,colorare,animare non possent . nullo igitur modo immortalem deum efficitis . Videamus nunc de beato.Sine uirtute certe nullo modo.uirtus autem actuosa,& deus uester nihil agēs : expers uirtutis igitur:ita ne beatus quidem. quae ergo uita? suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interuentu.quorum tandem bonorum? uoluptatum. credo: nempe ad corpus pertinentium : nullam enim nouistis, nisi profectam a corpore, & redeuntem ad corpus,animi uoluptatem.nō arbitror te,Vellei,similem esse Epicureorum reliquorum : quos pudeat earum Epicuri uocum,quibus ille testatur, se ne intelligere quidem ullum bonum , quod sit seiunctum a delicatis, & obscenis uoluptatibus : quas quidem non erubescens persequitur omnes nominatim. quem cibum igitur , aut quas potiones , aut quas uocum , & florum uarietates , aut quos tactus , quos odores adhibebis ad deus, ut eos perfundas uoluptatibus? at poetae quidem nectar, ambrosiam epulis comparant, & aut Iuuentatem, aut Ganymedem pocula ministrantem. tu autem,Epicure,quid facies? neque enim, unde habeat ista deus tuus, uideo, nec quo modo utatur.locupletior igitur hominum natura ad beate uiuendum est,quam deorum, quod pluribus generibus fruitur uoluptatum.

E X P L A N A T I O

VT igitur] Ponit exemplum eiusmodi imaginationis, quae uana dicitur, ab Epicureis autem censebatur uera. CONCIONANTEM] habentem orationem ad populum. MOTVM animi] Motus inanis, id est, imaginatio. DEFERENTEM sitellam] colligentem suffragia; & uota de M. Octauio collega suo, cui tribuniciam dignitatem abrogabat. Est autem Sitella uasculum ore angusto, sed uentre latiori, in quod demittebantur suffragia eligendorum,& abrogandorum magistratuum. EVM motum] eiusmodi imaginationem,

ginationem, ac uisum. INANEM } uanum imaginarium nulla ueritate subnixum. REMANERE, } superesse. IN *Capitolium* } in quo uidetur concionari Gracchus. REFERANTVR: } reducantur. Hoc *idem* } simile dicis esse de diuinis imaginibus. CREBRA *facie* } frequenti intuitu. PELLANTVR } pulsentur, & moueantur. Ex *quo* } propter quem crebrum pulsum. FAC *imagines esse,* } imaginum deorum, quas Epicurus somniat obuersari animis, refutatio. DVMTAXAT } solum, inquit, uidetur simulacrum, cuius uis id non efficit, quod suspicamini. NVM } an scilicet obijcitur, & apparet, cur sit beata, & aeterna eiusmodi imago? quasi dicat, imaginationis apparitio non arguit beatitudinem, nec aeternitatem imaginis, quoniam uana est. QVAE } cuius qualitatis. VNDE } e quibus principijs: nam sunt imagines multorum, qui nunquam fuerunt, ut Orphei. HAEC *licentia* } Temeraria libertas quodcumque libeat fingendi, ubi ueritatis esse debeat indagatio. EXITVM } finem. TOTAQ. *res* } tota caussa de ui deorum. NAM *quid est,* } rationem affert huius claudicationis. PROBARE } commendari tamquam uerisimile. INCIDERE } incurrere. NEC *ex forma, qua ille fuerunt?* } Ridiculum est, inquit, dicere in me incidere Homeri imaginem, quae non respondeat formae Homeri: nam, si Homeri forma diuersa est ab ipsa imagine: quo modo haec ipsa imago erit Homeri? PRAESTO *est* } praesens est, cum mihi placuerit. INCVLCATIS } imprimitis. CONTINENTER } continuatae citra cessationem. INNVMERABILITAS, *inquis,* &c. } Haec erat ratio Epicureorum, quare essent aeternae imagines. SVPPEDITAT } abundat. EADEM *ista* } nempe quod imagines continenter ferantur, & atomorum innumerabilium suppeditatio. VT *fiat omnia sempiterna?* } quasi dicat non, & uos nihil affertis quod hoc concludat, & probet. CONFVGIS *ad aequilibritatem* } infirmatio ἰσονομίας Epicuri. SI *placet,* } modeste corrigit Velleium, qui Isonomiam interpretatus fuerat aequabilem tributionem. ISTO *modo* } qui sequitur, Quoniam homines &c. DEOS *istos* } ab Epicureis confictos. EX *indiuiduis corporibus* } quae Epicurus appellat atomos. QVAE } indiuidua corpora. NVLLO *igitur modo* } Concludit, dei immortalitatem ex motu imaginum, & atomorum, probari non posse. VIDEAMVS *nunc de beato.* } hoc est, an deus Epicureorum esse possit beatus. Negat deum Epicuri esse beatum, ducto argumento ex definitione: Virtus est actuosa; Deus Epicuri nihil agit. Igitur uirtute non est praeditus, & per consequens, nec beatus. ACTVOSA, } in actione consistit. QVAE *ergo uita?* } Vita deorum uoluptaria confutatur. Quaerit Cotta, qualem uitam degat Epicureorum deus: ut, postquam ademit illi immortalitatem, & beatitudinem, tandem adimat etiam delectationem. SVPPEDITATIO } redundantia. NVLLAM *enim nouistis, nisi* &c. } Voluptas Epicuri. QVOD *sit seiunctum* } Nullum bonum nouit Epicurus seiunctum a uoluptatibus obscenis. DELICATIS } suauibus, delectantibus gustum, & tactum. OBSCENIS } turpibus, tamquam communibus homini cum bestijs. PERSEQVITVR } enumerat. PERFVNDAS } irriges. AT *poetae quidem* } sensus est, Melius quidem poetae, quam nos. hi enim conuiuijs deorum commenti sunt nectar ambrosiam, &, aut Heben, aut Ganymedem, qui pocula ministraret.

C I C E R O

AT *has leuiores ducis uoluptates, quibus quasi titillatio (Epicuri enim hoc uerbum) sensibus adhibetur. Quousque ludis? nam Philo noster ferre non poterat, aspernari Epicureos molles, & delicatas uoluptates: summa enim memoria pronunciabat plurimas Epicuri sententias ijs ipsis uerbis, quibus erant scripta: Metrodori uero, qui est Epicuri collega sapientiae, multa impudentiora recitabat: accusat enim Timocratem, fratrem suum, Metrodorus, quod dubitet omnia, quae ad beatam uitam pertineant, uentre metiri: neque id semel dixit, sed saepius. Annuere te uideo: nota enim tibi sunt: proferrem libros, si negares. Neque nunc reprehendo, quod ad uoluptatem omnia referantur: alia est ea quaestio: sed doceo, deos uestros esse uoluptatis expertes: ita uestro iudicio ne beatos quidem. At dolore uacant. satin est id ad illam abundantem bonis uitam beatissimam? Cogitant, inquis, assidue beatos esse se: habent enim nihil aliud, quod agitent in mente. comprehende igitur animo, & propone ante oculos, deum nihil aliud in omni aeternitate, nisi, mihi pulchre est, &, ego beatus sum, cogitantem: nec tamen uideo, quo modo non uereatur iste deus beatus, cum sine ulla intermissione pulsetur, agiteturq. incursione atomorum sempiterna; cumq. ex ipso imagines semper affluant. ita nec beatus est uester deus, nec aeternus. At etiam de sanctitate, de pietate aduersus deos, libros scripsit Epicurus. at quo modo in his loquitur? ut Coruncanium, aut Scaeuolam, pontifices maximos, te audire dicas, non eum, qui sustulerit omnem funditus religionem; nec manibus, ut Xerses, sed rationibus, deorum immortalium templa & aras euerterit. Quid est enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dij non modo homines non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant? At est eorum eximia quaedam, praestansq. natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam allicere sapientem. An quidquam eximium potest esse in ea natura, quae sua uoluptate laetans, nihil nec actura sit umquam, neque agat, neque egerit? Quae porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ui deberi potest? est enim pietas, iustitia aduersum deos: cum quibus quid potest nobis esse iuris, cum homini nulla cum deo sit communitas? sanctitas autem est scientia colendorum deorum: qui quamobrem colendi sint, non intelligo, nullo nec accepto ab ijs, nec sperato bono. quid est autem, quod eos ueneremur propter admirationem eius naturae, in qua egregium nihil uidemus?*

EXPLANATIO

DVCIS } opinaris. TITILLATIO } commotio quaedam, & ueluti pruritus sensui iucundus. LVDIS? } iocaris atque derides. NOSTER } Academicus. MOLLES } libidinosas. COLLEGA } eiusdem disciplinae, & alter Epicurus. VENTRE *metiri* } ex his, quae spectant ad gustum, & tactum, iudicare. ANNVERE } nutu affirmare. AD *uoluptatem* } tamquam ad ultimum finem. REFERANTVR: } reducantur. ALIA *est ea quaestio* } pertinet enim ad actuosam philosophiam, & fines bonorum atq. malorum. AT *dolore uacant.* } Maximam illam uoluptatem censent Epicurei, quae percipitur omni dolore detracto: sed uacuitas doloris non sufficit ad beatam uitam. SATIN *est &c.* } non satis est, inquit indolentia ad efficiendam uitam beatissimam. COGITANT *inquiunt* } Beatitudo imaginaria. COMPREHENDE } concipe; & imaginare, ita esse, ut dicitis, non tamen beatus esse potest cum pulsetur, ut uos uultis in atomico cursu sempiterno. PVLCHRE } bene, atq. iucunde. AT *etiam de sanctitate,* } De cultu deorum, quoniam uerbis quidem asserit, sed re tollit Epicurus. ADVERSVS *deos* } erga numerum colendum. AT *quo modo* } quasi dicat, Verba sunt religiosissimo uiro digna. QVID *est enim,* } Qui prouidentiam dei negat, cultum eius tollit. NON *enim, qui sustulerit omnem funditus religionem* } nimirum cum dixerit Epicurus, in deo nec gratiam esse nec iram. VT *Xerses,* } In II. de legibus inquit Cicero, Nec sequor Magos Persarum, quibus auctoribus Xerses inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia, & libera, quorumq. hic mundus omnis templum esset, & domus. HOMINES *non colant.* } Hominibus non consulant, magis probarem. erat enim haec Epicuri sententia, deos hominibus non consulere. quod Cotta refellit, cum hoc loco, tum in fine libri, cum inquit: Dij, nulla re egentes, & inter se diligunt, & hominibus consulunt. Item lib. II. Primum docent esse deos: deinde, quales sint: tum mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. Et, Si, inquit, omnibus hominibus deos consulere censemus. Et lib. III. Primum, deorum ne prouidentia mundus regatur: deinde, consulant ne dij rebus humanis. Et, Vitae hominum consuli a dijs, & prouideri. Et alibi in eandem sententiam saepissime. Quae quia tam manifesta in re minus uidentur esse necessaria, praetermittam. Haec Paullus pater. AT *est eorum eximia* } Nihil est eximium, & ueneratione dignum in deo otioso, & uoluptario Epicuri. EST *enim pietas,* } pietatis definitio. COMMVNITAS? } communicatio munerum, & beneficiorum nos obligans, ut ex iustitia deo tribuamus, quod illi debeatur.

CICERO

NAM superstitione, quod gloriari soletis, facile est liberari, cum sustuleris omnem uim deorum. nisi forte Diagoram, aut Theodorũ, qui omnino deos esse negabant, censes superstitiosos esse potuisse. ego ne Protagoram quidem: cui neutrum liquerit, nec esse deos, nec non esse. horum enim sententiae omniũ non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor inanis deorum; sed etiam religionem, quae deorum cultu pie continetur. Quid? ij, qui dixerunt, totam de dijs immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reip. caussa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret; non ne omnem religionem funditus sustulerũt? Quid? Prodicus Chius, qui ea, quae prodessent hominum uitae, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit? Quid? qui aut fortes, aut claros, aut potentes uiros tradunt post mortem ad deos peruenisse, eosq. esse ipsos, quos nos colere, precari, uenerariq. soleamus; non ne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Euhemero est: quem noster & interpretatus, & secutus est praeter ceteros Ennius. ab Euhemero autem, & mortes, & sepulturae demonstrantur deorum. utrum igitur hic confirmasse religionem uidetur, an penitus totam sustulisse? Omitto Eleusinam sanctam illam, & augustam,

Vbi initiantur gentes orarum ultimae:

praeterea Samothraciam, eaque, quae Lemni nocturno aditu occulta coluntur, siluestribus saepibus densa. quibus explicatis, ad rationemq. reuocatis; rerũ magis natura cognoscitur, quam deorum. Mihi quidem etiam Democritus, uir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortulos suos irrigauit, nutare uidetur in natura deorum. tum enim censet imagines diuinitate praeditas inesse uniuersitati rerum: tum principia, mentesque, quae sunt in eodem uniuerso, deos esse dicit; tum animantes imagines, quae uel prodesse nobis solent, uel nocere; tum ingentes quasdam imagines, tantasque, ut uniuersum mundũ complectãtur extrinsecus. Quae quidem omnia sunt patria Democriti, quam Democrito, digniora. quis enim istas imagines comprehendere animo potest? quis admirari? quis aut cultu, aut religione dignas iudicare? Epicurus uero ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cum dijs immortalibus & opẽ, & gratiam sustulit. cum enim optimam & praestantissimam naturam dei dicat esse, negat idem esse in deo gratiam: tollit id, quod maxime propriũ est optimae, praestantissimaeq. naturae. qd enim est melius, aut quid praestantius bonitate, & beneficentia? qua cum carere deum uultis; neminem deo nec deum, nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminẽ diligi uultis. ita fit, ut non modo homines a dijs, sed ipsi dij inter se ab alijs alij negligantur. Quanto Stoici melius, qui a uobis reprehendũtur. censent autem sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. nihil est enim uirtute amabilius: quam qui adeptus erit ubicunque gentium, a nobis diligetur.

EXPLANATIO

SVPERSTITIONE, } uano timore deorum. OMNEM *uim deorum*. } omnem deorum impetum, & iram punitricem. NISI *forte &c.* } Sensus est: Nulli dubium esse potest, Epicureos liberasse mortales a superstitione, non minus quam Diagoram, Protagoram, & alios, qui omnem religionem funditus sustulerunt. QVID? *ij, qui dixerunt* } Ficta quorundam opinio de deo. REIP. *caussa*, } pro cõi utilitate rerum publicarũ, quae citra religionem sine bonam, & firmam opinionem de dijs, bene regi non possunt. PRODICVS *Chius*, } Alij uidentur legisse in antiquo libro, Prodicus Cius. nos hic haeremus, cum superius auctorem huius sententiae fuisse Perseum appareat. nisi si uelis legere, Perseus Citieus, non Prodicus Cius, litteris haud ita dissimilibus, ut correctio temeraria uideri possit. Perseum autem, Zenonis auditorem, fuisse Citieum, Sudas, & Laertius in Zenone testatur. Haec Paullus pater. QVID? *Prodicus*: Commoda uitae pro dijs habita. QVID? *qui aut fortes*, } ἀποθέωσιν, id est, consecratio, seu relatio hominum praeclarorum in deos. QVAE *ratio* } qui modus perueniendi ad deos per uirtutes, & principatus. TRACTATA *est* } monumentis scilicet litterarum. AB *Euhemero* } Lactantius Firmianus lib. I. de falsa religio. ita scribit, Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit e ciuitate Messana, res gestas Iouis, & ceterorum, qui dij putantur, collegit, historiamq. cõtexuit. hanc interpretatus est Ennius, & secutus. INTERPRETATVS *est* } in Latinum uertit. nempe sacram Euhemeri historiam. ELEVSINAM *sanctam* } Cererem religiosam, quae uti communis omnium mater apud Eleusinem Atticae urbem sacris inuiolabilibus colebatur. Cereris autem nomine terram intelligebant. AVGVSTAM } illustrem, praeclaram, maiestate praeditam. VBI } apud quam Cererem in eius templo. INITIANTVR } instruuntur sacris Cerealibus. GENTES *orarum ultimae* } gentes, quae ab extremis, ac per hoc remotissimis regionibus, ibi conueniunt in templo: de quo Strabo agens de Attica regione sic inquit: Eleusis urbs, ubi Eleusinae Cereris templum extat, & mysticum fanum, turbae theatralis capacissimum. SAMOTHRACIAM, *eamque, quae Lemni &c.* } Samothracia & Lemnos insulae sunt maris Aegei uersus Thraciam. NOCTVRNO *aditu occulta coluntur*, } Videtur cautum occultari quod turpiter foedeq. commissum sit. Honestũ enim, & sanctum non pudet euulgari. AD *rationemq. reuocatis* } id est prudenter examinatis. RERVM } terrestrium scilicet. in quibus homo principem locum obtinet. ac si dicat ex ijs sacris magis cognosci naturam hominum, quam deorum. MIHI *quidem etiam* } Democriti delirium de dijs exploditur. NATVRAE } ambigere. PRINCIPIA } semina rerum. MENTESQVE, } intelligentias. ANIMANTES *imagines* } formas pulsantes sensus terrestrium. TANTAS } tam magnas. PATRIA *Democritis* } Abdero scilicet urbe Thraciae, cuius aer crassus erat. Delirationis Abderitarum meminit Lucianus. Vnde Iuuenalis:

Abderitanae pectora plebis habes.

DEMOCRITO } philosophica doctrina, quam profitebatur Democritus. COMPREHENDERE } imaginari, & ueras esse credere. RELIGIONE } debita ueneratione. EPICVRVS *uero &c.* } Epicurus adimens deo essentiales proprietates, gratiam, bonitatem &c. deum ipsum de medio tollit. OPEM } subsidium. GRATIAM } promptam, ac benignam uoluntatem promerendi. CARVM } amabilem, pretiosum. QVANTO *Stoici melius*. } Antithesis Stoicae sectae, quae ob uirtutem diligendos, & uenerandos consentit deos. *Melius*: uerius, eruditus. CENSENT } opinantur. AMICOS. } beneuolos, atque beneficos. AMABILIVS } pretiosius, aptius, & dignius amari.

CICERO

VOs autem quid mali datis, cum imbecillitatem gratificationem, & beneuolentiam ponitis? ut enim omittam uim, & naturam deorum; ne homines quidem censetis, nisi imbecilli essent, futuros beneficos, & benignos fuisse. nulla est caritas naturalis inter bonos? carum ipsum uerbum est amoris: ex quo amicitiae nomen est ductum: quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus: non erit ista amicitia, sed mercatura quaedã utilitatum suarum. prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur. hominum caritas, & amicitia gratuita est: quanto igitur magis deorum? qui nulla re egentes & inter se diligunt, & hominibus consulunt. quod ni ita sit, quid ueneramur, quid praecamur deos? cur sacris põtifices, cur auspicijs augures praesũt? quid optamus a dijs immortalibus? quid uouemus? At etiam Epicuri liber est de sanctitate. ludimur ab homine nõ tã faceto, quam ad scribendi licentiã libero. quae enim potest esse sanctitas, si dij humana nõ curant? quae autem animãs natura, nihil curans? uerius est igitur illud nimirum, quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in libro quincto de natura deorũ, nullos esse deos Epicuro uideri: quaeq. is de dijs immortalibus dixerit, inuidiae detestãdae gratia dixisse. neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculis similem deum fingere, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido: membris hominis praeditum omnibus usu membrorum ne minimo quidem: exilẽ quendam, atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem. quae natura primum nulla esse potest: idq. uidẽs Epicurus, re tollit, oratione relinquit deos: deinde, si maxime talis est deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur; ualeat: quid enim dicam, propitius sit? esse enim propitius potest nemini: quoniam, ut dicitis omnis in imbecillitate est & gratia, & caritas.

EXPLANATIO

QVID *mali datis*, } quantum mali afferunt ratiocinationes uestrae? IMBECILLITATEM } impotentiam. GRATIFICATIONEM } collationem beneficiorum. PONITIS? } confunditis: nimirum aestimantes gratificationem, & beneuolentiam esse imbecillitatis indicium. VIM, *& naturam deorum* } naturalem proprietatem diuini numinis. BENEFICOS } auxiliatores. BENIGNOS } beneuolos. CARITAS } dilectio. NATVRALIS } naturae insita. CARVM *ipsum* } Explicat Cotta uim, & significationem caritatis. Carum, inquit, dicitur pretiosum, & dignum amore, a quo amicitia dicta, quae est beneuolentia mutua, non latens. QVAM *si ad* } amicitia non est propriarum utilitatum mercatura. DVCTVM } deriuatum. MERCATVRA } negotiatio, & ars lucrandi. GRATVITA } nullum exigens praemium extrinsecum. CONSVLVNT } prouident. SACRIS } sacrorum caerimonijs. QVID *nouemus*? } ac si dicat, Frustra haec omnia fiunt, si dij humana non curant, nec hominibus consulunt. DE *sanctitate* } de caerimonijs, siue scientia honorandi diuinam naturam. Confutat sanctitatem Epicuri fictam euincens per quem ἰσονομίαν Epicuro nullum esse deum, quantumuis uerbis eum iactet plausibilibus. LVDIMVR } deridemur, inquit Cotta, ab Epicuro, qui aliter scripsit, & aliter sensit. NON *tam faceto* } non tam iocoso. INVIDIAE *detestandae gratia* } ut odium detestandum repelleret; quoniam Athenienses puniebant impios. NEQ. *enim* } ratio, quare sic esset de Epicuro sentiendum, quoniam, cum esset philosophus, sciebat eiusmodi naturam neque corpus non reperiri. NON *habitu solido* } citra internam soliditatem, ac si esset imago stuppea. EXILEM } tenuem. PERLVCIDVM } transmittentem lumen, nihil habentem densi. Haec dicuntur a Graecis Diaphana, a uerbo φαίνω, siue φαίνομαι, id est luceo, & appareo. inde Phaenomena, de quibus scripsit Aratus: & διὰ Graeco, quod Per Latine significat. QVAE *natura* } quae naturalis qualitas deorum. RE } opinione, ac sententia. TENEATVR } occupetur. VALEAT } recedat a nobis. QVID *enim dicam, &c.* } quasi dicat, frustra id dixerim. PROPITIVS } fautor. QVONIAM, *ut dicitis omnis &c.* } nam, si gratia, & caritas in deo essent, imbecillitas quoque inesset, uti Epicuri deliramenta interpretantur.



IN M. TVLLII CICERONIS DE NATVRA DEORVM AD M. IVNIVM BRVTVM LIBRVM II.

Commentarius Aldi Mannuccij.





ARGVMENTVM

Balbus ex Stoicorum disciplina disserit deos esse, mundumq. ab ijs regi, & humanam gentem praecipue curari ac diligi: interim de Astronomia deq. planetarum motibus, & effectibus luculente tractans, deniq. de animantium complurium natura, & de fabrica partium corporis humani. Horum autem omnium cognitio, ut summe necessaria, ita & gratissima esse debet omnibus studiosis.

CICERO



QVAE cum Cotta dixisset, tum Velleius, Nae ego, inquit, incautus, qui cum Academico, & eodem rhetore congredi conatus sum. nam neque indesertum Academicũ pertimuissem, nec sine ista philosophia rhetorem quamuis eloquentem, neq. enim flumine conturbor inanium uerborum, nec subtilitate sententiarũ, si orationis est siccitas. tu autem, Cotta, utraque re ualuisti: corona tibi, & iudices defuerunt. sed ad ista alias: nunc Lucilium, si ipsi commodum est, audiamus. Tum Balbus, Eundem equidem, inquit, mallem audire Cottam, dum, qua eloquentia falsos deos sustulit, eadem ueros inducat. est enim & philosophi, & pontificis, & Cottae, de dijs immortalibus habere non errantem, & uagam, ut Academici, sed, ut nostri, stabilem, certamq. sententiam. nam contra Epicurum satis superq. dictum est. sed aueo audire, tu ipse Cotta quid sentias. An, inquit, oblitus es, quod initio dixerim, facilius me, talibus praesertim de rebus, quid non sentirem, quam quid sentirem, posse dicere? quod si haberem aliquid, quod liqueret; tamen te audire uicissim uellem, cum ipse tam multa dixissem. Tum Balbus, Geram tibi morem, & agam quam breuissime potero. etenim, conuictis Epicuri erroribus, longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino diuidunt nostri totam istam de dijs immortalibus quaestionem in partes quattuor. primum, docent esse deos: deinde, quales sint: tum, mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. Nos autem hoc sermone, quae priora duo sunt, sumamus: tertium, & quartum, quia maiora sunt, puto in aliud esse tempus differẽda. Minime uero, inquit Cotta. nam & otiosi sumus; & ijs de rebus agimus, quae sunt etiam negotijs anteponendae. Tum Lucilius, Ne egere quidem uidetur, inquit, oratione prima pars. quid enim potest esse tam apertum, tamq. perspicuum, cum caelum suspeximus, caelestiaq. contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? quod ni ita esset; qui potuisset assensu omnium dicere Ennius,

Adspice hoc sublime candens, quem uocant omnes Iouem.

illum uero et Iouem, & dominatorem rerũ, & omnia nutu regentem, &, ut idem Ennius,

-patrem diuumq. hominumq.

& praesentem, ac praepotentem deum. quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus

lus sit, dubitare possit. quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitum, comprehensumq. animis haberemus; non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis, aetatibusq. hominum inueterare potuisset. etenim uidemus ceteras opiniones fictas, atque uanas diuturnitate extabuisse. quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimaeram putat? quae ue anus tam excors inueniri potest, quae illa, quae quondam credebantur, apud inferos portenta extimescat? opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. itaque et in nostro populo, & in ceteris deorũ cultus, religionumq. sanctitates existunt in dies maiores, atque meliores: idq. euenit non temere, nec casu, sed quod & praesentiam saepe diui suam declarant: ut & apud Regillum bello Latino, cum A. Postumius dictator cum Octauio Mamilio Tusculano proelio dimicaret, in nostra acie Castor, & Pollux ex equis pugnare uisi sunt: et recentiore memoria, ijdem Tyndaridae Persen uictum nunciauerunt. P. enim Vatienus, auus huius adolescentis, cum e praefectura Reatina Romam uenienti noctu duo iuuenes cũ equis albis dixissent, regem Persen illo die captum, senatui nunciauit: et primo, quasi temere de rep. locutus esset, in carcerem coniectus est; post, a Paullo litteris allatis, cum idem dies constitisset, & agro a senatu, & uacatione donatus est.

EXPLANATIO



QVAE *cum Cotta dixisset*,} Continuatio libri praesentis & superioris continens commendationem orationis a Cotta habitae. INCAVTVS} improuidus. ACADEMICO,} ex consequenti ambiguo omnia in dubium reuocantem. RHETORE} eloquentiae formulis instructo. CONGREDI} disputare. INDISERTVM} eloquentiae expertem. ISTA} Academica, lubrica. NEQVE *enim flumine*} Flumen inanium uerborum nihil mouet, sed oportet cum bonitate sententiarum orationis ubertatem coniungere. FLVMINE:} abundanti copia, Metaphora. CONTVRBOR} non commoueor, aut terreor. INANIVM} sine sententijs. SICCITAS.} ariditas quaedam. Sententiae, inquit, sine decenti ornatu me non mouent. CORONA} coetus auditorum, circumstans populus, ut fiebat in caussis iudiciarijs. COMMODVM} opportunum. TVM *Balbus Eundem*} Modesta concertatio περὶ πρωτολογίας, id est, de primis partibus agendi. EST *enim & philosophi*} Decet philosophum ueritatis indagatorem. Argumentum a condicione personae. ET *pontificis*} qui summe curare debet, ne ualidissima reip. fundamenta labefactentur. ET *Cottae*} philosophi, Pontificis, & praeterea ciuis grauis, qui de deo bene sentire, ac loqui debet. ERRANTEM,} fluctuantem. VAGAM,} incertam. NOSTRI} Stoici. AVEO} desidero, exopto. TALIBVS *de rebus*} de natura deorũ. QVID *non sentirem*} quod mihi uideretur falsum. LIQVERET;} clarum esset. VICISSIM} ex altera parte. GERAM *tibi morem*,} obsequar studio tuo. Balbi docilitas. AGAM} tractabo. OMNINO.} propositio quadripartita. QVAESTIONEM} disputationem. DOCENT *esse deos*} probant esse diuinam naturam. QVALES *sint*} deorum naturales proprietates. ADMINISTRARI} gubernari. CONSVLERE} prouidere, curam habere. DVO, *quae priora sunt*} hoc est essentiam, & qualitates. MAIORA} difficiliora ad probandum. IN *alind tempus*} disputationi magis commodum. NAM *& otiosi sumus*} nimirum a defensionum laboribus, senatorijsq. muneribus. Feriis Latinis haec acta sunt, & otium erat, atque uacatio a publicis muneribus. alludere tamen uidetur Cicero ad Caesarem, qui negotia ciuium, & imperii in se unum transcripserat. AGIMVS,} disputamus. TVM *Lucilius*,} Prima pars quaestionis habens perspicuam asseuerationem, quod sit deus, cuius prima demonstratio sumitur a caeli contemplatione, quod est speculum illustre, & euidens naturae dei aeternae & omnipotentis. ALIQVOD *numen praestantissimae mentis*,} Numen, quasi nutus mentis uidetur dici. Nutus uero propriae est signum, quod motione capitis fit ad aliquod affirmandum, aut negandum. Erit igitur numen praestantissimae mentis, diuina uis, quae dum arbitrio, siue uoluntate sua moderatur omnia, moderatione ipsa tamquam certissimo nutu ostendit, siue notionem affert se omnibus moderatis rebus praestare. QVI} quo modo. ASSENSV} comprobatione. ADSPICE *hoc*} subaudi, numen. SVBLIME *candens*} Caelum candore fulgens lucidum, purum: ueluti sunt res candidae. Senarius est integer. nam duae uoces, Adspice hoc, pertinent ad praecedentem uersum. QVEM *Iouem*} Relatiuum iungitur sequenti nomini, ut Sallustianum illud: Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. NVTV} arbitrio. PRAESENTEM} propitium, beneficum, & statim fauens. PRAEPOTENTEM} maximarum uirium. AN *nullus sit*,} an non sit. QVID *enim est hoc illo euidentius?*} nulla est, inquit, caussa, cur esse solem sit res euidentior, quam esse numẽ praestantissimae mentis, quo mundana omnia regantur. NON *tam stabilis*} Secunda demonstratio, quod deus sit, sumpta a communi consensu, & inueterato. INVETERARE} perseuerare. EXTABVISSE} corruptas esse. EXCORS} inscia. PORTENTA} monstra. OPINIONVM} Opinionum commenta dies delet, sed ueritatem tempus confirmat. COMMENTA} fictiones. DIES,} tempus. NATVRAE *iudicia*} quae natura homini suggerit. CVLTVS} ueneratio. SANCTITATES} caerimoniae. SED *quod & praesentiam*} Tertia demonstratio, quod deus sit, sumpta a praesentia dei multis rebus declarata. APVD *Regillum*} subaudi lacum: hic est uia Praenestina, & nunc uulgo dicitur Palus Griphi. NOSTRA *acie*} Romano exercitu. RECENTIORE *memoria.*} uiciniore tempore. QVASI *temere*} inconsulte. A *Paullo*} consule, uidelicet Paullo Aemilio, qui Persen cepit. CVM *idem dies constitisset*,} Eodem die, quem Vatienus dixisset, factũ id esse, liqueret. VACATIONE} immunitate, ne aliquod onus pro rep. subiret. Vide Val. Max. in I. Exemplorum.

CICERO

ATQVE etiam, cum ad fluuium Sacram Crotoniatas Locri maximo proelio deuicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiae, memoriae proditum est. saepe Faunorum uoces exauditae, saepe uisae formae deorum, quemuis aut non hebetem, aut impium, deos praesentes esse, confiteri coegerunt. praedictiones uero, & praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. quod si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Calchantem, Helenum, quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae adsciuissent, si res omnino repudiarent: ne domesticis quidem exemplis docti, numen deorum comprobabimus? nihil nos P. Claudij bello Punico primo temeritas mouebit? qui etiam per iocum deos irridens, cum cauea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, ut biberent, quoniam esse nollent. qui risus, classe deuicta, multas ipsi lacrymas, magnam populo R. cladem attulit. Quid? collega eius Iunius eodem bello non ne tempestate classem amisit, cum auspicijs non paruisset? itaque P. Claudius a populo condemnatus est, Iunius necem sibi ipse consciuit. C. Flaminium Coelius, religione neglecta, cecidisse apud Trasimenum scribit, cum magno reip. uulnere. quorum exitio intelligi potest, eorum imperijs remp. amplificatã, qui religionibus paruissent. &, si conferre uolumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur religione, id est cultu deorum multo superiores. An Attij Nauij lituus ille, quo ad inuestigandum suem regiones uineae terminauit, contemnendus est? crederem, nisi eius augurio rex Hostilius maxima bella gessisset. sed, negligentia nobilitatis, augurium disciplina omissa, ueritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. itaque maximae reip. partes, in his bella, quibus reip. salus continetur, nullis auspicijs administrantur, nulla perennia seruantur, nulla ex acuminibus, nulli uiri uocantur: ex quo in procinctu testamenta perierunt. tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, cum auspicia posuerunt. at uero apud maiores tanta religionis uis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos dijs immortalibus, capite uelato, uerbis certis pro rep. deuouerent. multa ex Sibyllinis uaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum, quibus ea confirmentur, quae dubia nemini debent esse. atqui & nostrorum augurum, & Etruscorum, & haruspicum disciplinam P. Scipione, C. Figulo cos. res ipsa probauit. quos cum Ti. Gracchus consul iterum crearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus, cum comitia nihilo minus peregisset, remq. illam in religionem populo uenisse sentiret, ad senatum retulit. senatus, quos ad soleret, referendum censuit. haruspices intro ducti, responderunt, non fuisse iustum comitiorum rogatorem. tum Gracchus, ut e patre audiebam, incensus ira, Ita ne uero? ego non iustus, qui & consul rogaui, & augur, & auspicato? an uos Tusci, ac barbari auspiciorum populi R. ius tenetis, & interpretes esse comitiorum potestis? itaque tũ illos exire iussit. post autem e prouincia litteras ad collegium misit, se, cum legeret libros, recordatum esse uitio sibi tabernaculum captũ fuisse haruspectionis, quod, cum pomerium postea intrasset habendi senatus caussa, in redeundo, cum idem pomerium transiret, auspicari esse oblitus: itaque uitio creatos esse consules. augures rem ad senatum: senatus, ut abdicarent: consules abdicauerunt.

EXPLANATIO

SAGRA } fluuius est Lucaniae, in cuius ripa, ut auctor est Strabo, Castoris, & Pollucis arae sitae sunt: ad quas decem Locrorum millia una cum Rheginis, aduersus Crotoniatas, numero centum, & triginta millia, Marte collato, uictores fuerunt. OLYMPIA } locus, & regio Peloponnesi, ubi fuit olim Olympiorum celebritas. FAVNORVM } Fauni rusticae sunt numina. HEBETEM } obtusi ingenij. IMPIVM } praue de deo sentientem. PRAESENTES } fautores. PORTENDI, } significari. MOPSVM, *Tiresiã, &c.* } Omnes hi augures fuerũt: Mopsus Argiuorũ Rex, Tiresias Thebanus, Chalcas Graecus, Helenus Troianus, Priami regis filius. ADSCIVISSENT, } recepissent, & nominassent augures. SI *res omnino repudiarent* } si uere exstitissent augures. DOMESTICIS *exemplis* } ex Romana historia de poena contẽptae religionis, & auspiciorum, ad uim, & praesentiam dei testificandam. MOVEBIT? } hoc est, coget credere. PVLLI } galli gallinacei. ESSE *nollent.* } nollent comedere. QVI *risus* } iocus in contemptum auspiciorum. COLLEGA } socius in consulatu. CONSCIVIT } intulit. COELIVS } Antipater, ciuis Romanus, qui Annales scripsit. QVORVM *exitio* } morte calamitosa. CONFERRE } comparare. EXTERNIS, } alienigenis. LITVVS } Cicero in I. de Diuin. Clarissimum est, inquit, insigne auguratus. id est curuum, & a summo inflexum bacillum. INVESTIGANDAM *suem* } requirẽdam suem a puero amissam. TERMINAVIT } mensus est ad certum spatium. NEGLIGENTIA *nobilitatis* } non enim curabant Romani addiscere, sed potius contemnebant auguriorum disciplinam, in qua cum excellerent Etrusci, senatus, ut alibi inquit Cicero, decreuit ut de principum filijs, sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur. NVLLIS *auspicijs* } nullo captato auspicio. NVLLA *perennia.* } ita dicebantur auguria, quae consul, aut praetor amnem transmissurus captabat. Cicero in II. de Diuin. Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, &c. NVLLI *uiri uocantur* } nimirum ad consultandum. nam ut in I. de Diuin. inquit Cicero, augures singulis quibusq. nonis conuenire solebant. Vocabantur etiam augures a magistratibus, cum noui aliquid accidisset, ut ex illorum consilio, & sententia id agerent, quod e rep. uideretur. IN *procinctu* } in expeditione ad

pugnam. At *uero apud* } Opponit maiorum religionem sui saeculi negligentiae. Etruscorum, *& haruspicum* } Lego, Etruscorum haruspicum. de Diuinatione lib. I. Probavit } commendauit, confirmauit. P. Scipione, } Exemplum Gracchi, qui errorem suum tandem confessus est, quod uidelicet neglectis auspicijs consules creasset. Consul *iterum* } in secundo consulatu. Crearet } designaret. Primus *rogatorum.* } hoc est, ille, qui in electione consulum primus rogabatur sententiam. Vt *eos retulit* } ut eos nominauit consules designandos, Comitia *peregisset* } in comitijs prosequeretur ad designationem nouorum consulum. Rem *illam* } casum primi rogatoris. In *religionem* } in metum uiolatae religionis. Retulit. } posuit in consultationem senatus, ut censeret quid agendum foret. Quos *adsoleret* } nimirum ad augures, & haruspices, more maiorum. Iustum } legitimum. Auspicato? } captatis auspicijs. Barbari } moribus inhumanis, feris. Ius } legitimum ritum. Interpretes } enarratores. Comitiorum } conuentuum. E provincia } Sardinia. ita enim Cicero libro Epistolarum tertio ad Atticum scribit: Habet profecto quoddam Sardinia appositum ad recordationem praeteritae memoriae. nam, ut ille Gracchus augur, posteaquam in istam prouinciam uenit, recordatus est, quid sibi in campo Martio accidisset. Ad *collegium* } ad augurum coetum. Libros } augurales. Vitio *sibi tabernaculum captum fuisse haruspectionis*, } Haruspectionis tabernaculum uocat, quod auspicandi caussa coeperat Gracchus. Foeda autem macula locus hic in omnibus antea impressis libris deformatus fuerat: cum imperiti homines ex antiqua uoce, Haruspectionis fecissent, In hortos Scipionis. quibus ex uerbis cum idonea sententia nulla elici posset; cumq. neque Cicero ipse in libris de diuinatione, ubi bis hanc historiam narrat, neque ceteri, qui eandem litteris prodiderunt, ullam Scipionis hortorum mentionem faciant: subesse mendum, facile equidem intelligebam; neque tamen prius manus admouere ausus sum, quam in uetustis libris hoc, quod nunc reposui, perspicue scriptum animaduerti. Tueamur igitur antiquitatem, licet obscura rerum cognitio sit. ne, dum blandimur insciriae nostrae, longius a ueritate discedamus. Plutarchi quidem locus, in uita Marcelli, cur nonnullis uideatur Scipionis hortos potius, quam, Haruspectionem significare, caussam non uideo: ego sequor, ut dixi, ueteres libros: & antiqua uerba, licet rara, nec ad intelligendum aperta, libenter tamen conseruo. Quamquam hic quidem Haruspectio quid significet, satis constat. Neque mutare dicitur, qui libros impressos ad antiquorũ exemplũ corrigit, sed qui discedit ab antiquis. Itaque non ego, ut quidam dixit, huius correctionis auctor, sed restitutor. nihil enim ex ingenio reposui. Contra uero temere fecerunt, qui, coniecturam secuti, legere maluerunt, In hortos Scipionis: aut, cur id fecerint, testes antiquos libros, uel historiam aliquam proferant. Haec Paullus pater, *uitio sibi captum fuisse;* perperam se elegisse, non seruato auspicandi ritu. Pomerium } locus est intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, penes muros, regionibus certis determinatus, qui facit finẽ urbani auspicij. Ita pomerium definierunt augures pop. Rom. qui libros de Auspicijs scripserunt. Vide Gellium. Habendi *senatus* } conuocandi ad consultationem. Auspicari } auspicia captare. Vitio } perperam, & non rite. Ad *senatum* } subaudi, retulerunt. Senatus, } subaudi, iussit. Vt *abdicarent* } renunciarent consulatui. Figulus (auctore Valerio max.) e Gallia, Scipio e Corsica redierunt Romam, & se consulatu abdicauerunt.

CICERO

Quae quaerimus exempla maiora? nir sapientissimus, atque haud scio, an omnium praestantissimus, peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit, quam haerere in rep. religionem: consules summum imperium statim deponere, quam id tenere punctum temporis contra religionem. Magna augurum auctoritas: quid haruspicum ars, non ne diuina? haec innumerabilia ex eodem genere qui uideat, non ne cogatur confiteri, deos esse? quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est. deorum autẽ interpretes sunt: deos igitur esse fateamur. At fortasse non omnia eueniunt, quae praedicta sunt. ne aegri quidem quia non omnes conualescunt, icirco ars nulla medicina est. signa ostenduntur a dys rerum futurarum. in his si qui errauerunt; non deorum natura, sed hominum coniectura peccauit. itaque inter omnes omnium gentiũ sententia constat: omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum, esse deos. quales sint, uarium est: esse nemo negat. Cleanthes quidem noster quattuor de caussis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones. primam posuit eam, de qua modo dixi; quae orta esset ex praesensione rerum futurarum: alteram, quam teperimus ex magnitudine commodorum, quae percipiũtur caeli temperatione, fecunditate terrarum, aliarumq. cõmoditatum complurium copia: tertiam, quae terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, niuibus, uastitate, pestilentia, terrae motibus, & saepe fremitibus, lapideisq. imbribus, & guttis imbrium quasi cruentis, tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus, tum praeter naturam hominum, pecudumq. portentis, tum facibus uisis caelestibus, tum stellis ijs, quas Graeci cometas, nostri crinitas uocant: quae nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum praenũciae; tum sole geminato, quod, ut e patre audiui, Tuditano, & Aquillio cos. euenerat: quo quidem anno P. Africanus, sol alter, exstinctus est: quibus exterriti homines uim quandam esse caelestem, & diuinam suspicati sunt: quartam caussam esse, eãq. uel maximam, aequabilitatem motus, conuersionẽ caeli, solis, lunae, siderumq. omnium distinctionem, uarietatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerũ adspectus ipse satis indicaret, non esse fortuita. Vt si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum uenerit; cum uideat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine caussa fieri indicare; sed esse aliquem intelligas, qui praesit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus, tantisq. uicis-

situdinibus

situdinibus, tum multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa, & infi- *nita uetustas mentita sit; statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.*

EXPLANATIO

PECCATVM } erratum, quod nullus animaduerterat praeter ipsum Gracchum. CELARI } dissimulari. HAERERE *in rep. religionem* } id labem, seu scrupulum conscientiae perpeti. AVCTORITAS } dignitas. Ex *eodem genere* } diuinationis, & praesagitionis. AT *fortasse* } Tacitae obiectioni occurrens Balbus, docet exemplo medicinae, omnium earum artium, quae coniectura continentur, eandem esse uim, & naturam, ut esse non desinant artes, etiamsi aliquando fallantur. QVORVM *enim interpretes* } Argumentum ex correlatiu. AT *fortasse* } Occupatio de dubio praedictionum euentu, qui belle a deo in hominum coniecturam reijcitur. DEORVM *natura* } deorum naturali qualitate. CONIECTVRA } ratiocinatione. CONSTAT } conuenit. INSCVLPTVM, } impressum. QVALES *sint*, } qualis naturae sint. VARIVM *est* } supple, iudicium. Variae, inquit, sunt hominum sententiae. DE } ex. INFORMATAS } impressas. CLEANTHES *quidem* } Quattuor argumenta Cleanthis, quibus deum esse probat. Ex effectibus eius, siue rebus creatis ducta. Manant enim ex hoc immoto principio: posito effectu necesse est caussam propriam esse, uel fuisse. Praesensio est effectus dei, ergo deum esse coarguit. Secundum, beneficia dei quotidie percipimus, Igitur deum esse necesse est. Tertium, Fulmina & alia signa, potentiam, & iram dei praenunciant, Igitur deum esse necesse est. Quartum, Ab ordine perpetuoq. motu corporum caelestium, quae sine omni dubitatione dei opus est. PRAESENSIONE } praenotione. TEMPERATIONE, } modificatione caloris, & frigoris. VASTITATE } desolatione regionum, corruptione frugum. PESTILENTIA } contagioso morbo, quem Graeci Epidemiam uocant. TREMITIBVS } stridoribus terrae. HIATIBVS } scissuris. PORTENTIS } natis. QVAE *nuper bello Octauiano* } quod fuit inter Octauium consulem, & Cinnam. Vide Appianum lib. I. bellorum ciuilium Plinius agens de cometis, dicit, terrificum magna ex parte sidus, atq. non leuiter piatū, ut ciuili motu Octauio cōsule. AEQVABILITATEM } uniformitatem. DISTINCTIONEM, *uarietatem, pulchritudinem, ordinem* } Ex ijs, quae sequuntur, manifestum est, Varietatem, potius hic esse legēdam, quam, ut antea, Vtilitatem. Vtilla ratio omittatur, quod de utilitate, qua homines adducti deos agnoscunt, non in quarta caussa, sed in secunda mentionem facit. quam lectionem, ut meliorem, in nostris libris secutus sum. Haec Paullus pater. DISTINCTIONEM, } collocationem, & separationem. FORTVITA } casu effecta, ut Epicurei opinabantur. VT *siquis* } Simile. GYMNASIVM } locum, in quo adolescentes aliqua arte exercentur, & disciplina. RATIONEM } progressum. MODVM, } dispositionē. DISCIPLINAM } normam, legem. SINE *caussa* } sine primo agente. STATVAT } procerto, ac firmo iudicet. ALIQVA *mente* } aliqua prouidente intelligentia.

CICERO

CHRYSIPPVS quidem, quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse uideatur. Si enim, inquit, est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod uis, quod potestas humana efficere non possit: est certe id, quod illud efficit, homine melius. atqui res caelestes, omnesq. eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt: est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. id autem quid potius dixerim, quam deum? etenim, si dij non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est; qua nihil potest esse praestantius: esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quam se, putet, desipientis arrogantiae est. ergo est aliquid melius: est igitur profecto deus. An uero, si domum magnam, pulchramq. uideris, non possis adduci, ut, etiam si dominum non uideas, muribus illam, & mustelis aedificatam putes: tantum uero ornatum mundi, tantam uarietatem, pulchritudinemq. rerum caelestium, tantam uim, & magnitudinem maris, atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, non ne plane desipere uidearе? An ne hoc quidem intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimam; quam crassissimus circumfundat aer, ut ob eam ipsam caussam, quod etiam quibusdam regionibus, atque urbibus contingere uidemus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter caeli pleniorem naturam. hoc idem generi humano euenerit, quod in terra, hoc est in crassissima regione mundi collocati sint. & tamen ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem, & eam quidem acriorem, & diuinam, existimare debemus. unde enim hanc homo arripuit? ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin & humorem, & calorem, qui est fusus in corpore, & terrenam ipsam uiscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quaerat, unde habemus; apparet, quod aliud a terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aere eo, quem spiritu ducimus. Illud autem, quod uincit haec omnia, rationem dico, &, si placet pluribus uerbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi inuenimus? unde sustulimus? an cetera mundus habebit omnia, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulchrius: nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest: &, si ratione, & sapientia nihil est melius; necesse est haec inesse in eo, quod optimum esse concedimus. Quid uero tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio? quem non coget ea, quae a me dicuntur, comprobare? posset ne uno tempore florere, deinde uicissim horrere terra? aut, tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus, discessusq. solstitijs, brumisq. cognosci? aut aestus maritimi,

ritimi, fretorumq. angustiae ortu, aut obitu lunae commoueri? aut una totius caeli conuersione cursus astrorum dispares conuersari? haec ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno diuino, & continuato spiritu continerentur.

EXPLANATIO

CHRYSIPPVS] Argumentum Chrysippi ex collatione effectorum; cuius opera excellunt, melior est, Dei opera excellunt opera hominis, igitur Deus est melior, aut superior homine. ACERRIMO] acutissimo, & perspicacissimo. SI *enim*] haec est Chrysippi ratio probantis esse deum. MENS,] intelligentia. RATIO,] discursus, & inuestigatio. VIS,] robur, & efficacia. POTESTAS] possibilitas. ATQVI] certe. QVID *potius dixerim*,] quasi dicat eiusmodi caussa effectrix non meretur nomen nisi diuinum. ETENIM, *si dij*] Ratio collationis. ARROGANTIAE] superbiae, quae sibi temere assumit principatum. AN *uero si*] Aliud simile ad agnoscendum naturae dominum. MVSTELIS] longioribus muribus, qui uulgo Donnole appellantur. Domos inhabitant, ut mures, quas tamen acerrime persequuntur, atque interimunt. His recte comparantur homines, qui similiter inhabitant mundum ab ipsis non conditum & se inuicem persequuntur. PLANE *desipere*] omnino delirare. AN *ue*] Comparatio superiorum, & inferiorum, quae huc spectat, ut originem mentis humanae ex deo esse confirmet, eiusq. essentiam probet. SVPERA] sublimia. CRASSISSIMVS] densissimus. OB *eam ipsam caussam*] propter aeris crassitiem. HEBETIORA] crassiora, obtusiora, pigriora. PLENIOREM] densiorem. SOLLERTIA] acumine ingenij. ACRIOREM,] acutiorem, fortiorem subtiliorem. VNDE *enim hanc homo arripuit?*] quasi dicat, ab illa diuina haec accepta est, ut apud Xenophontem in cõmentarijs asserit Socrates. TERRENAM *uiscerum soliditatem*] duritiẽ carnis, neruorũ, cartilaginis, & ossium, quae proficiscitur a natura terrea. ANIMVM *denique illum spirabilem*] Videtur legendum, Spiritabilem, si Seruij auctoritatem sequimur: qui, cum interpretaretur illud Virgilij lib. III. Aeneid.

atque hoc caeli spirabile lumen:

subiunxit haec: Vitale, quod spiramus. Cicero uero, in lib. de Nat. Deorum: Spirituale lumen. Eodemq. modo infra legendum, Animabili, spiritabiliq. natura. SPIRITV *ducimus.*] halitu attrahimus: uidelicet ad refrigerandum cor uitali calore incensum. nam sine aere nec spirare possumus, nec uiuere. VNDE *sustulimus?*] quasi dicat, a mundo sustulimus, a quo etiam cetera. AN *cetera mundus*] ex consequenti probat mundum habere rationem undiq. perfectam. QVOD *plurimi est*] quod excellentissimum est. ATQVI] certe. MELIVS *est*] Mens seu ratio est caelestis & diuina, ideoq. dei munus, non mundi, nec facienda confusio dei opificis, & mundi opificij. QVID *uero*] consentiens rerum in natura cognatio euincit, Deum unum esse. CONSENTIENS] concors. CONSPIRANS] conueniens. CONTINVATA] perseuerans. COGNATIO] naturalis communicatio. HORRERE] squalescere, ob hiemalem glaciem. Solstitijs accessibus ad caeli uertices. Solstitia sunt in Capricorno, & Cancro. BRVMIS] hiemalibus discessibus ab imo ad summum per obliquitatem signiferi. AESTVS *maritimi*] accessus & recessus maris. qui aestum siue feruorem quendam imitari uidentur. ANGVSTIAS] compressiones. OBITV] occasu. DISPARES] dissimiles.

CICERO

ATQVE haec cum uberius disputantur, & fusius, ut mihi est in animo facere, facilius effugiunt Academicorum calumniam: cum autem, ut Zeno solebat, breuius, angustiusq. concluduntur, tum apertiora sunt ad reprehendendum. nam, ut profluens amnis aut uix, aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur: sic orationis flumine reprehensoris uitia diluuntur, angustia autem conclusae orationis non facile se ipsa tutatur. haec enim, quae dilatantur a nobis, Zeno sic premebat. Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod ratione non utitur. nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur. similiter effici potest, sapientem esse mundum; similiter, beatum; similiter, aeternum. omnia enim haec meliora sunt, quam ea, quae sunt his carentia. nec mundo quidquam melius: ex quo efficitur esse mundum deum. Idemq. hoc modo. Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. mundi autem partes sentientes sunt: non igitur caret sensu mundus. Pergit idem, & urget angustius. Nihil, inquit, quod animi, quodq. rationis est expers; id generare ex se potest animantem, compotemq. rationis. mundus autem generat animantes, compotesq. rationis: animans est igitur mundus, composq. rationis. Idemq. similitudine, ut saepe solet, rationem conclusit hoc modo. Si ex oliua modulate canentes tibiae nascerentur; non dubitares, quin inesset in oliua tibicinis quaedam scientia. quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? idem scilicet censeres, in platanis inesse musicam. cur igitur mundus non animans, sapiensq. iudicetur, cum ex se procreet animantes, atque sapientes? Sed, quoniam coepi secus agere, atque initio dixeram; negaram enim hanc primam partem egere oratione, quod esset omnibus perspicuum, deos esse: tamen id ipsum rationibus physicis confirmari uolo. Sic enim res se habet, ut omnia, quae alantur, & crescant, contineant in se uim caloris: sine qua neque ali possunt, neque crescere. nam omne, quod est calidum, & igneum, cietur, & agitur motu suo: quod autem alitur, & crescit, motu quodam utitur certo, & aequabili: qui quam diu remanet in nobis, tam diu sensus, & uita remanet: refrigerato autem, & exstincto calore, occidimus ipsi, & exstinguimur. quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta uis insit caloris in omni corpore. negat enim ullum esse cibum tam

grauem,

grauem, qui nis die, & nocte concoquatur. cuius etiã in reliquijs inest calor, ijs, quas natura respuerit. Iam uero, uenae, & arteriae micare non desinunt quasi quodam igneo motu: animaduersumq. saepe est, cum cor animantis alicuius euulsum, ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. omne igitur, quod uiuit, siue animal, siue terra editum, id uiuit propter inclusum in eo calorem. ex quo intelligi debet, eam caloris naturam uim in se habere uitalem, per omnem mundum pertinentem. Atque id facilius cernemus, toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato.

EXPLANATIO

VBERIVS } copiosius. FVSIVS, } explicatius. CALVMNIAM: } cauillationem, nam in dubium omnia reuocant Academici: APERTIORA } magis patentia, atq. apta reprehensioni, & calumniae. FLVMINE } abundantia, profusione. VITIA } errata. DILVVNTVR } purgantur. ANGVSTIA *autem conclusae* } oratione copiosa, uelut flumine facilius diluuntur reprehensoris uitia, quam breui, & angusta. CONCLVSAE: } compressae, atq. aridae orationis. TVTATVR } defendit, quoniam obscura est. SIC *premebas.* } presso orationis genere ita concludebat ut sequitur, Quod ratione utitur est optimum, Mundus est optimus, Igitur mundus ratione est praeditus. EFFICIT } concludit. OMNIA *enim haec* } nempe mundum esse sapientem, beatum, & aeternum. EFFICITVR *&c.* } concluditur, inquit, mundum esse deum omnia scilicet producentem, & conseruantem. IDEMQ. *hoc modo* } Idem Zeno hoc modo prosequitur ad probandum mundum sentire. NIHIL, *quod animi* } Ex definitione generationis. Generare enim est speciem sui similem producere, Mundus producit animantes, & ratione praeditos, Igitur mundus est animans, &c. VRGET } comprimit. COMPOTEMQ. } & participem. MODVLATE } numerose, & concinne. INESSET *in oliua* } innata esset oliuae. FIDICVLAS } paruas chordas, & neruos. SECVS *agere, atq.* } aliter agere, quam. ORATIONE } explicatione aliqua. OMNIA, *quae &c.* } Vi caloris insiti res omnes aluntur, & crescunt. ALANTVR } habeant animam altricem. CRESCANT, } augeantur, uegetentur. VIM } efficaciam. AGITVR } impellitur. MOTV *suo* } proprio motu. CERTO, } conuenienti. ET *aequabilis* } & moderato. IN *omni corpore* } in quolibet naturali corpore. GRAVEM } terrestrem, durum, difficilis concoctionis. IN *reliquijs ijs, &c.* } in excrementis. MICARE } dilatatione, & compressione moueri, siue pulsum habere. PALPITARET } leuiter & frequenter moueretur interno pulsu. SIVE *terra editum.* } ut plantae. EAM *caloris naturam.* } id naturale corpus, in quo est calor. VIM *in se habere uitalem,* } continere effectricem caussam uitae. PERTINENTEM } sibi conuenientem. PER *omnem mundum* } ratione uniuersae naturae corporeae, per quam singula mundana habent esse, siue naturam corpoream. Ab uniuerso enim defluit uirtus ad particulare. CERNEMVS } clare, aperteq. cognoscemus. TOTO *genere igneo, &c.* } uniuersa natura ignea contracta ad singularia quaedam mundana. TRANAT } quasi natando transit. respicit ad terram, de qua primo exemplificat. quod elementum infra aquam censetur, & omnium infimum.

CICERO

OMNES igitur partes mundi tangam, quae maximo calore fultae sustinentur. quod primum in terrena natura perspici potest. nam & lapidum conflictu, atque tritu elici ignem uidemus: & recenti fossione terram fumare calentem: atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, & id maxime hibernis fieri temporibus; quod magna uis terrae cauernis contineatur caloris, eaq. hieme sit densior, ob eamq. caussam calorem insitum in terris contineat artius. Longa est oratio, multaeq. rationes, quibus doceri possit, omnia, quae terra concipiat, semina, quaeq. ipsa ex se generata stirpibus infixa contineat, ea temperatione caloris & oriri, & augescere. Atque aquae etiam admistum esse calorem, primum ipse liquor, tum aquae declarat effusio; quae neque conglaciaret frigoribus, neque niue, pruinaq. concresceret, nisi eadem se, admisto calore liquefacta, & dilapsa, diffunderet. itaque & aquilonibus, reliquisq. frigoribus adiectis durescit humor; & idem uicissim mollitur tepefactus, & tabescit calore. Atque etiam maria agitata uentis ita tepescunt, ut intelligi facile possis, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. nec enim ille externus, & aduenticius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus; quod nostris quoque corporibus contingit, cum motu, atque exercitatione recalescunt. Ipse uero aer, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. ille uero & multo quidem calore admistus est. ipse enim oritur ex respiratione aquarum. earum enim quasi uapor quidam aer habẽdus. is autem existit motu eius caloris, qui aquis continetur. quam similitudinem cernere possumus in ijs aquis, quae effernescunt subditis ignibus. Iam uero reliqua quarta pars mundi, ea & ipsa tota natura feruida est, & ceteris naturis omnibus salutarem impertit, & uitalem calorem. Ex qua concluditur, cum omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili, pariq. natura in tanta diuturnitate seruari; eoq. magis, quod intelligi debet, calidũ illud, atque igneum ita in omni fusum esse natura, ut in eo insit procreandi uis, & caussa gignendi: a quo & animantia omnia, & ea, quorum stirpes terra continentur, & nasci sit necesse, & augescere. Natura est igitur, quae contineat mundum omnem, eumq. tueatur, & ea quidem non sine sensu, atque ratione. omnem enim naturam necesse est, quae non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio coniuncta, atque connexa, habere aliquem in se principatum, ut

in omni

in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus. in arborum autem, & earum rerum, quae gignuntur e terra, radicibus inesse principatus putatur. principatum autem id dico, quod Graeci ἡγεμονικὸν vocant, quo nihil in quo que genere nec potest, nec debet esse praestantius. itaque necesse est, illud etiam, in quo sit totius naturae principatus, esse omnium optimum, omniumq. rerum potestate dominatuq. dignissimum.

EXPLANATIO

FVLTAE] sustentatae. CONFLICTV] percussione. TRITV] collisu. ELICI] educi. IVGIBVS] indeficientibus. EAQ. *hieme*] Caussa caloris in puteis hiberno tempore, quod uidelicet calor ab externo frigore cohibitus interius per antiperistasim intenditur. DENSIOR] spissior. OB *eamq. caussam*] quia sit in hieme densior. INSITVM] innatum. ARTIVS.] pressius, tenacius. CONCIPIAT] comprehendat quasi uetre. STIRPIBVS] plantis, quae exstirpari possint. INFIXA] inhaerentia. TEMPERATIONE] modificatione. IPSE *liquor*] ipse fluxus, qui citra calorem aquis inesse non posset. CONGLACIARET] in glaciem uerteretur. CONCRESCERET] densesceret, & duritiem pruinae contraheret. LIQVEFACTA] fusionem ex igne adepta. DIFFVNDERET] fluxu dilataret. DVRESCIT *humor*] densatur, & concrescit aqua. VICISSIM] ex opposito, cum opposita mutatione caeli. TABESCIT] diffluit resolutione quadam, quasi tabes, cum resoluitur caro. NEC *enim*] Docet maris aestum natiuum esse, ac proprium ipsius maris, & non aduenticium. RESPIRATIONE] exhalatione. QVAEI *vapor*] humida, scilicet, & calida exhalatio, siue fumositas. EXSISTIT] fit. RELIQVA *quarta pars mundi*,] igneum scilicet elementum. Hic aduertere licet, mundum proprie dici uniuersam naturam, per quam singula elementa habent esse naturale. Simplicem hanc naturam, siue quinctum quoddam genus praeter elementa, Xenocrates Octonario numero deorum proposito, nobis modo quodam suo insinuauit. De eadem plurima inferius dicentur. IMPERTIT,] communicat. VITALEM] in quo uita consistit. SVSTINEANTVR] foueantur, conseruentur in uita. EX *quo*] Vis caloris per omnes naturae partes diffusa, uitalē uim illis impertit, id quod exemplis declaratur. MVNDVM *ipsum*] ipsam uniuersam naturam. SIMILI, *pariq. natura*] hoc est, proprietate, quae similiter, & aeque sit feruida. ITA] tali condicione, ad hunc finem. CONTINEAT] conglutinet. MVNDVM *omnem*] quattuor mundi partes. OMNEM *naturam, quae non solitaria sit &c.*] hoc est, Quamcumq. naturam non nudam qualitatibus, neque simplicem. In omni creatura composita, siue connexa una aliqua pars eminet, & excellit. PRINCIPATVM] praestantiorem uim. TOTIVS *naturae*] uniuersalis, & communis. OPTIMVM] praestantissimis dotibus praeditum.

CICERO

VIDEMVS *autem in partibus mundi, (nihil est enim in omni mundo, quod non pars uniuersi sit) inesse sensum & rationem. in ea parte igitur, in qua mundi est principatus, haec inesse necesse est, & acriora quidem, atque maiora. Quocirca sapientem esse mundum necesse est, naturamq. eam, quae res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere, eoq. deum esse mundum, omnemq. uim mundi diuina natura contineri. Atque mundi feruor ille purior, perlucidior, mobiliorq. multo, ob easq. caussas aptior ad sensus cōmouendos, quam hic noster calor, quo haec, quae nota nobis sunt, retinentur, & uigēt. Absurdum est igitur dicere, cum homines, bestiaeq. hoc calore teneantur, & propterea moueantur, & sentiant, mundum esse sine sensu, qui integro, & puro, & libero, eodemq. acerrimo, & mobilissimo ardore teneatur; praesertim cum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, neque externo pulsu, sed per se ipse, ac sua sponte moueatur. nam quid potest esse mundo ualentius, quod pellat, atque moueat calorē eum, quo ille teneatur? audiamus enim Platonem, quasi quēdam deum philosophorum: cui duos placet esse motus, unum suum, alterum externum; esse autem diuinius, quod ipsum ex se sua sponte moueatur, quam quod pulsu agitetur alieno. hunc autem motū in solis animis esse ponit, ab hisq. principium motus esse ductum putat. Quapropter, quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur; is autem ardor non alieno impulsu, sed sua sponte mouetur: animus sit necesse est. ex quo efficitur, animantem esse mundum. Atque ex hoc quoque intelligi poterit, in eo inesse intelligentiam, quod certe est mundus melior, quam ulla natura. ut enim nulla pars corporis nostri est, quae non sit minor, quam nosmet ipsi sumus: sic mundum uniuersum pluris esse necesse est, quam partem aliquam uniuersi. quod si ita est; sapiens sit mundus, necesse est. nam, ni ita esset, hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, pluris esse, quam mundum omnem, oporteret. atque etiam, si a primis inchoatisq. naturis, ad ultimas perfectasq. uolumus procedere; ad deorū naturā perueniamus, necesse est. Primo enim animaduertimus a natura sustineri ea, quae gignuntur e terra; quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo, atque augendo tueretur. bestiis autem sensum, & motum dedit, & cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum: homini hoc amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur.*

EXPLANATIO

VIDEMUS *autem* } Ex natura partium ad totum, partibus mundi inest sensus, & ratio, ut animantibus, & homini. Igitur & mundo. HAEC *inesse* } sensum scilicet, rationem, sapientiam, & uirtutem. ACRIORA } praestantiora. NATURAMQ. *eam* } uniuersam. QUAE *res omnes* } singulas. COMPLEXA } coniuncta, ac unita DEUM *esse mundum* } hoc est, uniuersam naturam. OMNEMQ. *uim mundi* } singulas omnes mundi uires. DIVINA *natura* } Vniuersa scilicet, quae & mundus, & deus dicitur. CONTINERI } conglutinari. MUNDI *feruor ille,* } feruor ille in uniuersa natura, quae mundus dicitur. PURIOR, } subandi, est. RETINENTUR } seruantur in diuturnitate, ut paullo supra dictum est. ET *uigent* } & augescunt. Hoo *calore* } in quo, ut paullo supra dictum est, inest procreandi uis & caussa gignendi TENEANTUR, } conseruentur. PELLAT } pulsu tangat. ILLE } mundus, siue uniuersa natura. AUDIAMUS *Platonem* } Confirmat rationem suam auctoritate Platonis. Vide in eius dialogo, qui Phaedrus inscribitur. CUI *duos* } Duplex Platoni motus, alius proprius, alius externus. SUUM, } proprium, siue intrinsecum. EXTERNUM } alienum, atque accidentale. HUNC *autem motum* } spontaneum. AB *hisq.* } ammis mouentibus corpora continuata, & perenni motione, quam Entelechiam Aristoteles nominauit, ut habetur Tusc. I. MOTUS *omnis* } motus uniuersae naturae. MELIOR praestantior. QUAM *ulla natura* } quam aliqua alia res naturalis, quae est pars uniuersae naturae. HOMINEM, *qui est* } Totum est melius qualibet sua parte. Mundus est totus, Homo pars, Igitur, cum homo sit rationis particeps, multo magis ratione praeditus est mundus. A *primis* } imperfectis: ut mineralia, & uegetabilia. AD *deorum naturam* } ultimam scilicet, & perfectam. PRIMO *enim* } Gradus naturarum quattuor. Primus stirpium, siue plantarum. Secundus bestiarum. Tertius hominis. Quartus dei, qui eo recensetur, ut dei natura omnium optima, perfectissima, & sapientissima declaretur. SUSTINERI } tamquam ab essentia, quae subest. NATURA } eadem, quae *isorepia*. ALENDO } nutriendo. AUGENDO } crescendo. TUERETUR. } conseruaret. SENSUM } animam sentientem. MOTUM } animam loco mouentem motu libero. APPETITU } naturali cupiditate. TUM *remitterentur tum continerentur* } modo decrescerent, modo crescerent, ita dictante ratione.

CICERO

*Q*UARTUS *autem gradus, & altissimus, eorũ, qui natura boni, sapientesq. gignũtur; quibus a principio innascitur ratio recta, constansq., quae supra hominem putãda est, deoq. tribuenda, id est mundo: in quo necesse est perfectam illam, atq. absolutam inesse rationem. neq. enim dici potest, in ulla rerum institutione non esse aliquid extremum, atq. perfectum. ut enim in uite, ut in pecude, nisi quae uis obstitit, uidemus naturam suo quodam itinere ad ultimum peruenire; atq. ut pictura, & fabrica, ceteraeq. artes habent quendam absoluti operis effectũ: sic in omni natura, ac multo etiam magis, necesse est absolui aliquid, ac perfici. etenim ceteris naturis multa externa, quo minus perficiãtur, possunt obsistere: uniuersam autẽ naturam nulla res potest impedire: propterea quod omnes naturas ipsa cohibet, et cõtinet. quocirca necesse est esse illum quartum, et altissimum gradum, quo nulla uis possit accedtre. is autem gradus est, in quo rerum omniũ natura ponitur: quae quoniam talis est, ut praesit omnibus, & eam nulla res possit impedire; necesse est intelligentem esse mundum, & quidem etiam sapientem. quid autem est inscitius, quam aut eã naturam, quae omnes res sit complexa, non optimam dici, aut, cum sit optima, non primum animantem esse, deinde rationis, & consilij compotem; postremo sapientem? qui enim aliter potest esse optima? neq. enim, si stirpium similis sit, aut etiam bestiarum, optima putanda sit potius, quã deterrima: nec uero, si rationis particeps sit, nec sit tamẽ a principio sapiens, non sit deterior mundi potius, quam humana condicio. homo enim sapiens fieri potest: mundus autem, si in aeterno praeteriti temporis spatio fuit insipiens, numquam profecto sapientiam consequetur: ita erit homine deterior. quod quoniam absurdum est; & sapiens a principio mundus, & deus habendus est, neque enim est quidquam in aliud, praeter mundũ, cui nihil absit, quodq. undiq. aptum, atq. perfectum, expletumq. sit omnibus suis numeris, & partibus. scite enim Chrysippus ut clypei caussa inuolucrum, uaginã autem gladij; sic, praeter mundum, cetera omnia aliorum caussa esse generata, ut eas fruges, atq. fructus, quos terra gignit, animantium caussa, animantes autem hominum, ut equum uehendi caussa, arandi bouem, uenandi, & custodiendi canem: ipse autem homo ortus est ad mũdum cõtemplandum, & imitandum, nullo modo perfectus, sed quaedam particula perfecti. sed mundus quoniam omnia complexus est; nec est quidquã, quod non insit in eo, perfectus undiq. est. quid igitur potest ei deesse, quod est optimum est mente, et ratione melius; ergo haec mundo deesse non possunt. Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adiungens, omnia in perfectis, et maturis docet esse meliora; ut in equo, quã in equuleo; in cane, quam in catulo; in uiro, quam in puero: iam quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo, atq. absoluto esse debere. est autem nihil mundo perfectius, nihil uirtute melius: igitur mundi est propria uirtus. nec uero hominis natura perfecta est: & efficitur tamen in homine uirtus: quanto igitur in mundo facilius? est ergo in eo uirtus. sapiens igitur est, & propterea deus.*

EXPLANATIO

QVARTVS } *autem gradus,* } Egit primo de calore in natura terrena, deinde in natura aquae, tertio in natura aerea, quarto de calore in uniuersa natura, in qua sit procreandi uis. Nunc dicit hunc quartum gradum pertinere ad eos, qui natura boni sapientisq. gignuntur. QVI *natura boni* } Aristoteles in ultimo Moralium dicit. Aliqui boni fiunt natura, aliqui doctrina. Natura ut constat in nostra potestate non est, sed innascitur his hominibus, per caussam quandam diuinam, qui uere sunt fortunati. haec philosophus. Pindarus uero, Boni, inquit, uiri, & sapientes diuino munere generantur, complures homines comparatis uirtutibus nituntur ad gloriam. Sed, quod sine deo sit, silentur prudentius, quam praedicetur naturale, quodcumq. optimum. A *principio* } ab infimo gradu. Balbus quattuor hoc ordine mundi partes recenset, terram, aquas, aerem, atque ignem, per quas ueluti per gradus anima adscēdat, atque descendat. & paullo inferius pro aere nominat consilium, ac mentem, & pro aquis rationem, & sensum. praeterea animam in sublimi aethere positam tamquam deum agnoscit, atque sapientem, quam in infimo gradu augescere quidem dicit, nec tamen loco moueri. Quae omnia notatu maxime digna sunt. ideo dicta, ut ostendamus, cur principium pro infimo gradu sit expositum. prius tamen uidendum, quid sit recta ratio: idq. similitudine quadam. Sit uniuersi anima quasi ratis, siue nauis in mari fluxu, & refluxu discurrens, & hunc discursum ratiocinationem dicamus. Eam certe duobus oppositis motib. fieri palam est. Motus igitur ille, qui animam ipsam ab infimo gradu ad supremum ducit, recte rationis nomine hic a Cicerone appellatur, & e contra obliquus, qui eam a supremo deducit ad infimum gradū. Cum autem ordo motum consequatur, atque a natura, ita comparatum sit, ut ab imperfectis, infimisue gradibus, ubiq. tendat ad perfectionem, tamquam ad intentū finem; profecto ipso rectae rationis motu ducti principium exposuimus infimum mundi gradum, a quo incipimus erigi: pertinet enim hic sermo ad eos, qui boni, sapientesq. gignuntur. SVPRA *hominem putanda est,* } hoc est, posse erigere illum supra inchoatam naturam suam. DEOQ. *tribuenda, id est mundo* } Eadem essentia, quae in sublimi aethere deus in undis, seu aquis mundus appellatur, & ratio inter utrumque aerem crassum scilicet & subtilem, quamquam confunditur; & nos paullo superius facilioris exempli gratia in aquis ratiocinantem induximus. IN *ulla institutione,* } in aliqua ordinatione, quaecumq. illa sit. EXTREMVM } ultimum. QVAE *uis* } aliqua uiolentia, & contrarius conatus. SVO *quodam itinere* } proprio quodam progressu. FABRICA, } ars fabrilis. EFFECTVM } finem. IN *omni natura,* } uniuersa natura, id est mundo, & caussa communi. CETERIS *naturis* } particularibus. MVLTA *externa* } multa aduenticia impedimenta. OMNES *naturas* } partiales coercet. NVLLA *uis* } nullus contrarius impetus. SAPIENTEM, } summa perfectione praeditum. NON *primum animantem esse,* } constat optima natura, quattuor gradibus, quos paullo supra terram aquas, aerem, & terram nominauit nunc uero ratio pro aquis, & consilium pro aere ponitur. quod maxime notandum uidetur. QVI *enim* } Quomodo, inquit, posset esse optima, nisi quattuor gradus obtineret? ST *stirpium similis sit,* } Quamuis, inquit, natura, siue mūdus, siue anima, augescat ueluti stirpes, aut acquisiuerit localem motum ueluti bestiae, hoc est particeps fuerit obliqui motus; non ob id putanda est potius optima, quam abiectissima. Et si particeps sit rationis, hoc est utroque motu impellatur, nec sit tamen a principio sapiens, hoc est, nisi particeps fuerit infimi gradus, atq. supremi; non ob id putanda est condicio illius non potius deterior, quam condicio hominis. HOMO *enim sapiens fieri potest:* } nimirum, qui, etsi deficit a quarto gradu, ad ipsum tamen ratione recta duce peruenire potest, & sapiens fieri; cum aer, in quo ratiocinatur, sit particula aetheris. Comparatio hominis, & dei, qua sapientia dei aeterna explanatur. QVOD *quoniam absurdum est;* } mundum scilicet deteriorem esse homine. NEQ. *enim est* } Mundus perfectus, & omnibus numeris, atq. partibus suis expletus. CVI *nihil absit* } cui nihil desit ad suam perfectionem. OMNIBVS *suis numeris* } omnibus suis gradibus, quos quattuor enumerauit paullo supra, & ueluti partes mundi appellauit, nempe terram, aquas, aerem, & ignem. SCITE *enim* } laudat Chrysippi dictum sapiens, omnes res in mundo generari ad hominis usus, hominem autem ad dei contemplationem, & cultum. INVOLVCRVM, } tegmen, quo inuoluitur, ut nitidus conseruetur. CONTEMPLANDVM } considerandum. ET *imitandum* } omnibus scilicet numeris explendo se ipsum. SED *quaedam particula perfecti* } nimirum constitutus in tertio gradu, qui est altissimo gradui proximus. homo enim uiuit in aere, ut in regione propria: aer uero particula perfecti dicitur, hoc est aetheris: nihil enim aliud est aether, quam ardens aer. ita tamen ardens, ut non consumat, ac dissipet; sed tamquam salutaris omnia conseruet, alat, augeat, sustineat, sensuq. afficiat. OMNIA *complexus est* } omnes partes suas. QVID *igitur ei deesse, &c.* } quasi dicat, nihil profecto. habet enim omnes suas partes, ac seipso contentus beatam agit uitam. MENTE, } consilio, scilicet. nam paullo supra Balbus meminit de natura primum animante, deinde rationis compote, atque consilii, postremo uero sapiente: ubi quattuor ueluti gradus, per quos natura adscēdat, & descendat, posuisse pspicuum est. RATIONE } recta scilicet, de qua nonnulla superius dicta sunt. BENE *igitur* } prudenter igitur. MATVRIS } idem, quod perfectis. Trāslatio est a fructibus, qui, cum ita perfecti sunt, ut gustui sint suaues, maturi dicuntur. Ita & puella, matura uiro dicitur, quae ad eam aetatem peruenit, ultra quam deficeret a perfectione sua nubili. EQVVLO; } equino pullo. VIRTVTE } perfectione omnium potentiarum. MVNDI *est propria* } cum sit quoddam perfectum ex omnibus suis potentiis. NEC *uero hominis* } Argumentum ex minori. In hominis natura imperfecta existit uirtus, igitur multo magis in deo. QVANTO *igitur in mundo facilius?* } quasi dicat, longe igitur probabilius est dicere, in mundo esse uirtutem, quam in homine, quoniam mūdus sapiens est a principio; homo autem sapiens fieri potest. ET *propterea deus.* } id est, natura diuina praeditus est. Sapientis nomen, inquit Plato, soli deo conuenit.

CICERO

Atque, hac mundi diuinitate perspecta, tribuēda est sideribus eadem diuinitas: quae ex mobilissima, purissimaq. aetheris parte gignuntur, neque ulla praeterea sunt admista natura, totaq. sunt calida, atq. perlucida; ut ea quoque rectissime & animātia esse, et sentire, atque intelligere dicātur. Atque ea quidem tota esse ignea, duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus, et oculorum. nam solis candor illustrior, quam ullus ignis, quippe qui immenso mūdo tam longe, lateq. colluceat: & is eius tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam saepe comburat. quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. ergo, inquit, cum sol igneus sit, Oceaniq. alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere: necesse est, aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad usum, atque ad uictum; aut ei, qui corporibus animantium continetur. atque hic noster ignis, quem usus uitae requirit, confector est, & consumptor omnium; idemq. quocumque inuasit, cuncta disturbat, ac dissipat. contra ille corporeus, uitalis, & salutaris omnia conseruat, alit, auget, sustinet, sensuq. afficit. negat ergo esse dubium, horum ignium sol utri similis sit; cum is quoque efficiat, ut omnia floreant, & in suo quaeque genere pubescant. Quare, cum solis ignis similis eorum ignium sit, qui sunt in corporibus animantium: solem quoque animantem esse oportet, & quidem reliqua astra, quae oriantur in ardore caelesti, qui aether, uel caelum nominatur. Cum igitur aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aere aliorum: absurdum esse Aristoteli uidetur, in ea parte, quae sit ad gignendu animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem aetherium locum obtinent: qui quoniam tenuissimus est, et semper agitatur, & uiget; necesse est, quod animal in eo gignatur, idem & sensu acerrimo, & mobilitate celerrima esse. quare, cum in aethere astra gignantur; consentaneum est, in ijs sensum inesse, & intelligentiam. ex quo efficitur, in deorum numero astra esse ducenda. etenim licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolāt eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo, atque concreto. quin etiam, cibo quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem putant. Probabile est igitur, praestantem intelligentiam in sideribus esse, quae & aetheriam mundi partem incolant, & marinis, terrenisq. humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum, atque intelligentiam maxime declarat ordo eorum, atque constantia. nihil est enim, quod ratione, & numero moueri possit sine consilio: in quo nihil est temerarium, nihil uarium, nihil fortuitum. ordo autem siderum, & in omni aeternitate constantia, neque naturam significat, est enim plena rationis; neque fortunam, quae amica uarietati constantiam respuit. sequitur ergo, ut ipsa sua sponte, suo sensu, ac diuinitate moueantur. Nec uero Aristoteles non laudandus in eo, quod omnia, quae mouentur, aut natura moueri censuit, aut ui, aut uoluntate: moueri autem solem, & lunam, & sidera omnia: quae autem natura mouerentur, haec aut pondere deorsum, aut leuitate in sublime ferri: quorum neutrum astris contingeret, propterea quod eorum motus in orbem circumferretur. Nec uero dici potest, ui quadam maiore fieri, ut contra naturam astra moueantur. quae enim potest maior esse? restat igitur, ut motus astrorum sit uoluntarius. quae qui uideat, non indocte solum, uerum etiam impie faciat, si deos esse neget. nec sane multum interest, utrum id neget, an eos omni procuratione, atque actione priuet. mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non uidetur. esse igitur deos ita perspicuum est, ut, id qui neget, uix eū sanae mentis existimem.

EXPLANATIO

Hac *mundi diuinitate* ʒ hac natura aetheria, igni scilicet, atq: aeri admixta. Tribvenda *est sideribus eadem diuinitas* ʒ eadem natura aetheria. Sidera de Stoicorum sententia sunt animantia, & ignea, Oceaniq. & terrae uaporibus aluntur. Aetheris parte. Materia caeli, & stellarum est aetheria. Neq. *ulla praeterea sunt admista natura* ʒ quae scilicet nobilissimam & purissimam aetheris partem posset impedire, & inertem facere. Vt *quia quoque &c.* ʒ ut ea sidera quemadmodum etiam mundus dicantur participare de anima altrice, item de sensitiua, & intellectiua iuxta tres gradus naturales superius enumeratos. Ea *esse tota ignea* ʒ In uniuersa natura siderum praedominari qualitatem igneam. Astra esse ignea duplex probatio. Candor ʒ splendor. Et *is* ʒ & talis. Qvorvm *neutrum* ʒ illustrare scilicet, & comburere. Oceani *humoribus*, ʒ nempe purioribus, lucidis, & defaecatis. ideo apud Oceanum poetae finxere symposia Iouis, ceterorumq. deorum. Vsvs ʒ utilitas. Confector ʒ corruptor. Consvmptor ʒ uorator. Invasit, ʒ penetrauit. Contra *ille* ʒ Duplex ignis, elementaris, & uitalis, qui est uidelicet calor uiuificans in animantibus & sole. Corporevs ʒ naturali corpore cognatus. Vtri ʒ cui ex duobus. Is *quoque* ʒ nempe Sol. Floreant ʒ quasi fructus producturi. Pvbescant ʒ accedant ad productionem fructuum. Similis *sit*, ʒ eandem habeat uim. Cvm *igitur aliorum* ʒ Quo pars mundi est nobilior, eo meliora gignit animantia. Caelum, siue aether est nobilissima pars mundi, Igitur gignit nobilissima animantia, uidelicet astra. Absvrdvm ʒ tamquam rationi rectae non concinens. Aptissima ʒ quoniam ignea qualitas uitam affert. Tenvissimvs ʒ subtilissimus, ac per hoc mobilissimus. Agitatvr ʒ sursum, atq. deorsum impellitur. Et *uiget* ʒ & in augmento est. Acerrimo ʒ acutissimo. In *deorum numero astra esse ducenda.* ʒ Existimandum est, inquit, astra habere naturam diuinam. Acvtiora *ingenia*, ʒ Regio, quae puro, & tenui aere circumfunditur, acutiora gignit ingenia, quam quae caelo utitur crasso, atq. concreto. multum igitur refert, quo

loco natus sis. PVRVS,] tenuis, lucidus, defacatus. CRASSO *caelo*] Crasso aere. Caelum pro aere, & e contra saepius positum animaduertimus. CONCRETO.] condensato. CIBO] Cibus aliquid confert ad mentis aciem. MENTIS *aciem*] ingenij acumen, quod ex calore prouenit ORDO] certa dispositio. ET *constantia.*] & eodem in ordine perseuerantia. RATIONE,] ordinato motu. ET *numero*] & certa ordinis constantia. SINE *consilio:*] sine mente. NIHIL *temerarium*] nihil rationi rectae oppositum; ex quo uarietas & casus a supremo gradu ad infimum. IN *omni aeternitate*] in uniuersa mente. NEQ. *naturam.*] Natura agit sine deliberatione & iudicio, ex quo obiectio nascitur. Nullum ἄλογον agit certo modo, natura est ἄλογος, & agit sine ratione. Igitur natura non agit certo modo. NATVRAM:] quae scilicet in omni aeternitate est uniuersa. SIGNIFICAT.] influendo adauget uarietatem, quoniam, inquit, siderea natura plena est rationis rectae, simplex est, nullam in se habens temeritatem. NEQ. *fortunam*] subaudi imprimit. Sensus est ex constanti motu siderum recta ratione facto arguitur nullam illis inesse temeritatem, quoniam induceret uarietatem. VT *ipsa &c.*] Cum nihil, inquit, possit accidere sideribus, in quorum substantia praedominatur qualitas aetheria, & proinde diuina, sequitur ut ipsa moueantur sua sponte, suo sensu, ac diuinitate, quare rectissime & animantia esse, & sentire & intelligere dicantur. NEC *uero*] In eo inquit laudandus Aristoteles, quod triplicem proposuit motum, naturalem, innaturalem, & uoluntarium. RESTAT *igitur,*] superest igitur. ACTIONE *priuet.*] ut priuabat Epicurus. NEC *sane*] Epilogus primae partis, continens asseuerationem, Esse deos, cum refutatione ἀπραξίας Epicuri.

C I C E R O

*R*ESTAT, *ut, qualis eorum natura sit, consideremus; in quo nihil est difficilius, quam a consuetudine oculorum aciem mentis abducere. ea difficultas induxit & uulgo imperitos, et similes philosophos imperitorum, ut, nisi figuris hominum constitutis, nihil possent de dijs immortalibus cogitare. cuius opinionis leuitas, confutata a Cotta, non desiderat orationem meam. sed, cum, talem esse deũ, certa notione animi praesentiamus, primum ut sit animans, deinde ut in omni natura nihil eo sit praestantius, ad hanc praesensionem, notionemq. nostram nihil uideo, quod potius accomodem, quam ut primũ hunc ipsum mundum, quo nihil fieri excellentius potest, animantem esse, & deum iudicem. Hic, quam uolet, Epicurus iocetur, homo non aptissimus ad iocandum: minimeq. respiciens patriam, & dicat se nõ posse intelligere, qualis sit uolubilis, & rotundus deus: tamen ex hoc, quod ipse etiam probat, numquam me mouebit. placet enim illi esse deos; quia necesse sit stantem aliquam esse naturam, qua nihil sit melius: mũdo autem certe nihil est melius. nec dubium, quin, quod animans sit, habeatq. sensum, ac rationem, & mentem, id sit melius, quam id, quod his careat. ita efficitur, animantem, sensus, mentis, rationis mundum esse compotem. qua ratione, deum esse mundũ, concluditur. Sed haec paullo post facilius cognoscentur ex ijs rebus ipsis, quas mundus efficit. Interea, Vellei, noli quaeso praeteferre, nos plane expertes esse doctrinae. Conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulchriorem, quam sphaeram, uideri. Nouum etiam oculorũ iudicium habetis. sed sint ista pulchriora, dumtaxat adspectu: quod mihi tamẽ ipsum non uidetur: quid enim pulchrius ea figura, quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeq. nihil asperitatis habere, nihil offensionis põt, nihil incisum angulis, nihil amfractib. nihil eminẽs, nihil lacunosũ? cũq. duae formae praestantes sint, ex solidis globus (sic.n. σφαῖραν interpretari placet) ex planis autem circulus, aut orbis, qui κύκλος Graece dicitur: his duab. formis contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillimae, a medioq. tantum absit extremum, quantum idẽ a summo: quo nihil fieri potest aptius. Sed, si haec non uidetis, quia numquam eruditum illũ puluerem attigistis: an ne hoc physici quidem intelligere potuistis, hanc aequalitatem motus, constantiamq. ordinum in alia figura non potuiße seruari? itaq. nihil potest esse indoctius, quam quod a nobis affirmari solet. nec enim hunc ipsum mundum pro certo rotundum esse dicitis: nam posse fieri, ut sit alia figura: innumerabilesq. mundos, alios aliarum esse formarũ. quae, si, bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certe non diceret. sed, dum palato, quid sit optimum, iudicat; caeli palatum, ut ait Ennius, non suspexit. nã, cum duo sint genera siderum, quorum alterum spatijs immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum umquam cursus sui uestigium inflectat: alterum autem continuas conuersiones duas ijsdem spatijs, cursibusq. conficiat: ex utraq. re & mundi uolubilitas, quae nisi in globosa forma esse non posset, & stellarum rotundi ambitus cognoscuntur; primusq. sol, qui astrorum obtinet principatum; ita mouetur, ut, cum terras larga luce compleuerit, easdẽ modo his, modo illis partibus opacet. ipsa enim umbra terrae soli officiens, noctem efficit: nocturnorum autem spatiorum eadem est aequabilitas, quae diurnorum. eiusdemq. solis tum acceßus modici, tum receßus, & frigoris, & caloris modum temperant. circuitus enim solis orbium v diebus & LX & CCC, quarta fere diei parte addita, conuersionem cõficiũt annuam: inflectens autem sol cursum tum ad septẽtriones, tum ad meridiem, aestatẽ, & hiemes efficit, & ea duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adiunctum est, alterum aestati. ita ex quattuor tẽporum mutationibus, omnium, quae terra, mariq. gignuntur, initia, caussaeq. ducuntur.*

EXPLA-

EXPLANATIO

RESTAT } secunda pars, Qualis sit deus, quam orditur ab attentione, seu difficultate. IN *quo* } in cuius rei consideratione. A *consuetudine oculorum* } ab eo, quod consueuimus cernere. ACIEM *mentis* } acumen intellectus. ABDVCERE } remouere, atq. de dijs statuere, ut recta ratio exposcit, & non sensus. EA *difficultas* } abducendi mentem ab usu oculorum. IMPERITOS, } quorum sensus obliquus est. ET *similes* } eodem iudicio sensuum utentes ad aliquid statuendum, & decernendum. CONSTITVTIS } suppositis. LEVITAS } insana, & futilis assertio. SED, *eum talem* } Repetit priores hypotheses, & ad praesentem quaestionem accommodat. CONFVTATA *a Cotta*, } ut in superiore uolumine disputatum est. PRAESENTIAMVS } praenoscamus sensu. ACCOMMODEM, } addam. HIC } in hac parte QVAM *uolet* } quantum uolet. MINIMEQ. *respiciens patriam* } homo locutionis incultae, quãquã Athenis natus, ubi erat emporiũ eruditionis & eloquẽtiae. QVALIS } cuius cõdicionis. IPSE *probat* } asserit tãquã uerũ, & cõi cõsensu cõfirmatã: nimirũ deos esse. MVNDO *aũt* } Repetit argumẽta Zenonis. Ex *ijs* } ex effectis, quae caussam ostẽdũt efficiẽtem. NOLI *praeteferre* } noli tuis uerbis patefacere. VOS } Epicureos, quorum sectator erat Velleius. CONVM *tibi* } De figura mundi sphaerica contra Velleium apologia. QVAM *sphaeram*, } globosam figuram, & rotundam. NOVVM } alienum ab alijs, & inauditum. QVAE *sola omnes* } A multitudine, seu dignitate figura perfectissima, capacissima, & agillima est optima. Figura sphaerica est talis; Igitur est optima. NIHIL *asperitatis* } nam leue necesse est esse cum eius circumferentia, aeque distat a centro. AMFRACTIBVS } curuitatibus. Vnde Amfractus dicuntur siluarum, & fluminum flexus, & ambages. Lacunosum cauum descendens, & lacunas faciens. Ex *solidis*, } trina dimensione comprehensis. Ex *planis* } duas dimensiones habentibus. EXTREMVM } circumferentia. IDEM } ipsum medium. A *summo* } ab extremo. APTIVS } perfectius. SI *haec non uideris* } nunc dicta, quae in duabus praestantibus formis uideri possunt. ERVDITVM *illum puluerem* } in quo scilicet eruditi Geometrae descriptiones, & rationes suas faciunt. Perstringitur autem ἀγεωμετρησία Epicuri, hoc est inscitia Mathematum. PHYSICI } naturae interpretes, quae est principium motus, & quietis AEQVALITATEM *motus*, } temperamentum motus. CONSTANTIAMQ. } & perseuerantiam. BIS *bina, quid essent*. } Bina, numerum significat, non qualitatem: itaque sic opinor rectius, Bis bina quot essent, una littera immutata: siquidem Quit, pro Quid, ueteres scribebant: quae deinde multorum errorum caussa fuit, describentibus libros hominibus imperitis. Antiquus liber Iulij Galli, Bis binaq. essent. Haec Paullus pater. SI *bis bina quot essent*: si nim numerorum, figurarum, & corporum mathematicorum didicisset. CAELI *palatum* } caeli superficiem interiorẽ. NAM, *cum duo sint* } Caelum, caelestiaq. corpora rotunda esse probat, per motum, ac faciles conuersiones. COMMEANS } cum ipso caelo tendens, tamquam illi infixum. ALTERVM } septem planetas intellige. hoc est errantes. CONTINVAS *conuersiones duas* } unam, ab occasu ad ortum per signiferum circulum Zodiacum a Graecis dictum, & alteram ab ortu in occasum. IISDEM *spatijs* } per eiusdem signiferi latitudinem. Ex *utraq. re*, } ex duplici, & continua conuersione. VOLVBILITAS } conuersio. GLOBOSA } rotunda. SOL, *qui* } Sol princeps, & moderator reliquorum hominum gratas uices diei, & noctis; item aestatis, & hiemis efficit. MOVETVR } per Zodiacum, a Capricorno ad Cancrum. LVCE *compleuerit* } illustrauerit. OPACET. } obscuret ex interpositione terrae. OFFICIENS } obstans. SPATIORVM } interuallorum. AEQVALITAS } temperatura. MODICI } seruantes modum, mediocritatem, temperamentum. TEMPERANT. } disponunt. CIRCVITVS *enim solis orbium v. defectibus*. } Nos ex antiquo libro, Diebus, pro, Defectibus, reposuimus. Haec Paullus pater. ORBIVM } circulorum, id est dierum & noctium. QVARTA *fere diei partẽ* } sex horis. EA *duo tempora* } id est uer, & autumnum. SENESCENTI } languidae, deficienti. ADIVNCTVM } proximum, scilicet uer. ALTERVM *aestati* } scilicet autumnus. DVCVNTVR } originantur.

CICERO

IAM, solis annuos cursus spatijs menstruis luna eõ sequitur: cuius tenuissimum lumẽ facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque pleuissimum. neque solum eius species, ac forma mutatur tum cresceñdo, tum defectibus in initia recurrẽdo, sed etiam regio, quae tum est aquilonaris, tum australis. In lunae quoque cursu est & brumae quaedam, & solstitij similitudo: multaq. ab ea manant, & fluunt, quibus & animantes alantur, augescantq., & pubescant; maturitatemq. assequantur, quae oriuntur e terra. Maxime uero admirabiles sunt motus earum quinque stellarum, quae falso uocãtur errãtes. nihil enim errat, quod in omni aeternitate conseruat progressus, & regressus, reliquos motus constantes, et ratos. quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus, quia tũ occultãtur, tũ rursus aperiuntur: tũ abeunt, tũ recedũt. tũ antecedũt, tũ subsequũtur, tũ celerius mouẽtur, tũ tardius: tũ omnino ne mouẽtur quidẽ, sed ad quodda tẽpus insistũt. quarũ ex disparibus motionibus magnum annũ mathematici nominauerunt. qui tum efficitur, cum solis, & lunae, & quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatijs est facta conuersio. quae quam longa sit, magna quaestio est; esse uero certã, & definitã, necesse est. Nã ea, quae Saturni stella dicitur, φαίνωνq. a Graecis nominatur; quae a terra abest plurimũ, xxx fere annis cursum cõficit. in quo cursu multa mirabiliter efficiẽs tũ antecedẽdo, tũ retardãdo, tũ uespertinis tẽpib. delitescẽdo, tũ matutinis rursum se aperiendo, nihil immutat sem-

piternis saeculorum aetatibus, quin eadem iisdem temporibus efficiat. Infra autem hanc, propius a terra, Iouis stella fertur, quae φαέθων dicitur: eaq. eũdẽ XII. signorum orbem annis XII. cõficit; easdemq., quas Saturni stella, efficit in cursu uarietates. Huic autem proximũ inferiorem orbem tenet πυρόεις, quae stella Martis appellatur; eaq. IV. & XX. mensibus, VI, ut opinor, diebus minus eundem lustrat orbem, quem duae superiores. Infra hanc autem stella Mercurij est: ea στίλβων appellatur a Graecis: quae anno fere uertente signiferum lustrat orbem, neq. a sole longius umquam unius signi interuallo discedit, tum anteuertens, tum subsequens. Infima est quinque errantium, terraeq. proxima, stella Veneris: quae φωσφόρος Graece, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur solem; cum subsequitur autem, Hesperos. ea cursum anno conficit, & latitudinem lustrãs signiferi orbis, & longitudinem: quod idem faciunt stellae superiores: neq. umquã ab sole duorum signorum interuallo longius discedit, tum antecedens, tũ subsequens. Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam, tam uarijs cursibus, in omni aeternitate cõuenientiam temporum, non possum intelligere, sine mente, ratione, consilio. quae cum in sideribus inesse uideamus; non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere.

EXPLANATIO

LVNA Luna mensis spatio semel conficit suum cursum, quem sol in anno integro absoluit. Quo autem propior est soli, eo minus lucis in eo cernimus; &, quo longius ab eo recedit, eo plenius eius lumen nobis apparet. SPATIIS } interuallis. TENVISSIMVM } minimum. DEFECTIBVS } decretionibus. IN *initia* } ad coniunctionem. nam ad solem iterum rediens quo accedit propius, eo magis lumine deminuitur, donec tandem solem assequens, & cum eo coniuncta, nullam partem sui luminis nobis obuertit, quod tempus uocatur Nouiluniũ. REGIO } Aliter Lunae lumen apparet Septemtrionalibus, aliter Meridionalibus populis, quod ea tantum pars eius lumine completur, quae soli obuersa est, & in humanos oculos incurrit. Cum igitur Luna a coniunctione solis recedit, uertit arcus cornua a sole uersus orientem, & contra, accedens ad coniunctionem uertit cornua ad occasum. BRVMAE *quaedam*, } id est solstitij hiberni & aestiui quaedam imago exsistit in Lunae cursu, habet enim perinde ut sol puncta maximae sublimitatis, siue exaltationis, & humilitatis, quae uocantur ἀπόγειον καὶ περίγειον. MANANT, *& fluunt* } Effectiones Lunae insignes sunt in hac inferiori natura, aere, aquis, terra, plantis, & animantium corporibus. Excitat enim, auget, alit, & minuit humores. ALANTVR, } nutriuntur, uegetentur, & crescant. MATVRITATEM } ultimam perfectionem. FALSO } perperam, quoniam reuera lapsu certo, spatioq. feruntur. Vocantur autem errantes respectu siderum fixarum, quae caelo inhaerent. CONSTANTES, *& ratos* } perseuerantes, & firmos. AD *quoddam tempus* } Planetae praesertim superiores interdum sic cursum suum inhibent, ut dies aliquot tamquam immoti subsistere uideantur, & tunc dicuntur στηρίζοντες, stationales. MAGNVM *annum* } annus magnus, uidelicet communis omnium planetarum periodus, & in eum statum, quem ab initio mundi habuerunt restitutio, auctore Platone. Macrobius enarrans somnium Scipionis, magnum annum, mundanum annum uocat. SATVRNI *stella* } φαίνων καὶ κρόνος. QVAM } quantum. QVAESTIO } disputatio. NAM *ea* } probat necessitatem, & certitudinem huius definitae conuersionis. φαίνων, } idest, faciens, & praebens lumen, & φαίνομαι Graece luceo, & appareo Latine. φαέθων } splendidus. & accensus. componitur enim a luce, & uro. πυρόεις, } igneae, & ardentis naturae. LVSTRAV } circumdat. στίλβων } idest, radians, & micans. VERTENTE } currente. ANTEVERTENS } praeueniens. CONVENIENTIAM } concordiam.

CICERO

NEc uero eae stellae, quae inerrantes uocantur, non significant eandem mentem, atq. prudentiam; quarum est quotidiana, conueniens, constansq. conuersio: nec habent aetherios cursus, neque caelo inhaerentes, ut pleriq. dicunt physicae rationis ignari. non est enim aetheris ea natura, ut ui sua stellas complexa contorqueat. nam tenuis, ac perlucens, & aequabili calore suffusus aether, non satis aptus ad stellas cõtinendas uidetur. habent igitur suam sphaeram stellae inerrantes ab aetheria coniunctione secretam, & liberam. earum autem perennes cursus, atq. perpetui, cum admirabili, incredibiliq. constantia, declarant in his uim, & mentem esse diuinam: ut, haec ipsa qui non sentiat deorum uim habere, is nihil omnino sensurus esse uideatur. Nulla igitur in caelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec uanitas inest: contraq. omnis ordo, ueritas, ratio, constantia. quaeq. his uacant, ea mentita, & falsa, plenaq. erroris eunt circum terras, infra lunam; quae omnium ultima est, in terrisq. uersatur. Caelestem ergo admirabilem ordinem, incredibilemq. constantiam, ex qua conseruatio, & salus omnium omnis oritur, qui uacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est. haud ergo, ut opinor, errauero, si a principe inuestigandae ueritatis huius disputationis principium duxero. Zeno igitur ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum, ad gignendum progredientem uia: censet enim artis maxime proprium esse, creare, & gignere; quodq. in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est, ut dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. atq. hac quidem ratione omnis natura artificiosa est: quod habet quasi uiam quamdam, & sectam, quam sequatur. Ipsius uero mundi, qui omnia complexu suo coercet, & continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex, ab eodem Zenone dicitur consultrix, & prouida utilitatum, opportunitatumq. omniũ. atq. ut ceterae

rae suis seminibus quaeque gignuntur, augescunt, continentur: sic natura mundi omnes motus habet uoluntarios, conatusq. et appetitiones, quas ὁρμὰς Graeci uocant; & his consentaneas actiones sic adhibet, ut nosmet ipsi, qui animis mouemur, & sensibus. Talis igitur mens mundi cum sit, ob eamq. caussam prouidentia appellari recte possit: (Graece enim πρόνοια dicitur) haec potissimum prouidet, & in his maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem, ut in eo eximia pulchritudo sit, atque omnis ornatus.

EXPLANATIO

NEc *uero* } Eandem diuinitatem Balbus attribuit stellis caelo affixis. INERRANTES } stabiles, & fixae. NEC *habent* } Negant Stoici stellas aetheri, siue caelo affixas esse, quod animantes eas esse opinantur, & motu uoluntario ferri. ATHERIOS } in athere. CAELO *inhaerentes*, } caelo infixae. EA } eiusmodi. VI } robore, ac impetu. CONTORQVEAT } simul rapiat, & circumducat. TENVIS } subtilis. PERLVCENS } transparens. AEQVABILI } temperato. SECRETAM, } separatam. LIBERAM. } expeditam. PERENNES } indeficientes. VIM } impetum. DIVINAM } supremam. SENSVRVS } cogniturus. FORTVNA } improuisus casus: quasi praeter naturae ordinem eueniat. TEMERITAS } imprudentia, irrationalitas. ERRATIO, } inconstantia, & uariatio. VANITAS } mendacium, falsitas. ORDO, } Fortunae contra ponitur, sicut & ueritas uanitati. HIS *uacans* } non habent haec, scilicet ordinem, ueritatem, rationem, constantiam: quae quidem ad quattuor mundi partes referuntur. EVNT } a supremo gradu declinantes. A *principe* } a Zenone, Stoicae familiae duce. IGNEM *esse artificiosum*, } Ignem esse substantiam, ingenio, & peritia praeditam. PROGREDIENTEM *uia* } ratione ductam ad gignendum. CREARE } esse in motu generationis. GIGNERE } perficere generationem. MAGISTRVM } artificem. HAC *ratione* } pari uia. OMNIS *natura* } omnes res creantes, & gignentes. SECTAM } distinctam, & propriam disciplinam regulam traditionem ratione rectam. QVAM *sequuntur* } quasi ducem. MVNDI, } essentiae, substantiae. SEQVATVR } imitetur. COMPLEXVM } conglutinatione, contractione. COERCET } constringit. NATVRA } complexio. CONSVLTRIX } periti consilij. PROVIDA } curatrix, in actione uersans. CETERAE } naturae scilicet particularium. SVIS } propriis. CONTINENTVR } constringuntur quasi glutino. NATVRA } complexio. VOLVNTARIOS } expeditos, liberos ab omni necessitate, & perturbatione, quam affert obliquus motus, de quo supra dictum est. CONATVS } impetus. ὁρμάς } ὁρμάω Graece, impetum facio, & conatum Latine dicitur, & ὁρμὴ appetitio. ET *his* } appetitionibus. CONSENTANEAS } conformes. NOSMET *ipsi*, } necessitatis regulae suppositi. EST *occupata* } uersatur, & detinetur. QVAM *aptissimus* } ualde idoneus, per illam formã, quae pulcherrima est, & perfectissima. AD *permanendum*, } ad perseuerandum. NVLLA *re egeat*; } nullatenus obnoxius sit necessitatis regulae, unde contrahitur deformitas.

CICERO

DICTVM est de uniuerso mundo: dictum est etiã de sideribus: ut iam propemodum appareat multitudo nec cessantium deorum, nec ea, quae agant, molientium cum labore operoso, ac molesto. non enim uenis, & neruis, & ossibus continentur, nec ijs escis, aut potionibus uescuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant: nec ijs corporibus sunt, ut aut casus, aut ictus extimescant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. quae uerens Epicurus, monogrammos deos, & nihil agentes commentus est. illi autem pulcherrima forma praediti, purissimaq. in regione caeli collocati, ita feruntur, moderanturq. cursus, ut ad omnia conseruanda, & tuenda consensisse uideantur. Multae autem aliae naturae deorum, ex magnis beneficijs eorum, non sine caussa & a Graeciae sapientibus, & a maioribus nostris constitutae, nominataeq. sunt, quidquid enim magnã utilitatem generi afferret humano, id non sine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. itaque tũ illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant: ut cum fruges Cererem appellamus, uinũ autem Liberum: ex quo illud Terentij,

Sine Cerere, & Libero friget Venus.

tum autem res ipsa, in qua uis inest maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa nominetur deus, ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas uidemus proxime a M. Aemilio Scauro: ante autem ab Atilio Calatino erat Fides consecrata. uides Virtutis templum, uides Honoris, a M. Marcello renouatum: quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum. quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae? Libertatis? Victoriae? quarum omnium rerum quia uis erat tanta, ut sine deo regi non posset; ipsa res deorum nomen obtinuit. quo ex genere Cupidinis, & Voluptatis, & Lubentinae Veneris uocabula consecrata sunt, uitiosarum rerum, neque naturalium: quamquam Velleius aliter existimat: sed tamen ea ipsa uitia naturam uehementius saepe pulsant. Vtilitatum igitur magnitudine constituti sunt ij dij, qui utilitates quasq. gignebãt. atque his quidem nominibus, quae paullo ante dicta sunt, quae uis sit in quoque, declaratur, deo. suscepit autem uita hominum, consuetudoq. communis, ut beneficijs excellentes uiros in caelum fama, ac uoluntate tollerent. hinc Hercules, hinc Castor, & Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam: hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem nostri maiores auguste, sancteq. Liberum cum Cerere, & Libera consecrauerunt: quod quale sit, ex mysterijs intelligi potest. sed, quod ex nobis natos liberos appellamus, iccirco Cerere nati nominati sunt, Liber, & Libera: quod in Libero seruant, in Libera non item. hinc etiam Romulus; quem quidam eundem es-

se

se Quirinum putant. quorum cum remanerent animi, atque aeternitate fruerētur, dij rite sunt habiti, cum & optimi essent, & aeterni. Alia quoque ex ratione, & quidem physica, magna fluxit multitudo deorum: qui induti specie humana fabulas poetis suppeditauerunt, hominum autem uitam superstitione omni referserunt. atque hic locus a Zenone tractatus, post a Cleanthe, & Chrysippo pluribus uerbis explicatus est. nam uetus haec opinio Graeciam oppleuit, exectum Celum à filio Saturno, uinctum autem Saturnū ipsum a filio Ioue. physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas. caelestem enim altissimam, aethereamq. naturam, id est igneam, quae per sese omnia gigneret, uacare uoluerunt ea parte corporis, quae coniunctione alterius egeret ad procreandum.

CICERO

DICTVM *est* } ἐπιλογισμός, ostendens quo spectarint: hactenus exposita de mundo & sideribus, huc uidelicet, ut dei opera conspicerentur. NEC *cessantium* } non otiosorum. CVM *labore* } Confutatio commenti Epicuri de molestia dei, quam ex labore percipiat. Quia membra non habeat defatigationi obnoxia. OPEROSO } difficili. NON *enim* } describit qualitatem corporum siderum, quae deos uocat. ACRES } tenues. CONCRETOS } crassos. CASVS, *& ictus* } non, inquit, timent cadere, aut offendi. VERENS } reformidans. MONOGRAMMI } lineamenta dumtaxat habētes. μόνος enim Graece solus Latine, & γραμμαὶ lineae: inde μονόγραμμοι dicti. COMMENTVS *est* } finxit. PVLCHERRIMA } splendidissima. PVRISSIMA } tenuissima, mundissima. REGIONE } parte mundi, quae caelum est. FERVNTVR } mouentur. MODERANTVR } temperant. CONSENSISSE } conuenisse. MVLTAE *aliae* } Hactenus de qualitate caelestium deorum siue siderum. nunc agit de qualitate hominum, qui magnitudine beneficiorum dij sunt crediti. nam, quod ope diuina ad usum hominum comparatum esset, id diuino nomine honestabant. CONSTITVTAE } propositae. QVIDQVID *enim* } Dei nomine appellantur homines, & res, quae bonitate, & ni maiore excellunt. BONITATE } benignitate, ac liberalitate. NATVM } productum. CERERE, *& libero* } pane, & uino, quibus potissimum aluntur homines. panis praecipuus ex frumento fit. Tradunt id in Sicilia primum inuentum, & seminatum a Cerere, quae, cum ea inuentione homines maximis curis liberasset, ob id Libera dicta sit. hinc Ceres pro pane ponitur. Simili ratione inuentorem uini Liberum nominarunt, atque eodem nomine uinum intelligunt. Sublato igitur praecipuo alimento friget, torpescit, nō commouetur libido, quae Veneris nomine significatur, eo quod ad omnia ueniat, ut paullo inferius exponet Cicero. TVM *autem* } Ponit aliam speciem constitutorum deorum. VIS *inest maior* } qualitas omnibus antecellens inest. VT FIDES } quae est ueritas dictorum, ac fundamentum iustitiae. MENS } intelligendi uis. DEDICATAS } consecratas. VIRTVTIS, *Honoris*, } Ante erat delubrum Virtutis, deinde Honoris: ut ostenderetur, non patere aditus ad ueros honores, nisi per Virtutem, cuius praemium Honor habetur, & est. OPIS? } auxilij. SALVTIS? } conseruationis in proprio statu. CONCORDIAE? } conuenientiae, consensus, & amicitiae. LIBERTATIS? } liberae condicionis. Libertatis atrium in Auentino fuit exstructum ab Asinio Pollione. VICTORIAE? } adeptionis rei concupitae, & maxime in bello, cuius finis Victoria est. Militaris enim apparatus omnis eo tendit. VIS } potestas. REGI } gubernari, & conseruari. QVO *ex genere* } ex simili natura. Dei nomen per abominandum abusum ad res uitiosas translatum. CVPIDINIS } amoris. VOLVPTATIS } sensibilis delectationis. LVBENTINAE *Veneris* } Lubentina uocata est Venus, quia libenter uolens prompta, & facilis ueniat ad omnia. VOCABVLA, } appellationes. VITIOSARVM } culpabilium. NEQVE *naturalium:* } rerum, quas natura recta ratione instituta non appetit. PVLSANT } impellunt, stimulant, excitant, mouent. QVAEVIS } quae potestas. SVSCEPIT *autem* } Ponit nunc Heroes, atq. Semideos. Vsus obtinuit, ut uiri benemeriti consecrati sint. FAMA } honore nominis. VOLVNTATE } grato studio. HERCVLES } qui monstra domuit. AESCVLAPIVS } qui corporibus medendis insudauit. HVNC *dico Liberum* } Iouis filium ex Semele, quem Bacchum dicunt. Vide Ouid. AVGVSTE } magnifice. SANCTE } religiose. LIBERVM *cum Cerere, & Libera* } id est Solem cum terra & Luna. Macrobius agens de sole & luna ita refert: Virgilius scribit Liberum patrem Solem esse, & Cererem Lunā, qui pariter fertilitatibus glebae, & maturandis frugibus, uel nocturno temperamento, uel diurno calore moderantur. Alij autem, qui Cererem terram esse uolunt, solem, & lunam, quia e terra oriri uideantur, Liberum, & Liberam dicunt. QVOD *quale sit* } hoc est Liberorum diuersitas. Ex *mysterijs* } ex religiosis caerimonijs. NON *transit ad feminas* } Vt inde natas appellent Liberas uiros. Ex *mysterijs* } In sacris Libero tribuebatur Viticeus thyrsus pro sceptro, & corona. Ouid. lib. IIII. Metamorph.

Ipse racemiferis frontem circumdatus uuis
Pampineis agitat uelatam frondibus hastam.

QVIRINVM } hasta insignitum. hoc est, regem belligerum. Olim apud Romanos, hasta, quam illi Quirim appellabant, reges suos insigniebant, & Quirini nomine. Erat enim illis tunc id, quod posterioribus temporibus Sceptrum, & Corona. Eadem ratione Etrusci, quibus Coris hasta erat, Coritos uocabant reges suos. Ouid. in Fastis,

Adde, quod hasta Quiris priscis est dicta Sabinis:
Belliger a telo uenit ad astra deus.

SVNT *habiti* } relati sunt in caelum, in deorum concilium, ubi soluti curis deorum uitam degunt. CVM *& optimi essent, et aeterni* } Ac si dicat Cicero, Perperam Quirinum appellant Romulum iam in deorum concilium relatum, ubi nulla inest necessitas, sed in omni perfectione, & aeternitate, solutus curis. At simili errore laborarent,

borarent, qui in caelum tollerent Liberum illum, qui pro sole habitus est. **ALIA** *quoque ex ratione* ʒ Et alios inquit, deos habuimus fabulosa ratione inductos. **RATIONE** *physica* ʒ perscrutante motum & quietem. **SVPPEDITAVERVNT** ʒ subministrauerunt. **SVPERSTITIONE** ʒ uano timore. **HIC** *locus* ʒ hoc argumentum de dijs fictis. **NAM** *uetus haec opinio* ʒ Repetit Balbus uulgatas fabulas, ut deinde remoueat omnem impietatem, quam poeticus sensus induxerat deos detrahendo ad humanam speciem. **EXSECTVM** ʒ castratum testibus, seu genitalibus priuatum. **VINCTVM** ʒ colligatum. **NON** *inelegans* ʒ ad mundi decorum spectans. **IMPIAS** ʒ nefarias, & flagitiosas: quoniam filius patrem exsecat, & uincit, quod est cōtra pietatem, quae debetur parentibus. **CAELESTEM** *enim* ʒ Rationem huius commenti aperit Balbus. **PER** *se* ʒ sine alterius commistione. **EA** *parte corporis* ʒ genitalibus membris.

C I C E R O

SATVRNVM autem eum esse uoluerūt, qui cursum, & conuersionem spatiorum, ac temporum contineret: qui deus Graece id ipsum nomē hēt. κρόνος enim dicitur: qui est idē χρόνος. Saturnus autem est appellatus, quod fasuretur annis: ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit aetas temporum spatia, annisq. praeteritis insaturabiliter expletur. Vinctus est autem a Ioue, ne immoderatos tursus haberet, atque ut eum siderum uinculis alligaret. Sed ipse Iuppiter, quem, cōuersis casibus, appellamus a iuuando Iouem, a poetis pater diuum hominumq. dicitur, a maioribus autē nostris optimus, maximus, & quidem aute optimus, id est beneficentissimus, quam maximus; quia maius est, certeq. gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere. hunc igitur Ennius, ut supra dixi, nuncupat ita dicens:

Adspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

planiusq. alio loco idem:

Cui, quod ī me est, exsecrabor hoc, quo lucet quidquid est. hunc ēt augures nostri cum dicunt, Ioue fulgente, tonante: dicunt enim, caelo fulgente, tonante. Euripides autem, ut multa praeclare, sic hoc breuiter,

Vides sublime fusum, immoderatum aethera;
Qui tenero terram circumuectu amplectitur:
Hunc summum habeto diuum: hunc perhibeto Iouē.

Aer autem, ut Stoici disputant, interiectus inter mare & caelum, Iunonis nomine consecratur: quae est soror, & coniux Iouis: quod & similitudo est aetheris, & cum eo summa coniunctio. Effeminarunt autem eū, Iunoniq. tribuerunt, quod nihil est eo mollius. Sed Iunonem a iuuādo credo nominatā. Aqua restabat et terra, ut essent ex fabulis tria regna diuisa. datū est igitur Neptuno alterum, Iouis, ut uolunt, fratri maritimum omne regnum: nomenq. productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paullū primis litteris immutatis. Terrena autem uis omnis, atque natura Diti patri dedicata est; qui Dis, ut apud Graecos πλούτων, quia & recidant ōia in terras, & oriantur e terris. is rapuit Proserpinam, quod Graecorum nomen est. ea. n. est, quae περσεφόνη Graece nominatur: quam frugum semen esse uolunt; absconditamq. quaeri a matre fingunt. Mater autem est a gerendis frugibus Ceres, tamquam geres: casuq. prima littera itidem immutata, ut a Graecis. nam ab illis quoque δημήτηρ, quasi γημήτηρ, nominata est. Iam, qui magna uerteret, Mauors; Minerua autem, quae uel minueret, uel minaretur. Cumq. in omnibus rebus uim haberent maximam prima, & extrema, principem in sacrificando Ianum esse uoluerunt: quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones peruiae, Iani, foresq. in liminibus profanarum aedium, ianuae nominantur. Nā Vestae nomen a Graecis. ea est enim, quae ab illis ἑστία dicitur. uis autem eius ad aras, et focos pertinet. itaque in ea dea, quae est rerū custos intimarum, omnis et precatio, & sacrificatio extrema est. Nec lōge absunt ab hac ui dij penates, siue a penu ducto nomine, (est enim omne, quo uescuntur homines; penus) siue ab eo, quod penitus insident, ex quo etiā penetrales a poetis uocantur.

E X P L A N A T I O

IMMODERATOS ʒ intemperatos, & contra naturam temporis, quod a temperie nomen habere uidetur. In aequinoctijs maxima quidem temperies percipitur. tunc enim sol medium tenet locum inter adscēsum, & descensum. At, cum adscendit, aut descendit; magnis aestibus, aut frigoribus laedit quaecumque prioribus temporibus exorta sunt. **CONVERSIS**, *moderatis* ʒ Casibus. Metaphora est elegans a Grammaticis sumpta, illud innuens, Naturam, cum per decliuem, & obliquum motum Saturno tributum, uarios subijsset casus, instar nominis, quod a Grammaticis uariatis casibus inflexum uariat, & modum significandi, erectam fuisse per oppositum motum Ioui tributum: unde pater diuūm & hominum dictus est, & optimus maximus. Ambos uero motus Cicero casus nuncupare uidetur ea ratione, qua ad excessum tendere possunt, qualem exemplificauimus de adscensu, & descensu solis. Hinc Euripides sublime fusum immoderatum aethera appellat; sublime inquā, candens, quē inuocāt oēs Iouē, ut paullo inferius inqt Ennius. **GRATIVS**, ʒ acceptius, iucundius. **PRODESSE** *hominib.* ʒ ex quo optimus dicitur. **OPES** *magnas habere* ʒ ex quo dicitur maximus. **ENNIVS** ʒ in Thyeste. Festus. **NVNCVPAT** ʒ appellat, ut in principio huius libri dictū est. **QVEM** *inuocāt oēs Iouē* ʒ Vocāt, magis placet. Supra in principio huiusce libri, & lib. III. **PLANIVS** ʒ euidentius. **IDEM** ʒ scilicet Ennius in tragoedia. **EXSECRABOR** ʒ maledicam. **HOC** ʒ sublime candens &c. nimirum ignem in sublimi aere omnia collustrantem. **FVSVM** ʒ sparsum. **IMMODERATVM** ʒ in excessu dominantem. **TENERO** *circumuectu* ʒ ambitu mollis, ac circumfluxibilis aquae. quasi brachio. **TERRAM** *amplectitur* ʒ quasi amatam fouens, calido, & humido. hinc Oceanum deorum patrem quidam finxere. **AER** *autem &c.* ʒ Ratio

physica,

physica, cur Iunoni aer tribuatur. SIMILITVDO *est aetheris* } In aere sublimi, qui caeli nomine saepius nominatur, residens ignis aetherem constituit. proxime succedit duplex aer, unus tenuis, & ualde purus, quem commistum igni Iunonem nominant, alter uero crassus, quem iunctum igni Neptunum uocant. De utroque aere paullo superius Balbus ita meminit: Licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quã illorum, qui utuntur crasso caelo, atque concreto. Cum igitur caelum aeris nomine censeatur, nihilq. aliud sit Iuppiter, siue aether, quam ignis aeri sublimi commistus, sequitur, ut Iuno sit aetheris similitudo, quae ex igni,& tenui aere conflatur a Stoicis. EFFEMINARVNT } nomine femineo nuncuparunt. MOLLIVS,} lenius,propter tenuitatem. *Vt essent tria regna* } De aere locutus est: restabat aqua, & terra, quae tria elementa poetae,inquit,nuncuparunt regna. DATVM *est igitur Neptuno* } In praecedenti libro Velleius, cum recenseret, quidnam de natura deorum sentiret Chrysippus Stoicus, de eo ita dixit, Idem disputat aethera esse eum, quem homines Iouem appellarent; quiq. aer per maria manaret, eum esse Neptunum. Quibus ex uerbis dicendum uidetur, ut, quemadmodum Iouis soror Iuno est ignis, atq. aer subtili proximus; ita & eiusdem frater Neptunus sit ignis, atq. aer ille crassus, aquis proximus, & se aliquando immergens. PORTVNVS } Apud Hyginum ita legitur: Ino cum Melicerte filio suo in mare se praecipitauit: quam Liber Leucotheam uoluit appellari, nos matrem Matutam dicimus: Melicertem autem Palaemonem, quem nos Portunum dicimus. PAVLLVM *primis litteris immutatis* } Augmento enim, & accessu litterarum quarundam ad principium nominis Portuni fit Neptunus, quasi natans Portunus. ideo dixit, Nomenq. productum. TERRENA *uis* } quae Geres, & Ceres dicitur. ATQVE *natura* } uis seminaria, quae Proserpina dicitur Cereris filia. DITI *patri dedicata est* } hoc est, Refertur ad Diuem patrem. Est autem Dijs Latinis, idem, quod Graecis Pluton, quibus nominibus diuitiarum deus intelligitur. Is *rapuit Proserpinam*, } Haerebat antea lector hoc in loco, deprauatione uerborum implicatus. nunc ex Maffei libro correctione adhibita, nemo tam tardus est, qui, uel cursim legens, sensum non percipiat. Haec Paullus pater, FRVGVM } stirpium, in quibus anima est, illas uegetans quidem, & crescere faciens, sed non de loco ad locum mouens, CASVQ. *prima littera itidem immutata*. } Cum Terra a gerendis, siue producendis seminibus diceretur Geres, casu effectum esse ait ut, G, littera eius nominis, prima itidem immutata, hoc est figurae dumtaxat alteratione passa, & conuersa in litteram C, casum, ut opinor denotantem, diceretur Ceres. Quidam fabulantur Cererem a Neptuno compressam ob pudorem nigram uestem induisse, & omnem penitus lucem fugisse, atq. in tenebris latitantem, ob iram omnes terrae fructus corrupisse pesteq. passim homines, & animalia omnia confecisse, donec Parcis a Ioue missis iram deponere precanibus placata est. Quidam uero haec referunt ad iram, quam concepit cum cognouisset Proserpinam filiam in Sicilia flores colligentem raptam a Plutone, & curru delatam ad inferos. De ui casus proxime agit, ubi de Mauorte & minuente Mineruа, quae quasi alter Mars hastata fingitur, & belligera, unde non mirum est Balbum paullo supra improbasse eos, qui Romulum in caelo existentem Quirinum, hoc est hastatum, nominent. γημήτηρ } id est terra mater. MAGNA *uerteret* } ruere faceret rerum omnium naturam, quae paullo supra talis describitur, ut omnibus praesit. de hac praestantissima natura in hanc sententiam ita inquit Lactantius libro de diuino praemio: Cum caput orbis ciciderit, & ῥύμη esse coeperit, quod sibyllae fore aiunt, quis dubitet uenisse iam finem rebus humanis, orbiq. terrarum? VERTERET, } ui deijceret ad solitudinem CVMQ. *in omnibus rebus* } in rerum omnium natura. PRIMA *& extrema* } introitus, & exitus rerum naturalium. habet enim unaquaque res naturalis ortũ, & interitum. PRINCIPEM } omnibus praestantem naturam. AB *eundo* } ut ipsa natura, siue Genius, dicatur Ianus, quasi Vianus: hoc est, libere transiens inter prima, & extrema. TRANSITIONES *peruiae* } uiae liberum transitum habentes, hoc est introitum, atque exitũ. IANI *dicuntur* } quasi ad Ianũ pertinentes: hinc bifrons, aut biceps fingitur Ianus, ueluti, qui utrimque speculetur prima, & extrema. PROFANARVM } non sacrarum. NAM *Vesta* } Postquam egit de Principe Iano, hoc est ui naturae libere euntе, nimirum fluente, & refluente: sequitur de eadem naturali, hoc est de ui stante, quae Vesta dicitur, & Terra. Sed eius uis, inquit Balbus, ad aras, & focos pertinet. De Vesta ita inquit Ouid. in Fast.

Vesta eadem est, & terra subest uigil ignis utrique
    Significant sedem, terra, focusq. suam.
Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa,
    Aere subiecto tam graue pendet onus.
Stat ui terra sua ui stando Vesta uocatur,
    Caussaq. par graui nominis esse potest.
At focus a flammis, & quod fouet omnia dictus
    Qui tamen in primis aedibus ante fuit.
Hinc quoq. uestibulum dici reor, unde precamur, &c.

Sunt, qui aedes Vestalium uirginum, quae ignem perpetuo nutriebant, sacras minime fuisse coniectent, quod, cum ob id tantum sacrarentur aedes, ut ibi populi conuentus promiscuus haberetur, non decuerit, ut populus conueniret ubi essent Vestales, de quarum uirginitate cautum erat. PRECATIO } directio precum. EXTREMA *est* } quoniam poetis diuinam naturam deducentibus ad humanam formam Terra ultima est inter quattuor gradus rerum naturalium. PENITVS } intrinsecus. PENETRALES } quasi loca intima, & extrema insidentes.

CICERO

C I C E R O

IAM Apollinis nomen est Graecum; quem solem esse uolunt: Dianam autem, & lunam eandem esse putant; cum sol dictus sit, uel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, uel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet; luna a lucendo nominata sit. eadem est enim Lucina: itaque, ut apud Graecos Dianã, eamq. Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quae eadem Diana omniuaga dicitur, non a uenando, sed, quod in septem numeratur tãquam uagãtibus, Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. adhibetur autem ad partus, quod ij maturescunt aut septem non numquam, aut plerumque nouem lunae cursibus: qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. concinneq., ut multa, Timaeus; qui cum in historia dixißet, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae tẽplum deflagrauisse: adiunxit; minime id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse uoluißet, abfuisset domo. Quae autem dea ad res omnes ueniret, Venerẽ nostri nominauerunt: atque ex ea potius uenustas, quam Venus ex uenustate. Videtis ne igitur, ut a physicis rebus, bene, atque utiliter inuentis, tractatio sit ad commẽticios, & fictos deos? quae res genuit falsas opiniones, erroresq. turbulẽtos, & superstitiones paene aniles. et formae enim nobis deorum, & aetates, & uestitus, ornatusq. noti sunt: genera praeterea, coniugia, cognationes, omniaq. traducta ad similitudinem imbecillitatis humanae: nam & perturbatis animis inducuntur: accipimus n. deorum cupiditates, aegritudines, iracundias; nec uero, ut fabulae ferunt, bellis, proelijsq. caruerunt; nec solũ, ut apud Homerũ, cũ duos exercitus contrarios alij dij ex alia parte defenderẽt; sed etiá, ut cũ Titanis, ut cũ gygantibus, sua propria bella geßerunt. haec & dicũtur, & creduntur stultißime, & plena sunt futilitatis, summaeq. leuitatis. sed tamen, his fabulis spretis, ac repudiatis, deus pertinens per naturam cuiusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alij per alia, poterunt intelligi, qui, qualesq. sunt, quoq. eos nomine consuetudo nuncupauerit, quos deos & uenerari, & colere debemus. Cultus autem deorum est optimus, idemq. castißimus, atque sanctißimusq., plenißimusq. pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente, & uoce ueneremur. non enim philosophi solum, uerum etiam maiores nostri superstitionẽ a religione separauerunt. nam, qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. quod nomen postea latius patuit. qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & tamquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo, ut elegantes ex eligendo; tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim in uerbis omnibus inest uis legendi eadem, quae in religioso. ita factum est in superstitioso, et religioso, alterum uitij nomen, alterum laudis. Ac mihi uideor satis, & eße deos, & quales essent, ostendisse.

E X P L A N A T I O

TANTVS } tam magnus. IN *septem* } in numero septem planetarum. MATVRESCVNT } perficiuntur. QVI } cursus lunae. MENSA } terminata. TIMAEVS } historicus fuit Taurominitanus. est autem Tauromimium litorale opidum Siciliae. DIANAE *Ephesiae* } Ephesus urbs est Ioniae clara templo Dianae, quod auctore Strabone Herostratus quidam incendit, ut tam insigni facinore nomen sibi compararet: quod ei non successit. nam, ut scribit Eustathius, diras instituerunt Ephesij in illum, qui Herostratum nominasset, ut perpetua caligine tegeretur nomen illius. AD *res omnes* } ad procreationem rerum omnium. Venus Graeci *ἀφροδίτη* dicitur, hoc est spuma, & Datis hoc est uis genitalis, in formam spumae commutata. Ferunt enim Saturnum Caeli patris genitalia abscidisse: ex quibus in mare proiectis, & in formam spumae exagitatione maris cõmutatis orta sit Venus. VENVSTAS } gratia formae. VIDETIS *ne igitur* } Poeticus sensus, inquit Balbus, superstitiones mundo induxit. FRACTA *ratio sit* } diuerterint homines. ERRORES } motus uarios. ANILES } deliris uetulis conuenientibus. FORMAE } figurae nobis similes, quae naturae diuinae non conueniunt. pari ratione dicendum est de natalibus, cognatione, affectibus. ORNATVS } uarii cultus formarum. PERTVRBATIS } ualde turbatis, cõmotis. AEGRITVDINES } maerores. APVD *Homerum* } Iliade V. Iuno, Minerua, Neptunus, Vulcanus, & Mercurius, Graecis, Venus uero, & Apollo, Diana, Mars &c. Troianis opitulãtur. CONTRARIOS } hostiles, Graecum scilicet, & Barbarum. ut in Iliade fingit Homerus. PROPRIA } peculiaria. STVLTISSIME } imprudentissime. FVTILITATIS } inconstantiae. SED *tamen* } Conclusio secundae partis. PERTINENS } transiens. QVI } cuius substantiae. QVALES } cuius efficaciae. CONSVETVDO } recta ratione introducta. CVLTVS } caerimoniae. CVLTVS *autem deorum* } Cultus deorum qui optimus. CASTISSIMVS } purissimus. SANCTISSIMVS } religiosus. INTEGRA } tota perfecta. MAIORES *nostri* } prisci Romani. PRECABANTVR, *& immolabans* } orationes, & sacrificia dirigebant. PATVIT *latius* } nam altero sensu superstitiosus dicitur, qui uana religione tenetur. DILIGENTER } discrete, & pie. RELEGERENT, } hoc est opposito sensu legerent impia, & impura, quae de dijs poetae tradunt. Ex *relegendo*, } Sunt qui a relegando religiosum dici, uelint, quippe, qui per sanctitatem se releget, ac separet ab aliis: sunt etiam, qui a religando, quoniam pietatis uinculo religetur deo. Sed Ciceronis iudicio stãdum uidetur, in his maxime, quae ad linguae latinae cultum, & uocabulorum etymologiam pertinent.

CICERO

Proximvm est, ut doceam, deorum prouidentia mundum administrari. magnus sane locus, & a uestris, Cotta, uexatus: ac nimirum nobiscum omne certamen est. nam nobis, Vellei, minus notum est, quemadmodum quidque dicatur. uestra enim solum legitis, uestra amatis, ceteros, caussa incognita, condemnatis. uelut a te ipsa hesterno die dictum est, anum fatidicam πρόνοιαν *a Stoicis induci, id est prouidentiam. quod eo errore dixisti, quia existimas ab his prouidentiam fingi, quasi quandam deam singularem, quae mundum omnem gubernet, & regat. sed id praecise dicitur. ut, si quis dicat Atheniensium remp. consilia regi, desit illud, Areopagi: sic, cum dicimus prouidentia mundum administrari, deesse arbitrator, deorum. plene autem, & perfecte sic dici existimato. prouidentia deorum mundum administrari. ita salem istum, quo caret uestra natio, in irridendis nobis nolitote cõsumere. & mehercle, si me audiatis, ne experiamini quidem. non decet: non datum est: non potestis. nec uero hoc in te unum conuenit, moribus domesticis, ac nostrorum hominum urbanitate limatum; sed cum in reliquos uestros, tum in eum maxime, qui ista peperit, hominem sine arte, sine litteris, insultantem in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore. Dico igitur, prouidentia deorum mundum, & omnes mũdi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari. Eamq. disputationem tres in partes nostri fere diuidunt. quarum pars prima est, quae ducitur ab ea ratione, quae docet esse deos: quo concesso confitendum est eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quae docet omnes res subiectas esse naturae sentienti, ab eaq. omnia pulcherrime geri: quo constituto, sequitur ab animantibus principijs eam esse generatam. Tertius locus est, qui ducitur ex admiratione rerum caelestium, atque terrestrium. Primum igitur, aut negandum est deos esse; quod & Democritus, simulacra, & Epicurus, imagines inducens, quodam pacto negat: aut, qui deos esse concedant, ijs fatendum est, eos aliquid agere, idq. praeclarum. nihil est autem praeclarius mundi administratione: deorum igitur consilio administratur mundus. quod si aliter est; aliquid profecto sit, necesse est, melius, & maiore ui praeditum, quam deos. quale id cũque est, siue inanima natura, siue necessitas ui magna incitata, haec pulcherrima opera efficiens, quae uidemus. non est igitur natura deorum praepotens, neque excellens; siquidem ea subiecta est ei uel necessitati, uel naturae, qua caelum, maria, terraeq. regantur. nihil autem est praestantius deo: ab eo igitur necesse est mundum regi. nulli igitur est naturae oboediens, aut subiectus deus: omnem ergo regit ipse naturam. etenim, si concedimus, intelligentes esse deos; concedimus etiam, prouidentes, & rerum quidem maximarum. ergo utrum ignorant, quae res maximae sint, quoq. hae modo tractandae, & tuendae; an uim non habent, qua tantas res sustineant, et gerant? at et ignoratio rerum aliena naturae deorum est; & sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem deorum. ex quo efficitur id, quod uolumus, deorum prouidentia mũdũ administrari. atqui necesse est, cum sint dij, si modo sint, ut profecto sunt, animantes esse, nec solum animantes, sed etiam rationis compotes, interseq. quasi ciuili conciliatione, & societate coniunctos, unum mundum, ut communem remp. atque urbem aliquam regentes. sequitur, ut eadem sit in his, quae in genere humano, ratio, eadem ueritas utrobique sit, eadẽq. lex: quae est recti praeceptio, prauiq. depulsio. ex quo intelligitur, prudentiam quoque, & mentem a dijs ad homines peruenisse: ob eamq. caussam maiorum institutis mens, fides, uirtus, concordia, consecratae, & publice dedicatae sunt. quae, qui conuenit, penes deos, negare; cum eorum augusta, & sancta simulacra ueneremur? quod si inest in hominum genere mens, fides, uirtus, concordia: unde haec in terras, nisi a superis, defluere potuerunt? cumq. sit in nobis consilium, ratio, prudentia; necesse est deos haec ipsa habere maiora, nec habere solum, sed etiam his uti in maximis, & optimis rebus. nihil autem est nec maius, nec melius mundo: necesse est ergo eum deorum consilio, & prouidentia administrari.*

EXPLANATIO

Deorvm *prouidentia mundum administrari:* } Haec est tertia pars eorum, quae Balbus disputanda proposuit. Magnvs *locus,* } ampla quaestio. A *uestris,* } Academicis. Vexatvs: } in ambiguum reuocatus. Vobis } Epicureis. Qvidqve } quaecumque res proposita. Vestra *enim* } Notatur Epicuri φιλαυτία, id est amor sui ipsius, nihil nisi quod ipse sentit, aut dicit rectum putans, & alios caussa incognita condemnans. Cavssa *incognita* } non intellecta re proposita, & disputata. Hesterno *die* } primo scilicet libro de natura deorum. Anvm *fatidicam* } uetulam praesagam. Id *est prouidentiam,* } Interpretatio Graeci uerbi πρόνοιαν, Ciceroni sine caussa, ut opinor, attributa. Gvbernet, } actu. Regat. } consilio. Praecise } imperfecte. Areopagi } curiae Atheniensis, & senatus Areopagus erat locus eminẽs e regione ad arcem Athenarum, ubi publicae curae gerebantur. Inde Areopagitae senatores dicti. Nomen ductum est a Marte, & pago, quasi uicus Martis. Salem *istum* } facetam dictionem. Insulsitas Epicuri, ad iocandum non minus inepti, quam ad disserendum. Consumere salem in irridendis alijs, est salse reprehendere, aut insectari. Plinius agens de sale, dicit: Omnis uitae lepos, & summa hilaritas, laborumq. requies non alio magis uocabulo constat. Natio } familia, secta. Non *decet* } non conuenit cuiquam. Non *datum est:* } scilicet a nobis. Non *potestis.* } uos, inquit, ignari, rudes, & sale carentes non potestis facete deridere Stoicos. Hoc } nimirum, ut derideas nos. Moribvs *domesticis,* } patrijs tuis moribus. erat enim Lanuuinus. Nostrorvm *hominum* } Romanorum.

manorum. LIMATVM } eruditum, expolitum. CVM } partim. PERERIT } auctor fuit istius dogmatis. non tam Epicuri inscitia. SINE *arte* } Dialecticees ignarum. SINE *litteris* } Grammatices ignarum. INSVLTANTEM } deridentem. SINE *acumine* } hebetis ingenij. SINE *auctoritate* } absque ratione aliqua id comprobante. SINE *lepore* } sine gratia, & concinnitate. DICO *igitur* } Asseueratio de Prouidentia. CONSTITVTAS } positas. TRES *in partes* } Diuisio disputationis de Prouidentia. PVLCHERRIME } honestissime. CONSTITVTO } posito, & confirmato. ANIMANTIBVS *principijs* } habentibus animam. SIMVLACRA } similitudines quasdam ueluti umbras. IMAGINES } lineares figuras. QVODAM *pacto* } aliquo modo. AVT, *qui deos* } Complexio, siue dilemma certum est, dei consilio mundum gubernari. nam, si est deus, certe aliquid praeclare agit, cum autem mundi administratione nulla actio sit praeclarior, omnino deus mundum administrat. Si uero non est, aliquid deo dignius, & potentius sit necesse est, cum autem nihil sit praestantius deo, sequitur, deum regere mundum, nec regi ab alio. PRAECLARVM. } ualde euidens est. SI *aliter est* } hoc est, nisi deorum consilio administretur. SIVE *necessitas* } Ita uocant Stoici irrationales motus. VI *magna* } ui diuina: nam mundum deum uocant Stoici. NEQVE *excellens* } id profecto sequitur, si deorum natura pareat necessitati, quod quidem absurdum, ac deforme esset. ETENIM } a cognitione, & omnipotentia deorum, probat mundum administrari prouidentia. Argumentum, aut deus administrat mundũ, aut per ignorantiam, & imbecillitatem non potest, sed ignorantia, & imbecillitas in deum non cadit, igitur gubernat mundum. ATQVI *necesse est* } Probat in dijs esse eximiam rationem, & excellentissimam prudentiam, cum ab ipsis ad homines defluxerint ratio, & prudentia. Argumentum. Mentis officia sunt intelligere, prouidere, & actiones maximas, & optimas gubernare, in deo est mens sine ratio, & quidem maior, quam in ullo homine. Igitur dei consilio, & prouidentia gubernatur mundus maximus, & optimus.

C I C E R O

POSTREMO, cum satis docuerimus hos esse deos, quorum insignem uim, & illustrem faciem uideremus, solem dico, & lunam, & uagas stellas, & inerrantes, & caelum, & mundum ipsum, & earum rerum uim, quae inessent in omni mundo cum magno usu, & commoditate generis humani: efficitur, omnia regi diuina mente, atque prouidentia. Ac de prima quidem parte satis dictũ est. Sequitur, ut doceam, oĩa subiecta esse naturae, eaq. ab ea pulcherrime regi. sed, quid sit ipsa natura, explicandum est ante breuiter, quo facilius id, quod docere uolumus, intelligi possit. Namque alij naturam cẽsent esse uim quandam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios: alij autem, uim participem rationis, atque ordinis, tamquam uia progredientem, declarantemque, quid cuiusque rei caussa efficiat, quid sequatur, cuius sollertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando: seminis enim uim esse tantam, ut id, quamquam sit perexiguum, tamen, si inciderit in concipientem, comprehẽdẽtemq. naturam, nactumq. sit materiam, qua ali, augeriq. possit, ita fingat, & efficiat in suo quidque genere, partim ut tantummodo ꝑ stirpes alatur suas, partim ut mouerĩẽt, & sentire, & appetere possint, & ex sese similia sui gignere. Sunt autem, qui omnia naturae nomine appellent, ut Epicurus; qui ita diuidit, omnium, quae sint, naturã esse, corpora, & inane, quaeq. his accidant. sed nos cum dicimus natura constare, administrariq. mundum, nõ ita dicimus, ut glebam, aut fragmentum lapidis, aut aliqd eiusmodi nulla cohaerẽdi natura, sed ut arborẽ, ut animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet, & artis quaedam similitudo. quod si ea, quae a terra stirpibus continentur, arte naturae uiuunt, & uigent: profecto ipsa terra eadem ui continetur, & arte naturae, quippe quae grauidata seminibus omnia pariat, & fundat ex sese, stirpes amplexa alat, & augeat, ipsaq. alatur uicissim a superis, externisq. naturis. eiusdemq. exspirationibus aer alitur, & aether, & omnia sidera. ita, si terra natura tenetur, & uiget; eadem ratio reliquo mundo est: stirpes enim terrae inhaerent: animantes autem a spiratione aeris sustinẽtur: ipseq. aer nobiscum uidet, nobiscum audit, nobiscum sonat: nihil enim eorum sine eo fieri potest. quin etiã mouetur nobiscum: quacumque enim imus, quacumque mouemur, uidetur quasi locum dare, & cedere. quaeq. in medium locum mundi, qui est infimus, & quae a medio in superum, quaeq. conuersione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt, unamq. naturam. &, cum quattuor sint genera corporum, uicissitudine eorum mundi continuata natura est. nam ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere aether: deinde retrorsum uicissim ex aethere aer, ex aere aqua, ex aqua terra infima. sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum, deorsum, ultro, citroq. commeantibus, mundi partium coniunctio continetur, quae aut sempiterna sit, necesse est, hoc eodem ornatu, quem uidemus; aut certe perdiuturna, permanens ad longinquum, & immensum paene tempus. quorũ utrumuis ut sit; sequitur, natura mundum administrari. quae enim classium nauigatio, aut quae instructio exercitus, aut rursus (ut ea, quae natura efficit, conferamus) quae procreatio uitis, aut arboris, quae porro animantis figura, conformatioq. membrorum tantam naturae sollertiam significat, quantam ipse mundus? aut igitur nihil est, quod sentiente natura regatur: aut mundum regi confitendum est. etenim, qui reliquas naturas omnes, earumq. semina contineat, qui põt ipse non natura administrari? ut, si quis dẽtes, et pubertatẽ natura dicat exsistere, ipsum aũt hominem, cui ea exsistant, non constare natura; non intelligat ea, quae efferant aliquid ex sese, perfectiorem habere naturam, quam ea, quae ex ijs efferantur.

EXPLANATIO

POSTREMO } a collatione munerum probat omnia regi diuina mente, & prouidentia. Argumentum, Cuius ui praesentia, & insignia commoda omni e parte conspiciuntur, & sentiuntur, ab eo administrari mũdum necesse est, sed ui Dei ubique commoditates infinitae proficisci conspiciũtur, & sentiuntur, Igitur a Deo administrari mundum necesse est. SEQVITVR } Secunda pars disputationis de Prouidentia. NAMQVE *alij* } Quorundam sententias de natura Balbus proponit: & quid de ea senserint Stoici ultimo loco aperit, simul ostendens, quid sit, mundum natura constare & administrari. QVID *sequatur* } hoc est, ad quem finem tendat. CONSEQVI } attingere, perfecte imitari. NATVRAM *concipientem* } aptam conceptibus. MATERIAM } subiectum. QVA *ali, augeriq. possit* } quasi ignis lignea materia disposita ad combustionem. ITA *fingat* } sic formet. HIS } corporibus, & inani. NATVRA *constare,* } Natura constare, & administrari mundum est ordine certo regi. NVLLA *cohaerendi natura* } quod inquit, constet nullo tamen certo ordine cohaereat terrae, ut gleba, aut fragmentum lapidis. SED *ut arborem, &c.* } Intelligimus inquit naturam esse uim constantem ordine & artificio. ARTIS } uiae, rationis. ARTE *naturae,* } Stirpes arte, id est ui ordinata naturae suae uiuunt, & uigent. GRAVIDATA } terrae natura. AER *nobiscum uidet* } Prosopopoeia Stoica, & confusio caussarum. QVASI *locum* } receptaculum. QVAEQVE } quaecumque res. IN *medium locum mundi* } ad centrum mundi feruntur, quod est terra. A MEDIO *in superum* } a centro, ad superiorem ambitum, hoc est ad caelum. EFFICIVNT } constituunt, componunt, integrant, informant ordine quodam & arte naturali. CONTINENTEM } quasi glutino. VNAM } unicam, praestantissimam, natura enim omnibus praeest elementis. CORPORVM } quae elementa mundi dicuntur, ex quibus omnia gignuntur. VICISSITVDINE } una cum mutatione eorum corporum per uices facta. CONTINVATA *est.* } habuit partium coniunctionem, & cohaerentiam. QVAE } continuatio, siue coniunctio. VT *sit* } quamuis sit. NATVRA } uniuersa scilicet, quae & mundus dicitur. MVNDVM } partes mundi: ut paullo inferius se ipsum declarat Balbus. IPSE *mundus* } cuius forma nobilissima est. AVT *igitur* } Ex partium enumeratione concludit, Omnes mũdi partes a natura reguntur, Igitur & mundus. ETENIM } ratio, quare sentiendum ita sit. QVI *potest* } quomodo potest. VT *si quis* } similitudine probat absurdum esse si aliter putetur, & aestimetur. PVBERTATEM } primam lanuginem, quae ab anno quarto decimo pullulat. EFFERANT *aliquid ex sese,* } creent, & gignant aliquid ex sese. Argumentum ex collatione caussae, & effectuum. Caussa est perfectior effectu, Mundus est caussa siue seminator, & parens omnium rerum, Igitur est perfectior rebus effectis.

CICERO

OMNIVM autem rerum, quae natura administrãtur, seminator, & sator, & parens, ut ita dicam, atque educator, & altor est mundus: omniaq. sicut membra, & partes suas, nutricatur, & continet. quod si mũdi partes natura admistrãtur; necesse ẽ mũdum ipsum natura administrari: cuius quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit. ex ijs enim naturis, quae erãt, quod effici potuit optimũ, effectum est. doceat ergo aliquis potuisse melius. sed nemo umquã docebit: &, si quis corrigere aliquid uolet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, desiderabit. quod si omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum melioris potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: uideamus, utrum ea fortuita sint, an statu, quo cohaerere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, diuinaq. prouidentia. Si ergo meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta sunt; nec ars efficit quidquam sine ratione: ne natura quidem rationis expers est habenda. qui igitur conuenit, signum, aut tabulam pictam cum adspexeris, scire adhibitam esse artem: cumq. procul cursum nauigij uideris, non dubitare, quin id ratione, atque arte moueatur: aut, cum solarium uel descriptum, aut ex aqua contemplare, intelligere declarari horas arte, non casu; mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilij, & rationis esse expertem putare? quod si in Scythiam, aut in Britaniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulae conuersiones idem efficiunt in sole, & in luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus & noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione? hi autem dubitant de mundo, ex quo & oriuntur, & fiunt omnia, casu ne ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione, an mente diuina: & Archimedem arbitrantur plus ualuisse in imitandis sphaerae conuersionibus, quam naturam in efficiendis, praesertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam haec simulata, sollertius. Atque ille apud Attium pastor, qui nauem numquam ante uidisset, ut procul diuinum, & nouum uehiculum argonautarum e monte conspexit, primo admirans, & perterritus hoc modo loquitur:

– tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti sonitu, & spiritu
Prae se undas uoluit: uertices ui suscitat:
Ruit prolapsa: pelagus respergit: reflat:
Ita dum interruptum credas nimbum uoluier,
Dum quod sublime uentis expulsum rapi
Saxum, aut procellis, uel globosos turbines
Exsistere ictos undis concursantibus,
Nisi quas terrestres pontus strages conciet;
Aut forte Triton fuscina euertens specus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad caelum uomit.

dubitat primo, quae sit ea natura, quã cernit ignotã: idemq. iuuenibus uisis, auditoq. nautico cantu, sic:

Sicut

Sicut inciti atque alacres rostris perfremunt
Delphini. item alia multa.
Siluani melo
Consimilem ad aures cantum, & auditum refert.
Ergo, ut hic primo adspectu inanimũ quiddã, sensuq. uacuum se putat cernere; post autem signis certioribus, quale sit id, de quo dubitauerat, incipit suspicari: sic philosophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbauerat, postea, cum uidissent motus eius finitos, & aequabiles, omniaq. ratis ordinibus moderata, immutabiliq. constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac caelesti ac diuina domo, sed etiam rectorem, & moderatorem, & tamquam architectum tanti operis, tantiq. muneris.

EXPLANATIO

SEMINATOR } semina terrae mandans, seminalem enim uim habet in se mundus. SATOR } plantator: Vnde Horatius in I. Carm. inquit,

Nullam Vare prius sacra uite seueris arborem.

PARENS } generator. VT *ita dicam*, } innuit mundum translatione quadam dici, seminatorem, satorem, parentem, educatorem, & altorem. MVNDVS: } quem Stoici dicunt uniuersam naturam, atque deum. NVTRICATVR } fouet nutricis more. Ex *ijs naturis* } mundi partibus, siue principijs naturae insitis, & per eam existentibus. EFFECTVM *est* } ui efficiente, quae superiorem obtinet gradum in quattuor partibus mũdi. ET, *si quis* } Totum hoc mundi opificium sic est fabrefactum, nihil ut corrigi, atque desiderari possit. Eo *statu* } ea condicione. SENSV *moderante* } cui innituntur diuinae rationis, seu artis correctores. SI *ergo meliora sunt* } Argumentum aliud ex collatione naturae & artis: Ars nihil agit sine ratione, naturae opera sunt meliora quam artis. Igitur natura non agit absque ratione. ARTE } istorũ scilicet diuinae arti detrahentium. QVI *igitur conuenit*, } quomodo conuenit, Absurdum est, inquit, creaturis artem tribuere, & creatorem rationis, & artis expertem putare. SOLARIVM } horologium. VEL *descriptum* } gnomone scilicet ad umbram solarium radiorum monstrante horas. Ex *aqua* } lapsu suo ex uase forato, quod Clepsydra dicitur, tempus, atq. horas distinguente, per lineas uas ipsum ambientes. Plinius ait, Princeps Romanis solarium horologium statuisse ad aedem Quirini Papirius Cursor traditur. Scipio Nasica primus aqua diuisit horas aeque noctium, ac dierum, idq. horologium sub tecto dicauit. CONTEMPLARE, } sensus est: Aut qui conuenit, cum Romani contemplabantur solarium, uel descriptum, aut ex aqua, intelligere horas arte declarari, non casu; mundum autem &c. ac si dicat absurdum est, & irrationabile. QVOD. *si in Scythiam, aut in Britanniam* } Scythas, & Britannos quasi toto orbe separatos, pro rudibus nationibus, & ceuferis posuit. His exemplis declaratur ratione mundum regi cum talia sint eius opera, ut sine ratione fieri non possint. IN *quinque stellis errantibus* } quae Soli, ac Lunae reliquae sunt de errantium numero. IN *illa barbarie* } In illis nationibus ab omni prorsus arte remotis, & incultis. ARCHIMEDEM *in imitandis sphaerae conuersionibus* } Hic ueluti deus terrenus mechanico artificio sphaeram fecit aeriam, ut Lactantius; siue uitream, de qua Claudianus in his uersibus:

Iuppiter in paruo cum cerneret aethera uitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curae?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus uarijs famulatur spiritus astris,
Et uiuum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamq suum uoluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.

MVLTIS partibus } pluribus rationibus. SIMVLATA } ad similitudinem facta. SOLLERTIVS } studiosius, arte solito maiore. ATQVE *ille apud Attium pastor* } Exemplo poetico ex Argonauticis Attij poetae tragici ostendit Balbus admirationem peperisse naturae perscrutationem. VEHICVLVM } Argo nauim illam celebrem, Palladis arte compactam, & elaboratam, quam Valerius Flaccus fatidicam ratem appellauit. De ea ita Apollonius in IV. Argonauticorum: Illico clamauit humana uoce cauae nauis uocale lignum, quod in media carina e fago Dodonidae Pallas aptauit. Sic Argo clamauit sub tenebris &c. Sunt, qui Argi nomine caelum stellarum luce distinctum intelligant, ita uocatum a candore, & uelocitate. SONITV, *& spiritu* } Qui pro, Spiritu, Legere malunt, Strepitu, non animaduertunt uersum claudicare. Hunc autem uersum & alios consequentes omnes senarios recitat Priscianus in lib. de comicis metris. Haec Paullus pater. VERTICES } undas in se reductas. RVIT } Ita Virgil. Et spumas salis aere ruebant. NIMBVM } caliginosam, & grauidam aquis nubem separatam, & turbine inuolutam. TRITON } maris numen, tubicen Neptuni. FVSCINA } tridente, ac Neptunio sceptro. SICVT *inciti, atque alacres rostris perfremunt* } Metire uersum pedibus: uitium deprehendes; quod mutatione parua tolletur, si pro, Sicut inciti, Leges, Sicuti citi, uel, Vt inciti. Haec Paullus pater. CITI, *atque alacres Delphini* } Velocissimum omnium animalium, inquit Plinius, non solum mari-

marinorum est delphinus, sed ocior uolucre, acrior telo, cum fame concitati fugientem in uada ima persecuti piscem diutius spiritum continuere, ut arcu emissi ad respirandum emicant, tantaq. ui exsiliunt, ut plerumq. uela nauium transuolent. MELO } suaui cantilena, qua utitur Siluanus siluarum & pastorũ numen. Eius nulla est mentio apud Graecos, nisi apud Pelasgos, qui in Italiam antiquitus migrarunt, ut lib. IIX. testatur Virgilius in his:

Siluano fama est ueteres sacrasse Pelasgos
Aruorum, pecoriq. deo lucumque, diemque:
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

ERGO, *ut hic* } Accommodatio exempli ad philosophos. RATIS *ordinibus* } certa lege prouidentia. INTELLIGERE *inesse* } Ex contemplatione mundi Deus cognoscendus.

CICERO

NVNC autem mihi uidentur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas caelestium rerum, atque terrestrium. Principio enim terra sita in media parte mundi, circũfusa undique est hac animabili, spirabiliq. natura, cui nomen est aer, Graecum illud quidem, sed receptum iam tamen usu a nostris: tritum est enim pro Latino. hunc rursus amplectitur immensus aether, qui constat ex altissimis ignibus. mutuemur hoc quoque uerbũ, dicaturq. tam Aether latine, quam dicitur Aer: etsi interpretatur Pacuuius;

Hoc, quod memoro, nostri caelum, Graij perhibent aethera.

quasi uero non Graius hoc dicat. at Latine loquitur. si quidem nos non quasi Graece loquentem audiamus. docet idem alio loco,

Graiugena de isto aperit ipsa oratio.

sed ad maiora redeamus: Ex aethere igitur innumerabiles flammae siderum exsistunt: quorum est princeps sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior, atque amplior, quã terra uniuersa: deinde reliqua sidera magnitudinibus immensis: atque hi tanti ignes, tamq. multi non modo nihil nocent terris, rebusq. terrestribus, sed ita prosunt, ut, si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus, moderatione, & temperatione sublata. Hic ego non miror esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedã solida, atque indiuidua, ui et grauitate ferri, mundumq. effici ornatissimum, et pulcherrimũ ex eorum corporum concursione fortuita? hoc qui existimat fieri potuisse; non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius & uiginti formae litterarum uel aureae, uel quales libet, aliquo conijciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennij, ut deinceps legi possint, effici: quod, nescio, an ne in uno quidem uersu possit tantum ualere fortuna: isti autẽ quemadmodum asseuerant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Graeci nocãt, non sensu praeditis; sed concurrentibus temere, atque casu mundum esse perfectum? uel innumerabiles potius in omni puncto tẽporis alios nasci, alios interire? quod si mundũ efficere potest concursus atomorũ; cur porticũ, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quae sunt minus operosa, & multo quidẽ faciliora. certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem caeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse uideantur. praeclare ergo Aristoteles, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitauissent, bonis, & illustribus domicilijs; quae essent ornata signis, atque picturis; instructaq. rebus ijs omnibus, quibus abundant ij, qui beati putãtur; nec tamẽ exissent umquam supra terram, accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam numen, et uim deorum; deinde, aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram, et maria, caelumq. uidissent; nubium magnitudinem, uentorumq. uim cognouissent; adspexissentq. solem, eiusq. tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiã cognouissent; quod is diem efficeret, toto caelo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum, & ornatum, lunaeq. luminum uarietatem tum crescentis, tum senescentis, eorũq. omniũ ortus, & occasus, atque in omni aeternitate ratos, immutabilesq. cursus: haec cum uiderent, profecto et esse deos, & haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.

EXPLANATIO

NVNC *autem* } notat Balbus hebetudinem eorum, qui animo non aduertant excellentiam rerum caelestium; quam oculis cernunt. NE *suspicari* } ne leuiter quidem cogitare. PRINCIPIO *enim* } Ordo, & continuatio mundo secundum partes. MVNDI } uniuersae naturae. IMMENSVS *aether* } sublimis, & incõprehensus aer, siue caelum, proxime ambiens ignẽ, atque constituens aetherem illum sublimem, quem inuocant omnes Iouem. Ex *altissimis ignibus* } Ignis unus est, in sublimi tamen aere Iuppiter in aere crasso Neptunus, in aere intermedio puro, ac lucido Iuno. Cum igitur inquit, ex altissimis ignibus constare immensum aethera, unicum esse ignem concludit, sed ipsa pluralitate communicabilem innuit. Hinc est, quod paullo supra dixit Iunonem Iouis sororem, & coniugem, esse similitudinem aetheris, nempe Iouis, & cum eo ipso aethere summam habere coniunctionem. NOSTRI } Romani scilicet, quorum sermone utebatur ipse Pacuuius, Graecarum terũ interpres. DE *isto* } caelo. Haec erant uerba Pacuuij ostendentis Aethera dici Caelum Latine. QVORVM *sol est princeps* } Plinius de planetis, Quorum medius, inquit, sol fertur amplissima magnitudine, ac potestate, nec temporum modo, terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, caeliq. rector.

MVLTIS *partibus maior,* } longe maior. IMMENSIS. } Stellae fixae innumerabiles quidem sunt, sed dimensionem tamen habent, siue magnitudinem certam. sic dicimus etiam terram, aerem, mare immensum. TEMPERATIONE *sublata* } Sic condita astra sunt, ut alia calefaciant, alia humectent, ut Sol, & Luna, quorum alter alterius ardorem sic mitigat, & temperat, ut rebus nascentibus conueniat, & prosit. HIC *ego non* } Refutatio atomorum Epicuri, ex quarum concursu fortuito somniat mundos innumerabiles effici. In hac parte, inquit, mirari par est eorum hebetudinem, qui dixerunt haec esse fortuita, & atomorum concursu temerario effecta: quo nihil obtusius excogitari posset. FORMAE *litterarum* } Argumentum a simili. CVR *porticum* } Argumentum a minori parte. Ex atomis ne domus quidem effici potest, nedum mundus. QVI *locus est proximus* } hoc est, iunctus parti secundae, de qua disseritur: omnia scilicet subiecta esse naturae sentienti. sic enim paullo supra, diuidendo proposuit. Tertius est locus, qui ducitur ex admiratione rerũ caelestium, atque terrestrium. Connectit ergo Balbus has partes citra transitionem aliquam, & distinctionem. PRAECLARE *Aristoteles,* } Exemplum ex Aristotele de hominibus sub terra habitantibus. INSTRVCTA } abundante, culta, honestata.

CICERO

ATQVE haec quidem ille: nos autem tenebras cogitemus tantas, quantae quondam, erupsione Aetnaeorum ignium, finitimas regiones obscurauisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret: cum autem tertio die sol illuxisset, tum ut reuixisse sibi uiderentur. quod si hoc idem ex aeternis tenebris contingeret, ut subito lucem adspiceremus; quaenam species caeli uideretur? sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum assuescunt animi: neq. admirãtur, neq. requirũt rõnes earũ rerũ, quas semp uidẽt: proinde quasi nouitas nos magis, quã magnitudo rerum, debeat ad exquirendas caussas excitare. quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamq. omnia inter se connexa, & apta uiderit, neges in his ullam inesse rationem, eaq. casu fieri dicas, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio asse qui possumus? An, cum machinatione quadam moueri aliquid uidemus, ut sphaeram, ut horas, ut alia per multa; non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moueri, uertiq. uideamus, constantissime conficientem uicissitudines anniuersarias, cum summa salute, & conseruatione rerum omnium; dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, diuinaq. ratione? Licet enim iam, remota subtilitate disputandi, oculis quodam modo contemplari pulchritudinem rerum earum, quae diuina prouidentia dicimus constitutas. Ac principio terra uniuersa cernatur, locata in media mundi sede, solida, & globosa, & undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, uestita floribus, herbis, arboribus, frugibus. quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili uarietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum uestitus uiridissimos, speluncarum cõcauas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesq. camporum. Adde etiam recõditas auri, argentiq. uenas, infinitamq. uim marmoris. Quae uero, & quam uaria genera bestiarum, uel cicurum, uel ferarum? qui uolucrum lapsus, atque cãtus? qui pecudum pastus? quae uita siluestrium? quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate uastari; quorumq. operibus agri, insulae, litoraq. collucẽt, distincta tectis, & urbibus. quae si, ut animis, sic oculis uidere possemus; nemo, cunctam intuens terram, diuina ratione dubitaret. At uero quanta maris est pulchritudo? quae species uniuersi? quae multitudo, & uarietas insularum? quae amoenitates orarum, et litorum? quot genera, quamq. disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inhaerentium? ipsum autem mare sic terram appetens litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata uideatur. Exinde mari finitimus aer, die, & nocte distinguitur: isq. tum fusus, & extenuatus in sublime fertur: tum autem concretus in nubes cogitur; humoremq. colligens terram auget imbribus; tum effluens huc & illuc uẽtos efficit. idem annuas frigorum, & calorum facit uarietates: idemq. & uolatus alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes.

EXPLANATIO

NOS *autem tenebras* } Aliud exemplum de tenebris circa Aetnam ex eruptione fumi, fauillaeque, quo lucis caelestis usuram nobis commendat. QVAENAM } quasi dicat, Valde admirabilis uideretur. SED *assiduitate* } Res aliquandiu desideratae magis, quam assiduae praeceptae delectant. QVIS *hominem dixerit,* } quasi dicat, Hic non est appellandus homo rationali scilicet discursu praeditus; sed potius irrationale, & brutum animal. ASTRORVM *ordines* } Argumentum ab ordine astrorum. In omni uero ordine tria sunt: caussa efficiens, forma, & finis. Cum igitur ordine regatur mundus, necesse est Deum esse. NVLLO *consilio* } quoniam arcana diuini consilij mens humana non attingit. AN, *cum machinatione* } Ex minori, Parua opera fiunt ratione, Igitur multo magis caelum ordine gubernatur. LICET *enim iam* } Demonstratio ordinis per omnes mundi partes, ex quibus abunde diuina elucet prouidentia. AC *principio terra* } Exponit situs elementorum, ut inde ordinantis ostendatur sapientia. IN *media mundi sede* } in medio caelo. Caelum enim est mundi sedes, atque omnium ambitus. Terrae descriptio a situ, figura, ornatu, usu; & incolarum industria.

NVTI-

NVTIBVS *suis* } proprijs inclinationibus, naturali scilicet pondere. CONGLOBATA } rotundata, compressionibus suis. AT *uero* } transit ad secundum elementum mundi. Maris descriptio a forma, insulis, litoribus, belluarum uarietate, & figura. AD *saxa* } sunt quaedam aquatilia ὀστρακόδερμα, ὄστρεα dicta, id est, dura, & silicea testa intecta, quae adhaerent saxis. TERRAM *appetens* } Aqua cum terra sic coniungitur, ut una sphaera, siue globus ex utrisque factus esse uideatur. CONFLATA } confusa. Metaphora sumpta a flatu, & fornacibus fusorijs. EXIN *mari* } Aeris utilitates, ex quo generantur nubes. DIE, *& nocte* } Alius est diurnus, alius nocturnus, caliginosus, humidus &c. FVSVS } igneo calore rarefactus. IN *sublime* } ad caelum. HVMOREMQ. *colligens* } nimirum subtiliores aquae partes, salsedine prorsus carentes, atque ita fecundandae terrae idoneas. SVSTINET } adiuuans eas concretione sua & crassitie. Plinius agens de motu terrae, dicit: Neque umquam intumescunt terrae, nisi sopito mari, caeloq. adeo tranquillo, ut uolatus auium non pendeant subtracto omni spiritu, qui uehit. SPIRITV *ductus* } spiratione haustus. Quattuor esse elementa constat, inquit Plinius, igneum summo, inde tot stellarum illos collucentium oculos: proximum spiritus, quem Graeci, nostriq. eodem uocabulo aera appellant. Vitalem hunc, ac per cuncta rerum meabilem, atque consertum.

CICERO

RESTAT ultimus, & a domicilijs nostris altissimus, omnia cingens, & coercens caeli complexus, qui idem aether uocatur, extrema ora, & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. e quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam uoluitur eisq. oriens, & occidens, diem, noctemq. conficit; & modo accedens; tum autem recedens, binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum uicissim laetificat, ut cum caelo hilarata uideatur. Luna autem, quae est, ut ostendunt mathematici, maior, quam dimidia pars terrae, ijsdem spatijs uagatur, quibus sol: sed tum congrediens cum sole, tum digrediēs, & eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras, & uarias ipsa mutationes lucis habet: atque etiam tum subiecta, atque opposita soli, radios eius, & lumen obscurat; tum ipsa incidens in umbram terrae, cum est e regione solis, interpositu, interiectuq. terrae repente deficit: ijsdemq. spatijs eae stellae, quas uagas dicimus, circum terram feruntur, eodemq. modo oriuntur, et occidunt. quarum motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistunt. quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina inuenerint. Atque hoc loco me intuens, Vtar, inquit, carminibus Arati, eis, quae a te admodum adolescentulo conuersa, ita me delectant, quia Latina sunt, ut multa ex ijs memoria teneam. ergo, ut oculis assidue uidemus sine ulla mutatione, aut uarietate,

Cetera labuntur celeri caelestia motu,
Cum caeloq. simul noctesq. diesq. feruntur.

quorum contemplatione nullius expleri potest animus, naturae constantiam uidere cupientis.

Extremusq. adeo duplici de cardine uertex.
Dicitur esse polus.

Hunc circum Ἄρκτοι duae uertuntur:
numquam occidentes.

Ex his altera apud Graios Cynosura uocatur,
Altera dicitur esse Helice.

cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus.

Quas nostri septem soliti uocitare Triones.
paribusq. stellis, similiter distinctis, eandem caeli uerticem lustrat parua Cynosura.
Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim a nocte uidetur.
Haec uero parua est: sed nautis usus in hac est:
Nam cursu interiore breui conuertitur orbe.

& quo sit earum stellarum admirabilior aspectus,

Has inter, uelut rapido cum gurgite flumen,
Toruu' Draco serpit subter, supraq. reuoluens
Sese, conficiensq. sinus è corpore flexos.

eius cum totius est praeclara species, tum in primis suspicienda est figura capitis, atque ardor oculorum.

Huic non una modo caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusq. oculis duo feruida lumina flagrant.
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Obstipum caput, & tereti ceruice reflexum
Obtutum in cauda maioris figere dicas.

& reliquum quidem corpus draconis totis noctibus cernimus.

Hoc caput hic paullum sese subitoq. recondit,
Ortus ubi atque obitus partem admiscetur in unam.

id autem caput,

Attingens defessa uelut maerentis imago,
Vertitur. quam quidem Graeci
Engonasin uocitant, genibus quia nixa feratur.
Hic illa eximio posita est fulgore corona,

atque haec quidem a tergo. propter caput autem Anguitenens:

Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graij.
Hic presso duplici palmarum continet Anguem,
Eius & ipse manet religatus corpore toto:
Namque uirum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens grauiter uestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus, pectusq. Nepai.

septemtriones autem sequitur

Arctophylax, uulgo qui dicitur esse Bootes:
Quod quasi temone adiunctam prae se quatit Arctū.

dein quae sequuntur.

Huic autem subter praecordia fixa uidetur
Stella micans radijs Arcturus nomine claro:

cui subiecta fertur,

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

atque ita demetata signa sunt, ut in tantis descriptionibus diuina sollertia appareat.

EXPLANATIO

RESTAT *ultimus* ʒ Caeli, siue aetheris descriptio ab ambitu, & stellarum multitudine, & pulchritudine. CAELI *complexus* ʒ caelestis ambitus. E *quibus sol* ʒ Solis descriptio a magnitudine, & utilitatibus, quae sunt: distinctio diei, & noctis, uicissitudo aestatis, & hiemis tristitia, & laetitia terrae, hoc est animantium, & rerum nascentium. BINAS *in* ʒ Sol bis in annos singulos digreditur, atque recedit ab aequatore semel ad Boream, & semel ad Austrum, & toties ad eundem reuertitur. AB *extremo* ʒ scilicet termino, seu meta, quae est in utroque tropico cancri, & Capricorni. hoc enim est extremum iter solis. CONTRARIAS ʒ quoniam adscendit, & descendit, dum singulis mensibus lustrat signum unum. QVASI *tristitia* ʒ contractione. translatio ab animis, qui tristitia contrahuntur, & diffunduntur laetitia. VICISSIM ʒ ex opposito. LVNA *autem* ʒ lunae descriptio a magnitudine, motu, lucis mutatione, & obscuratione. MATHEMATICI ʒ Arithmetici Geometrae, & Astronomi. IISDEM *spatijs* ʒ eodem signifero circulo duodecim spatijs, siue partibus diuiso, quem totum singulis mensibus lustrat, nunc adscendens, nunc descendens cursu uago. SVBIECTA, *atque* ʒ Luna subiecta, & opposita soli eclypsim solis efficit. TVM ʒ aliquando interdum. INTERPOSITV ʒ Luna incurrente in terrae umbram fit eclypsis Lunae. QVAS *uagas* ʒ Planetarum motus nunc incitatur, id est, celerior est, nūc retardatur, interdum etiam resistunt, id est uidentur tamquam immoti subsistere, & uocantur stationales. SEQVITVR *stellarum* ʒ Descriptio stellarum fixarum. NOTARVM *figurarum* ʒ Nomina stellarum, primo ex notarum figurarum similitudine. Secundo ab artificibus Astronomiae. Tertio ab animantibus, & rebus alijs alludentibus ad naturam, & uim, quam habent stellae in haec inferiora. DVPLICI *cardine* ʒ septemtrionali, & austrino. *ἄρκτοι duae* ʒ ursae duae ἄρκτος Graece, ursus, & ursa Latine. CYNOSVRA ʒ proprie interpretatur cauda canis, & est ursa minor. Draconis caudae implicita. Eadem Phoenix dicta est a Thalete Phoenice, qui primus eam obseruauit. Vnde & reliqui Phoenices ea fidentes diligenter nauigare existimantur. HELICE ʒ maior ursa, ita dicta a uerbo ἑλίσσω, id est, uoluo, & circumflecto. Nam, ut plaustrum circa polum, qui Boreas dicitur, uersari uideatur hoc signum, ut plures dixerunt, numquam occidit. NOSTRI ʒ id est, Latini. TRIONES ʒ id est, boues dici uelint. sunt qui triones, quasi terriones. Terriones, inquit Varro, boues appellantur etiamnum a bubulcis. IN *alto* ʒ in mari. PRIOR *illa* ʒ Helice HAEC ʒ Cynosura. BREVI *orbe* ʒ id est, circulo, qui polo propinquior est. HAS *inter* ʒ Draco iuxta axem tortuoso, & fluxuoso corpore serpere uidetur. VELVT *rapido cum gurgite flumen, &c.* ʒ Virgil. in Georg.

Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis,
Circum perq. duas in morem fluminis arctos,
Arctos Oceani metuentes aequore tingi.

SINVS *flexos* ʒ replicationes. HIC ʒ in eo loco. ENGONASIN ʒ Engonasis a flexo genu Herculis, nomen inuenit, qui dextro genu nixus draconem premit. *ὀφιοῦχον* ʒ ὄφις Graece, Latine Serpens dicitur, & ἔχω habeo, & teneo. Ophiuchus igitur dicitur habens, & tenens serpentem. NEPAI ʒ id est, Nepae. Nepa, inquit Pompeius Afrorum sidus, quod cancer appellatum, uel, ut quidam uolunt, Scorpius. Plautus: Dabo me ad parietem, & imitabor Nepam. ARCTOPHILAX ʒ ursae custos. BOOTES ʒ bubulcus, & arator. TEMONE *adiunctam* ʒ coniugatam ad plaustrum. Temo, inquit Varro, dictus est a tenendo. is enim continet iugum, & plaustrum. SVBTER *praecordia* ʒ subter pectus, & uentrem. ARCTVRVS ʒ Vrsae cauda. Manilius, Arcturumq. rapit medio sub pectore secum. VIRGO ʒ Haec dicitur esse iustitia. Iustitiae autem octonarium dedicant numerum.

CICERO

ET natos Geminos inuises sub caput Arcti.
Subiectus medio est cancer, pedibusq. tenetur.
Magnu' Leo, tremulam quatiens e corpore flammam.
Auriga
Sub laeua Geminorum obductus parte feretur:
Aduersum caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra laeuum humerum claro obtinet.
tum quae sequuntur.
Verum haec est magno, atque illustri praedita signo.
Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem.
cuius sub pedibus
Corniger est ualido connexus corpore Taurus.
eius caput stellis conspersum est frequentibus.
Has Graeci stellas Hiadas uocitare suerunt:
a pluendo: ὕειν enim, est Pluere. nostri imperite Suculas: quasi a suibus essent, nō ab imbribus, nominatae.
minorem autem septemtrionem Cepheus passis palmis a tergo subsequitur.
Namque ipsum ad tergum Cynosurae uertitur Arcti.
hunc antecedit
Obscura specie stellarum Cassiopea.
Hanc autem illustri uersatur corpore propter
Andromeda, aufugiens adspectum maesta parentis.
Huic Equus ille, iubam quatiens fulgore micanti,
Summum contingit caput aluo: stellaq. iungens
Vna, tenet duplices communi lumine formas,
Aeternum ex astris cupiens connectere nodum.
Exin contortis Aries cum cornibus haeret.
quem propter
Pisces, quorum alter paullum praelabitur ante,
Et magis horriferis aquilonis tangitur alis.
Ad pedes Andromedae Perseus describitur.
Quem summa ab regione aquilonis flamina pulsant.
cuius propter laeuum genu
Vergilias tenui cum luce uidebis.

Inde Fides leniter posita, & connexa uidetur.
Inde est ales auis lato sub tegmine caeli:
e capiti autem Equi proximat Aquarij dextra, totusq.
deinceps Aquarius.
Tum gelidum ualido de pectore frigus anhelans,
Corpore semifero magno Capricornus in orbe.
Quem cum perpetuo uestiuit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum.
hinc autem adspicitur,
Vt sese emergens ostendat Scorpius alte,
Posteriore trahens flexum ui corporis arcum.
Quem propter nitens pennis conuoluitur ales.
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
deinde Delphinus.
Exinde Orion obliquo corpore nitens.
quem subsequens
Feruidus ille Canis stellarum luce refulget.
Post Lepus subsequitur;
Curriculum numquam defesso corpore sedans.
At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo.
Hanc Aries tegit, & squamoso corpore Pisces,
Fluminis illustri tangentem corpore ripas. quam longe serpentem & manantem
Adspicies, proceraq. uincla uidebis,
Quae retinent Pisces caudarum a parte locata.
Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus austri.
propter quae Centaurus
Cedit Equi partis properans submergere Chelis,
Hinc dextram porgẽs, quadrupes qua uasta tenetur,
Tendit, & illustrem truculentus caedit ad aram.
Hic sese infernis e partibus erigit Hydra:
cuius longe corpus est fusum:
In medioq. sinu fulgens cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Coruus
Rostro tundit: & hic Geminis est ille sub ipsis
Ante Canem, graio Procyon qui nomine fertur.

EXPLANATIO

SVB *caput Arcti*] uidelicet Cynosurae, siue Vrsulae. AVRIGA] Heniochus a Graecis dicitur. OBDV-
CTVS] opertus, quoniam pedes serpentini non apparent in curru latentes propter deformitatem. CON-
NEXVS] compactus. IMPERITE] indocte. MINOREM] Cynosuram. CEPHEVS] Phonicis filius fuit.
Cicero in ultima Tusc. Nec uero Atlas sustinere caelũ, nec Prometheus affixus caucaso, nec stellatus Cepheus
cum uxore, genero, filiaq. traderetur, nisi caelestium diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae tradu
xisset. ANDROMEDA] Cephei filia, quae Perseum secuta est, & Palladis beneficio astris adnumerata. PA-
RENTIS] id est, Cassiopeae. EQVVS *ille*] Pegasus alatus. ALVO] umbilico. Hyginus agens de Pegaso, dicit:
In umbilico nouissimam habet stellam, quae Andromeda uocatur, sed maxime lucet; quae capiti proxima ap-
paret. IVNGENS] connectens alas Pegasi posita in iunctura utriusque naturae, alitis scilicet, & quadrupedis.
VNA *tenet duplices*] Stella supra caput Andromedae sic connectere illam cum pegaso uidetur, quasi unum
simulacrum. VERGILIAS] ita dictae sunt septem stellae in tauri tergo, quoniam earum ortus ortum denunciat.
Graece Pleiades a nauigando, quoniam earum ortu primum sit tuta nauigatio. πλέω autem Graece, nauigo
Latine. TVM *gelidum*] Capricornus frigore geluque terram claudit, ut otiosa quasi uires colligat. SEMIFE-
RO] nam prior pars est hirci, posterior piscis. VESTIVIT *lumine*] cum sol est in capricorno, bruma est. FER-
VIDVS *ille canis*] Sirius stella in ore canis maioris urendi, & siccandi uim habet. [illegible] enim est urere. PRO-
CERAQ. *uincla*] A cauda piscis forma uinculorum instar exit. ANTE *Canem,*] Ita Cicero Procyonem inter
pretatus est. Canicula a quibusdam dicitur, hoc est minor canis.

C I C E R O

HAEC omnis descriptio siderũ, atque hic tantus caeli ornatus, ex corporibus huc, & illuc, casu, & temere concursantibus potuisse effici, cuiquam sano uideri potest? aut uero alia quae natura, mentis, & rationis expers, haec efficere potuit, quae non modo ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi, qualia sint, sine summa ratione non possunt? Nec uero haec solum admirabilia, sed nihil maius, quam quod ita stabilis est mundus, atque ita cohaeret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. omnes enim partes eius undique medium locum capessentes, nituntur aequabiliter: maxime corpora autem inter se iuncta permanẽt, cum quodam quasi uinculo circumdata colligantur: quod facit ea natura, quae per omnem mundum omnia mente, & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuertit extrema. Quocirca, si mundus globosus est; ob eamq. caussam omnes eius partes, undique aequales, ipsae per se, atque inter se continẽtur: contingere idẽ terrae necesse est; ut, omnibus eius partibus in medium uergentibus, (id autem medium infimũ in sphaera est) nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio grauitatis, et ponderum. Eademq. ratione mare, cum supra terram sit, medium tamen terrae locum expetens, conglobatur undique aequaliter. neque redundat umquam, neque effunditur. Hic autem continens aer fertur, ille quidem leuitate sublimi, sed tamen in oẽs partes se ipse fundit. itaque & mari continuatus, & iunctus est, & natura fertur ad caelum, cuius tenuitate, & calore temperatus, uitalem, & salutarem spiritum praebet animantibus. Quem complexa summa pars caeli, quae aether dicitur, & suum retinet ardorem tenuem, & nulla admistione concretum, & cum aeris extremitate coniungitur. In aethere autem astra uoluuntur: quae se & nixu suo conglobata continent, & forma ipsa, figuraq. sua momenta sustentant. sunt enim rotunda: quibus formis, ut ante dixiße uideor, minime noceri potest. sunt autem stellae natura flammeae: quocirca terrae, maris, aquarũ, uaporibus aluntur ijs, qui a so-

le ex

le ex agris tepefactis, & ex aquis excitatur: quibus altae, renouataeq. stellae, atque omnis aether, refundunt eadem, & rursum trahunt in idem, nihil ut fere intereat, aut admodum paullulum, quod astrorũ ignis, & aetheris flamma consumat. ex quo euenturum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebatur, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore consumpto neque terra ali posset, neque remearet aer, cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil, praeter ignem: a quo rursum animante, ac deo renouatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur.

EXPLANATIO

HAEC *omnis* } Epiphonematica conclusio euincens sidera a deo & condita esse, & ab eodem constantissime regi. NEC *uero* } Amplificatio à stabilitate mundi. COHAERET } continuatam partium cohaerentiam, siue coniunctionem habet. AD *permanendum* } ad perseuerandum. APTIUS } conuenientius. MEDIUM *locum* } hoc est, terram. NITUNTUR } cohaerent. est enim natura omnium nixus, omnium nexus, omnium uinculum, omnium gluten. CORPORA } partes mundi. AD *medium* } ad se ipsam, quae facta est medium, siue centrum caeli. RAPIT, *& conuertit* } magna sua ui. est enim natura ueluti magnes, omnes suas partes ad se trahens. EXTREMA } partes suas, quarum est centrum. Porro ipsa natura uidetur comparanda non tam optimo magneti, & excellentissimo glutino, quam etiam hydrargiro analogia quadam: cum enim hydrargirum ita omnibus metallis inesse dicatur, ueluti omnium materia prima, tametsi omnia specie differant inter se; pari ratione Stoici uniuersam naturam arbitrantur omnibus suis partibus inesse ueluti animam. QUOCIRCA *si mundus* } Contiguitas corporum, siue partium mundi. INTERRUMPAT } interiectu suo impediat. CONTENTIO } nixus, conatus. SUPRA *terram sit*, } Mare quidam putarunt terram mediam ita circumdare, ut imae, supremaeq. partes promineant, sed terram cum aqua mutuo complexu coniunctam unum globum efficere notius est, & uerius. LOCUM *expetens* } id est, terram ambiens, & interlabens. CUIUS *tenuitate* } Visus aeris, uidelicet praebere spiritum salutarem animantibus. NIXU *suo* } naturali sua proprietate. SUA *momenta sustentant* } suos motus continuant. AQUARUM *uaporibus* } Vaporis natura est humida, & calida, quemadmodum exhalationis calida & sicca. Arist. I. Meteo. REMEARET } in aquã conuerti. Ex aqua aerem oriri putant Stoici. exhausta itaque aqua oriri non potest, nec in aquã iterum conuerti. ORTUS } renouatio. AQUA *omni* } tam maris, quam fluminum. RELINQUI } superesse in ambitu mundi. NIHIL } nullum elementorum. A *quo animante* } a quo igne, una cum anima. Ac *deo* } ac proinde deo, qui una cum anima operatur, quae quidem anima deus est, uti sentiunt Stoici.

CICERO

NOLO in stellarũ rõne multus uobis uideri, maximeq. earum, quae errare dicuntur: quarum tantus est concentus ex dissimillimis motibus, ut, cũ summa Saturni refrigeret, media Martis incendat, his interiecta Iouis illustret, & temperet, infraq. Martem duae Soli oboediant, ipse Sol mundum omnem sua luce cõpleat, ab eoq. Luna illuminata grauiditates, & partus afferat, maturitatesq. gignendi. quae copulatio rerum, et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturae quem non mouet, hũc horum nihil umquam reputauisse certo scio. Age, ut a caelestibus rebus ad terrestres ueniamus, quid est in his, in quo non naturae ratio intelligentis appareat? Principio, eorum, quae gignuntur e terra, stirpes, & stabilitatem dant iis, quae sustinent; & ex terra succum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur; obducunturq. libro, aut cortice trũci, quo sint a frigoribus, & a caloribus tutiores. Iam uero uites sic claiculis adminicula, tamquam manibus, apprehendunt, atque ita se erigunt, ut animantes. quin etiam a caulibus, brassicisque, si prope sati sint, ut a pestiferis, & nocentibus, refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. Animantium uero quanta uarietas est? quanta ad eam rem uis, ut in suo quoque genere permaneant? quarum aliae coriis tectae sunt, aliae uillis uestitae, aliae spinis hirsutae: pluma alias, alias squamis uidemus obductas; alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus large, & copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparauit. enumerare possum, ad eum pastum capessendum, conficiendumq. quae sit in figuris animantium, & quam sollers, subtilisq. descriptio partium, quamq. admirabilis fabrica membrorum. omnia enim, quae quidem intus inclusa sunt, ita nata, atque ita locata sunt, ut nihil eorum superuacaneum sit, nihil ad uitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura belluis & sensum, & appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Iam uero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia uolando, alia nando; cibumq. partim oris hiatu, & dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. alia sugunt, alia carpunt, alia uorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant: quae autẽ altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli, adiuuantur proceritate collorum. manus etiam data elephantis, quia, propter magnitudinem corporis, difficiles aditus habebant ad pastum. At quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis uescerentur; aut uires natura dedit, aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quaedam, atque sollertia; ut in araneolis, aliae quasi rete texunt, ut, si quid inhaeserit, conficiant; aliae autem ut ex inopinato obseruant; &, si quid incidit, arripiunt, idq. consumunt. Pinna uero, (sic enim Grae-

ce dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua squilla quasi facietatem coit comparandi cibi. itaque, cum pisciculi parui in concham biantem innatauerint, tum admonita a squilla pinna morsu comprimit conchas. sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur. in quo admirandum est, congressune aliquo inter se, an iam inde ab ortu naturae ipsae congregatae sint.

EXPLANATIO

CONCENTVS } consonantia. VT *cum summa* } Planetarum uires, & effectiones consentientes, & conuenientes rebus nascentibus. DVAE *oboediant* } Venus, & Mercurius Soli ita assistũt, ut modo ad eum accedant tamquam mandata accepturi, aut ministraturi recedant tamquam uiae pericula exploraturi. Sicq. omni tempore regi suum obsequium praestant in politia caelesti. AGE *ut a caelestibus* } Transitio a caelestibus ad terrestria. INTELLIGENTIS } prouidentis. GIGNVNTVR *e terra* } res terra nascentes. IAM *uero uites* } Vitis natura admirabilis, & pertinax odium inter ipsam & brassicam. CLAVICVLIS } capreolis. ADMINICVLA } sustentamenta. A *caulibus, brassicisque,* } Brassicae nomen Caules complectitur adeo uidetur legendum A Lauris, ex Plinio lib. XVII. cap. 24. Haec Paullus pater. Vel a specie ad genus Cicero transijt: ut uitibus non modo caulos, uerum & brassicas odio esse demonstraret. ANIMANTIVM } Genera animantium uaria, item pastus, & membrorum, partiumq. conformatio. OMNIA *enim quae* } Notanda in animantium descriptione. Primo ordo partium, & fabricatio admirabilis. Secundo situs, siue collocatio. Tertio officium, siue usus. Quarto sensus, & appetitus. IAM *uero alia* } Modi uarij pastionis animantium. MANVS } id est, proboscis, qua tamquam manu res apprehendit, & attrahit. PINNA } Genus conchae marinae. SQVILLA } pisciculi genus.

CICERO

EST etiam admiratio nonnulla in bestijs aquatilibus ijs, quae gignuntur in terra; ueluti crocodili, fluuiatilesq. testudines, quaedamq. serpentes ortae extra aquam, simul ac primum niti possunt, aquã persequuntur. Quin etiam anatum oua gallinis saepe supponimus: ex quibus pulli orti primum aluntur ab ijs, ut a matribus; deinde eas relinquunt, a quibus exclusi, fotiq. sunt, & effugiunt, cum primum aquam, quasi naturalem domum, uidere potuerunt. tantam ingenuit animantibus conseruandi sui natura custodiam. Legi etiam scriptum, esse auem quandam, quae Platalea nominetur, eam sibi cibum quaerere aduolãsẽ ad eas aues, quae se in mari mergerẽt: quae cum emersissent, piscemq. cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dũ illae captum amitterent: id quod ipsa inuaderet. eademq. haec auis scribitur conchis se solere complere, easq., cum stomachi calore concoxerit, euomere, atque ita eligere ex ijs, quae sunt esculenta. Ranae autem marinae dicuntur obruere sese arena solere, & moueri prope aquã; ad quas, quasi ad escam, pisces cum accesserint, confici a ranis, atque consumi. Miluo est quoddam bellũ naturale cum coruo: ergo alter alterius, ubicumque nactus est, oua frangit. Illud uero ab Aristotele animaduersum, a quo pleraque, quis potest non mirari? grues, cum, loca calidiora petentes, maria transmittunt, trianguli formam efficere. eius autem summo angulo aer ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab utroque latere, tamquam remis, ita pennis cursus auium leuatur. basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tamquam a puppi uẽtis adiuuatur; haeq. in terga praeuolantium colla, & capita reponunt. quod quia ipse dux facere non põt; quia nõ habet, ubi nitatur; reuolat, ut ipse quoque quiescat. in eius locum succedit ex ijs, quae acquieuerunt: eaq. uicissitudo in omni cursu conseruatur. Multa eiusmodi proferre possum: sed genus ipsum uidetis. Iam uero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitescant. atque illa mirabilia. quid ea, quae nuper, id est paucis ante saeculis, medicorum ingenijs reperta sunt? uomitione canis purgare aluos ibes Aegyptiae curant. auditum est, pantheras, quae in barbaria uenenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo cum essent usae, non morerentur: capras autem in Creta feras, cum essent confixae uenenatis sagittis, herbam quaerere, quae Dictamus uocaretur: quam cum gustauissent, sagittas excidere dicunt e corpore. ceruaeq. paullo ante partum perpurgant se quadam herbula, quae Seselis dicitur. Iam illa cernimus, ut contra metum, & uim suis se armis quaeque defendat. cornibus tauri; apri dentibus; morsu leones, aliae fuga se, aliae occultatione tutantur: atramenti effusione sepiae, torpore torpedines. multae etiam insectantes odoris intolerabili foeditate depellunt. Ut uero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a prouidentia deorum, ut semper essent & bestiarum genera, & arborum, omniumq. rerum, quae altae aut radicibus a terra, aut stirpibus continerentur. quae quidem omnia eam uim seminis habent in se, ut ex uno plura generentur: idq. semen inclusum est in intima parte earum bacarum, quae ex quaque stirpe funduntur: ijsdemq. seminibus & homines affatim uescuntur, & terrae eiusdem generis stirpium renouatione complentur.

EXPLANATIO

SIMVL *ac niti* } quamprimum congredi. AQVAM *persequuntur* } in aquam descendunt. GRVES } Gruum historia. Primo profectio ad loca calida. Secundo industria in uolatu, in quo λάμβδα Graecum expri-

exprimunt. Tertio praeuolantium uicissitudo. LOCA *calidiora,* ʒ ut Aegyptum, & adiacentes regiones, in quibus hiemant. MULTA *eiusmodi* ʒ Praecisio. QUID *ea, quae* ʒ Medicamenta ab animalibus eepeita. VOMITIONE *canis purgare aluos ibes Aegyptiae curant.* ʒ Varie legitur in libris scriptis: nam pro, Purgare, &, Purgante, &, Purgantes, &, Purgant, reperitur; & pro, Canis, Canes: ut fortasse ita corrigendum sit, mutatione non insigni: Vomitione canes purgantur: aluo se ibes Aegyptiae curant. cuius rei historiam ex Plinio, & Plutarcho licet cognoscere. Haec Paullus pater. IAM *illa cernimus* ʒ Arma animantium naturalia. TORPORE ʒ stupore. Nouit torpedo uim suam, inquit Plinius, ipsa non torpens, mersaq. in limo se occultat, pisces, qui securi natantes obtorpuere, corripiens. VT *uero perpetuus* ʒ Propagatio specierum.

CICERO

QUID loquar, quanta ratio in bestijs ad perpetuā conseruationē earum generis appareat? nam, primū, aliae mares, aliae feminae sunt: quod pperpetuitatis caussa machinata natura est: deinde partes corporis & ad procreandum, & ad concipiendum aptissimae, & in mari, & in femina commiscendorum corporum mirae libidines. cum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese, eoq. saeptum fingit animal: quod cum ex utero elapsum excidit, in ijs animantibus, quae lacte aluntur, omnis fera cibus natū lactescere incipit; eaque, quae paullo ante nata sūt, sine magistro, duce natura mammas appetūt, earumq. ubertate saturantur. Atque, ut intelligamus nihil horum esse fortuitum, & haec omnia esse prouidae, sollertisq. naturae: quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes; his mammarum data est multitudo, quas easdem paucas habent eae bestiae, quae pauca gignunt. Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis, custodiendisq. ijs, quae procreauerint, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere? etsi pisces, ut aiunt, oua cum genuerunt, relinquunt. facile enim illa aqua & sustinentur, & fetum fundunt. testudines autem, & crocodilos dicunt, cum in terra partum ediderint, obruere oua, deinde discedere. ita & nascuntur, & educantur ipsa per sese. Iam gallinae, auesq. reliquae & quietum requirunt ad pariē dam locum; & cubilia sibi, nidosq. construunt; eosq. quam possunt mollissime substernunt, ut quam facillime oua seruentur. ex quibus pullos cum excluserint, ita tuentur, ut & pennis foueant, ne frigore laedantur; &, si est calor, a sole se opponant. cum autem pulli pinnulis uti possunt; tum uolatus eorum matres prosequuntur, reliqua cura liberantur. Accedit etiā ad nonnullorum animantium, & earum rerum, quas terra gignit, conseruationem, & salutem, hominum etiam sollertia, & diligentia. nam multae et pecudes, et stirpes sunt, quae sine procuratione hominū saluae esse non possunt. magnae etiā opportunitates ad cultum hominum, atque abundantiam aliae alijs in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat; &, cum tota aestate obrutam, oppletamq. tenuit, tum recedit, mollitosque, & oblimatos agros ad serendū relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Eufrates: in quam quotannis quasi nouos agros inuehit. Indus uero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat, & mitigat, sed eos etiam conserit, magnam enim uim seminum secum frumenti, & similium dicitur deportare. Multaq. alia in alijs locis commemorabilia proferre possum, multos fertiles agros alios aliorum fructuum. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tam multa ad uescēdum, tam uaria, tamq. iucunda gignit? neque ea uno tempore anni: ut semper & nouitate delectemur, & copia. Quam tempestiuos autem dedit, quam salutares non modo hominum, sed etiā pecudum generi, ijs denique oībus, quae oriuntur e terra, uētos etesias? quorū flatu nimij temperātur calores: ab ijsdem etiam maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Multa praetereunda sunt; & tamen multa dicuntur, enumerari enim non possunt fluminū opportunitates, aestus maritimi, multum accedentes, & recedentes, montes uestiti, atque siluestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum salutarium plenissimae terrae, artes denique innumerabiles ad uictū, & ad uitam necessariae. iam diei noctisq. uicissitudo conseruat animātes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur, menet, consilioq. diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conseruationemq. admirabiliter administrari.

EXPLANATIO

CUM *autem* ʒ Modus generationis, & nutritionis animalium. IN *locis* ʒ In uterinis cellulis. Aristoteles in historia animalium, pars uuluae, inquit, interior, loci, & uterus. unde fratres uterinos appellamus, osbum uero matrix dicitur. QUID *dicam, quantus* ʒ Amor erga sobolem. ETSI *pisces* ʒ Exempla desertionis sobolis, in piscibus, testudine, & Crocodilo. IAM *gallinae* ʒ cura animantium, & partu, & nutritione sobolis suae. STIRPES ʒ ueluti sunt uites, quae annuam putationem requirunt, & curam agricolarum. MAGNAE *etiam* ʒ Fecunditas singularis, & miranda ex fluminum irrigatione. MESOPOTAMIA ʒ ita dicta, quod media sit inter duo flumina, Euphratem scilicet, & Tigrim. SED *illa quanta* ʒ Elementorum uarietas atque copia. TEMPESTIVOS ʒ opportunos, commodos, necessarios. VENTOS *etesias?* ʒ. Hi sunt annui, & stati, ab ἔτος, quod annum significat, ab Aquilone spirantes exoriente canicula; & leni suo flatu mirifice ardorem aestatis mitigantes. MULTA *praetereunda sunt* ʒ Praeteritio. SIC *undique* ʒ Epilogus tertiae partis de diuina cura, & gubernatione mundi.

CICERO

SIN quaeret quispiam, cuiusnam caussa tantarum rerum molitio facta sit, arborum ne, & herbarum, quae quamquam sine sensu sunt, tamen a natura sustinentur? at id quidem absurdum est. an bestiarum? nihilo probabilius, deos mutarum, & nihil intelligentium caussa tantum laborasse. quorum igitur caussa quis dixerit effectum esse mundum? eorum scilicet animantium, quae ratione utuntur. hi sunt dij, & homines: quibus profecto nihil est melius. ratio est enim, quae praestat omnibus. itaque fit credibile, deorum, & hominum caussa factum esse mundum, quaeq. in eo sint omnia. faciliusq. intelligetur, a dijs immortalibus hominibus esse prouisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisq. humanae naturae figura, atque perfectio. Nam, cum tribus rebus animantium uita teneatur, cibo, potione, spiritu; ad haec omnia percipienda os est aptissimum; quod, adiunctis naribus, spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur, & mollitur cibus. eorum aduersi acuti morsu diuidunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini uocantur: quae confectio etiam a lingua adiuuari uidetur. Linguam autem ad radices eius haerens excipit stomachus: quo primum illabuntur ea, quae accepta sunt ore. is utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo, atque intimo terminatur. atque is agitatione, & motibus linguae cum depulsum, & quasi detrusum cibum accepit, depellit. ipsius autem partes eae, quae sunt infra id, quod deuoratur, dilatantur; quae autem supra, contrahuntur. Sed, cum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat adiunctum linguae radicibus, paullo supra, quam ad linguam stomachus annectitur; eaq. ad pulmones usque pertineat; excipiatq. animam eam, quae ducta sit spiritu, eandemq. a pulmonibus respiret, & reddat: tegitur quasi quodã operculo. quod ab eam caussam datum est, ne, si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed, cum alui natura, subiecta stomacho, cibi, & potionis sit receptaculũ; pulmones autem, & cor extrinsecus spiritum adducant: in aluo multa sunt mirabiliter effecta: quae constant fere e neruis. est autem multiplex, & tortuosa, arcetque, & continet siue illud aridum est, siue humidum, quod recipit, ut id mutari, & concoqui facile possit: eaq. tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accepit, cogit, & confundit: ut facile & calore, quem multum habet, & terendo cibo, & praeterea spiritu omnia cocta, atque confecta in reliquum corpus diuidantur. In pulmonibus autem inest raritas quaedã, & assimilis spongijs mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahũt adspirantes, tum spiritu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes. Ex intestinis autem, et aluo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad iecur per quasdam in medio intestino usque ad portas iecoris (sic enim appellant) ductas, & directas uias, quae pertinent ad iecur, eiq. adhaerent. atque inde aliae pertinentes sunt, per quas cadit cibus a iecore dilapsus. ab eo cibo cum est secreta bilis: ijq. humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem uertunt, ad easdemq. portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius uiae pertinent: per quas lapsus cibus ex hoc ipso loco in eam uenam, quae caua appellatur, confunditur, perq. eã ad cor confectus iam, coctusq. perlabitur: a corde autem in totum corpus distribuitur per uenas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes.

EXPLANATIO

SIN *quaeret quispiam* } Quartae quaestionis explicatio de caussa finali administrationis mundi, quae est salus hominis. NIHILO *probabilius* } aeque absonum est, inquit, mundum esse effectum bestiarum caussa. RATIO *est enim* } Confirmatio, Deus omnia condidit propter naturam praestantissimam. Nulla natura est praestantior homine. Igitur nullius caussa nisi hominis omnia Deus condidit & seruat. NAM, *cum tribus* } Anatome seu descriptio partium hominis, quas tripliciter diuidit, ut aliae cibo inseruiant, aliae potioni, quaedam etiam spiritui, quamquam nonnullae ex his communiter omnibus famulantur, ut os &c. SPIRITU } aere. ADIUNCTIS *naribus* } foraminibus narium. SPIRITU *augetur* } aere ingrediente impletur. MOLLITUR *cibus.* } Satis aptus elicitur sensus; mihi tamen magis placeret, Molitur; a uerbo, Molo molis, unde Molares dentes. atq. etiam in hoc uerbo Maffei liber, l, consonantem non geminat. Haec Paullus pater. *Molitur:* teritur, ut mola triticum. ACUTI } priores quattuor ob id incisorij, & diuisores dicti. CONFICIUNT } commiscent. GENUINI } quoniam a genis dependent, dicuntur & maxillares. STOMACHUS } Est angustus canalis a uoce *στόμα*, os, & *ἄγχος*, angustia, deuehens cibum in uentriculum. STOMACHUS } Stomachus, inquit Celsus, qui intestinorũ principiũ est cũ uentriculo cõmittitur: uentriculus aũt receptaculum cibi est. TONSILLAS } sunt tonsillae in homine, quae in suibus glandulae. IPSIUS } scilicet stomachi. ASPERA *arteria* } ita dicitur semita spiritus, quae carne constat, & cartilagine uulgo canna pulmonis. PAULLO *supra* } quoniam arteria est ante stomachum. QUAE *ducta sit spiritu* } quae anima hausta sit spiratione, siue attracta sit cum ipso aere, cum quo spirabilis est. TEGITUR *quasi quodam operculo* } Arteria, inquit, philosophus cibo infestatur: attamen natura molita est ad hoc mutorem linguam, quae arteriam operiret. SED *cum alui* } Alus, siue uentriculi descriptio a situ, officio, & usu: nam recipit cibum, & potum, eumq. concoquit, & alterat. EST *multiplex* } multas habet plicas. IN *pulmonibus autem* } Pulmonis descriptio, a substantia, & officio. ADSPIRANTES } spiritum emittentes. cũ enim se constringunt pulmones, spiritum exprimunt more follium. DUCATUR } hauriatur. Ex *intestinis* } Ex uentriculo cibus

mittitur

mittitur in intestina, ubi fit secretio, & id quidem quod purius, & liquidius est a medio intestino, quod mesenterion uocant per uenam portam in epar inuehitur, lutulentum uero ad inferiora pellitur. MEDIO } quod est inter aluum, & imas partes. ATQVE *inde aliae* } scilicet uiae, uel uenae, quae uehunt cibum. RELIQVA *se* } Quarta pars in sanguinem mutatur. DISTRIBVITVR } sunt enim uenae, ceu riui, per quos sanguis de corde, quasi aqua de fonte, uenit in omnes partes corporis.

CICERO

QVEMADMODVM autem reliquiae cibi depellantur, tum adstringentib. se intestinis, tum relaxantibus, haud sane difficile dictu est, sed tamen praetereundum est, ne quid habeat iniucunditatis oratio. illa potius explicetur incredibilis fabrica naturae. Nã quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab ipso spiritu, deinde coagitatione pulmonum: ex eaq. pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam uentriculum cordis appellant: cui similis alter adiunctus est, in quem sanguis a iecore per uenam illam cauam influit, eoq. modo ex his partibus, & sanguis per uenas in omne corpus diffunditur, & spiritus per arterias. utraeque autem crebrae, multaeq. toto corpore intextae uim quandam incredibilem artificiosi operis, diuiniq. testantur. Quid dicam de ossibus? quae subiecta corpori mirabiles commissuras habent, & ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem. Huc adde neruos, a quibus artus continentur; eorumq. implicationem toto corpore pertinentem: qui, sicut uenae, & arteriae a corde tractae, & profectae, in corpus omne ducuntur. Ad hanc prouidentiam naturae tam diligentem, tamq. sollertem adiungi multa possunt, e quib. intelligatur, quantae res hominibus a deo, quamq. eximiae tributae sint: qui primum eos, humo excitatos, celsos, & erectos cõstituit, ut deorũ cognitionem, caelum intuentes, capere possent. sunt enim e terra homines, non ut incolae, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque caelestiũ: quarũ spectaculum ad nullum aliud genus animantiũ pertinet. Sensus autẽ, interpretes ac nuncij rerũ, in capite, tamquã in arce, mirifice ad usus necessarios & facti, & collocati sunt. nam oculi, tamquam speculatores, altissimum locum obtinent; ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. Et aures, cum sonum recipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemq. nares, eo quod omnis odor ad superiora fertur, recte sursum sunt; & quod cibi, & potionis iudicium magnum earum est, non sine caussa uicinitatem oris secutae sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus uescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, quã esculentis, & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesq. nimios & frigoris, & caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in aedificijs architecti auertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quae profluẽtia necessario taetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandauit a sensibus. Quis uero opifex, praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam sollertiam persequi potuisset in sensibus? quae primum oculos membranis tenuissimis uestiuit, & saepsit: quas primũ perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur. sed lubricos oculos fecit, & mobiles; ut & declinarent, si quid noceret; & adspectum, quo uellent, facile conuerterent. aciesq. ipsa, qua cernimus, quae pupilla uocatur, ita parua est, ut ea, quae nocere possint, facile uitet. palpebraeq. quae sunt tegumenta oculorum, mollissimae tactu, ne laederent aciem, aptissime factae, & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas: idq. prouidit ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. munitaeq. sunt palpebrae tamquam uallo pilorum: quibus &, apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, & somno conniuentibus; cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tamquam inuoluti quiescerent. Latent praeterea utiliter, & excelsis undique partibus saepiuntur. primum enim superiora superciliys obducta sudorem, a capite, & fronte defluentem, repellunt. genae deinde ab inferiore parte tutantur subiectae, leniterq. eminentes.

EXPLANATIO

NAM, *qui spiritu* } Pulmo inspirat aerem, eumq. praeparatum ad cor transmittit ad calorem eius mitigandum, simulq. fumosum aerem emittit, ne cor suffocetur. COAGITATIONE *pulmonum* } hi quasi binae alae continue circa cor, ubi uitalis calor inest, coagitãtur, sua dilatatione attrahendo, & constrictione exprimendo ipsum aerem. VENTRICVLVM *cordis* } scilicet sinistrum, cuius officium est, excipere aerem ex pulmone allatum. ALTER } scilicet dexter. QVI } nerui. QVAE *primum* } figura hominis ad agnoscendum deum, & res superas accommodata. INTVENTES } Rerum optimarum, inquit Plato, cognitionem nobis oculi attulerunt. nam haec, quae de mundo disputantur, numquam inuenta essent, si neque sidera, neque sol, neque caelum suspici potuissent. cognitio uero diei, ac noctis ab oculis orta, effecit, ut dinumeratione quadam mensium, annorumq. ambitus metiremur, tempus cognosceremus, uniuersae naturae ordinem scrutaremur: quib. rebus philosophiam adepti sumus, quo bono nihil umquam maius mortalium generi datum est deorum munere, neque dabitur. Asserendum est ob hanc potissimum rationem, deum oculos genuisse, ut mentis circuitus, qui in caelo peraguntur intuiti, in usum redigamus nostrae mentis, cogitationesq. nostras ad illorum temperãtiam reuocemus. CIBI, *& potionis* } quoniam odores habent, quorum nares interpretes sunt. ATQVE, *ut in aedificiys* } Simile, quo dei sollertia in opificio corporis humani declaratur. PRIMVM *oculos* } Descriptio oculorum.

lorum. ACIES } ita dicitur cuiusq. rei acumen. unde Acies oculi, Acies ingenij. SOMNO *conniuentibus*, } oculis.

CICERO

NASVS ita locatus est, ut, quasi murus, oculis interiectus esse uideatur. Auditus autem semper patet. eius enim sensu etiam dormientes egemus. a quo cum sonus est acceptus, etiam e somno excitamur. flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, & directum pateret. prouisum etiam, ut, si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordib. aurium, tamquam in uisco, inhaeresceret. Extra autem eminent, quae appellantur aures, & tegēdi caussa factae, tutandiq. sensus; & ne adiectae uoces laberentur, atque errarent, prius quam sensus ab his pulsus esset. sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multisq. cum flexibus; quod his naturis relatus amplificatur sonus. quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu; & ex tortuosis locis, & inclusis refsruntur ampliores. Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit peruadere: humoremq. semper habent ad puluerem, multaq. alia repellenda non inutilem. Gustatus praeclare saeptus est: ore enim continetur, & ad usum apte, & ad incolumitatis custodiam. omnisq. sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. Primum enim oculi in ijs artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis, caelatisq. formis, in corporum etiam motione, atque gestu multa cernunt subtilius: colorum etiam, & figurarum uenustatem, atque ordinem, &, ut ita dicam, decentiam oculi indicant. atque etiam alia maiora. nam & uirtutes, & uitia cognoscunt; iratum, propitium; laetantem, dolentem; fortem, ignauum; audacem, timidumq. cognoscunt. Aurium item est admirabile quoddam, artificiosumq. iudicium, quo indicatur & in uocis, & in tibiarum, neruorumq. cantibus uarietas sonorum, interualla, distinctio, & uocis genera permulta, canorum, fuscum, leue, asperum, graue, acutum, flexibile, durum, quae hominum solum auribus indicantur: Nariumq. item, & gustandi pariter, & tangendi magna indicia sunt. Ad quos sensus capiendos, & perfruendos plures etiam, quā uellem, artes repertae sunt. perspicuum est enim, quo compositionem unguentorum, quo ciborum condiciones, quo corporum lenocinia processerint. Iam uero animum ipsum, mentemq. hominis, rationem consilium, prudentiam, qui non diuina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi uidetur carere. de quo dum disputarem, tuam mihi dari uellim, Cotta, eloquentiam. quo enim tu illa modo diceres? quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio, & comprehensio esset in nobis: ex quo uidelicet, quid ex quibusq. rebus efficiatur, idq. ratione, concludimus: singulasque res definimus, circumscripteq. complectimur: ex quo, scientia, intelligitur, quam uim habeat, qualis sit: qua ne in deo quidem est res ulla praestantior. Quanta uero illa sunt, quae uos Academici infirmatis, & tollitis; quod & sensibus, & animo ea, quae extra sunt, percipimus, atque comprehendimus. ex quibus collatis inter se, & comparatis artes quoque efficimus, partim ad usum uitae, partim ad oblectationem necessarias.

EXPLANATIO

AVDITVS *autem* } Descriptio auditus, primo a continuo usu, secundo a caussa adiuuante, hoc est a partib. quae praeparant auditum, ut sunt amfractus, & aures. CORNEOLOS } tortuosos, instar cornuum, ut resonantia fiat. NATVRIS } qualitatibus naturalibus. uidelicet duritie, & tortuositate cornea. IN *fidibus* } exemplum fidium in testudine resonantium. OMNISQ. *sensus hominum* } Amplificatio per collationem sensuum in hominibus, ac bestijs. OMNISQ. *sensus hominum* } & communis sensus, qui est in homine, & reflectit cognitionem suam super sensus, adeo ut homo sentiat se sentire. VENVSTATEM } elegantem membrorum cōpositionem. COGNOSCVNT } ex signis harum affectionum, in facie, uultuq. apparentibus. DISTINCTIO, } ordinata collocatio. VNGVENTORVM, } quorum uarietate nares oblectantur. Vnguenta, inquit Plinius, illico exspirant, ac suis moriuntur horis, Summa commendatio eorum, ut transeuntem feminam odor inuitet, etiam aliud agentem, Terrarum omnium Aegyptus accomodatissima unguentis, ab ea Campania est proxima copia rosae. LENOCINIA } expolitiones. IAM *uero animum* } Mentis actiones admirandae, ut intelligentia, siue simplicium cognitio, numeratio, compositio, & diuisio, ratiocinatio, definitio, iudicium, scientia. HIS *ipsis rebus* } ratione scilicet, consilio, & prudentia. QVO *tu illa modo diceres?* } Eleganter, inquit, diceres, & nitido uerborum fluxu. CVM *primis* } cum praecedentibus. EFFICIATVR } concludatur. RATIONE } syllogismo. CIRCVMSCRIPTE } determinate. INFIRMATIS } dicitis esse infirma, & debilia. TOLLVNT } negant, remouent, eripiunt, euertunt. EA, *quae extra sunt* } obiecta sensuum, & intelligibilia, quae omnia sunt extrinseca. COLLATIS, & *comparatis* } ratione scilicet, & communi sensu, admotis, & simul positis, ueluti ad aequilibrium. ARTES *quoque* } Ars ex uniuersali experientia extruitur, cum uidelicet res paene innumerabiles eodem modo eueniunt ijsdem signis antegressis.

CICERO

Iam uero domina rerum, ut uos soletis dicere, eloquendi uis quā est praeclara, quamq. diuina? quae primum efficit, ut ea, quae ignoramus, discere, & ea, quae scimus, alios docere possimus. deinde hac cohortamur; hac persuademus; hac consolamur afflictos; hac deducimus perterritos a timore; hac gestientes comprimimus; hac cupiditates, iracundiasq. restinguimus. haec nos iuris, legū, urbium societate deuinxit: haec a uita immani, et fera segregauit. Ad usum autem orationis, incredibile est, nisi diligenter attenderis, quāta opera machinata natura sit. primum.n. a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet: per quam uox principium a mente ducens, percipitur, & funditur. deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. ea uocem immoderate profusam fingit, & terminat: quae sonos uocis distinctos & pressos efficit, cum & ad dentes, & ad alias partes pellit oris. itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus ijs, qui ad neruos resonant in cantibus. Quam uero aptas, quamq. multarum artium ministras manus natura homini dedit? digitorum enim contractio facilis, facilisq. porrectio, propter molles commissuras, & artus nullo in motu laborat. itaque ad pingēdum, ad fingendum, ad sculpendum, ad neruorum eliciendos sonos, ac tibiarum apta manus est admotione digitorum. Atque haec oblectationis, illa necessitatis: cultus dico agrorum, exstructionesq. tectorum, tegumenta corporum uel texta, uel suta, omnemq. fabricam aeris, & ferri. ex quo intelligitur, ad inuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut uestiti, ut salui esse possemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Iam uero operibus hominum, idest manibus, cibi etiam uarietas inuenitur, & copia. nam & agri multa ferunt manu quaesita, quae uel statim consumantur, uel mandentur condita uetustati: et praeterea uescimur bestijs & terrenis, & aquatilibus, et uolatilibus, partim capiēdo, partim alēdo. Efficimus ēt domitu nostro quadrupedū uectiones: quorū celeritas, atque uis nobis ipsis affert uim, et celeritatē. nos onera quibusdā bestijs, nos iuga imponimus: nos elephantorū acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur: nos e terrae cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos aeris, argenti, auri uenas, penitus abditas, inuenimus, & ad usum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem confectione, omniq. materia, & culta, et siluestri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis saepti frigora, caloresq. pellamus. magnos uero usus affert ad nauigia facienda: quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad uitā copiae: quasq. res uiolentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris, atque uentorum, propter nauticarum rerum scientiam: plurimisq. maritimis rebus fruimur, atque utimur.

EXPLANATIO

IAM *uero domina* } Eloquentiae, dignitas, & effectus. SOCIETATE } communicatione, participatione. AD *usum orationis* } ut apte uti possimus oratione. PRIMVM *enim* } Sermonis formandi organa. A *mente* } Sermo est interpres mentis, eius sensa exprimens. PRESSOS } restrictos. PLECTRI } instrumenti, quo canore fides in musicis tanguntur, a uerbo *πλήττω*, quod Latine significat percutio, & uerbero. NOSTRI } Stoicae sectae philosophi. dicebant Stoici linguam in ore humano esse ueluti plectrum, dentes ueluti chordas, cauum oris testudinem, & narium meatus testudinis cornua. CORNIBVS *ijs, qui &c.* } more prisco ponitur Cornus masculini generis & declinationis quartae, ut Visus, & Sensus. Adstipulatur Lucanus, qui sic cecinit: Cornus tibi cura sinistri: item Plinius his uerbis, Dentes mobiles confirmat ceruini cornus cinis. AD *neruos* } ad chordas, ex neruosis intestinis factas. IN *cantibus* } dum homo canit. QVAM *uero aptas* } Manus fabricatio miranda, & utilitas ingens. MANV *quaesita* } opera, & labore manus comparata. CONDITA } reposita, & seruata, ut penus fiant ad usum annuum. Condus dicitur, qui fructus annuis recondit, & Promus, qui profert eos, cum usus exigit. ALENDO } nutriendo, inde Altilia dicta, quae domi, aut ruri alimentis fouemus. EFFICIMVS *quadrupedum uectiones* } id est utimur opera quadrupedum ad uehendum. ONERA *quibusdam bestijs* } ut equis, mulis, asinis. IVGA *imponimus* } ut bobus. ELEPHANTORVM *acutissimis sensibus* } Elephas, inquit Plinius, maximum animal, & proximum humanis sensibus, quippe intellectus illis sermonis patrij, & in primis obedientia, officiorumq. quae didicere memoria, amoris, & gloriae, uoluptas, & probitas, prudentia, aequitas, religio quoque siderum, Solisque, & Lunae ueneratio. Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt. SAGACITATE *canum* } olfactu canum. eo enim sensu plurimum pollent canes. Sagire autem est acute sentire. QVASQVE *res uiolentissimas* } Dominatus maris, & uentorum est in homine.

CICERO

TERRENORVM item commodorum omnis est in homine dominatus. nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus: nos fruges serimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturā efficere conamur Quid uero? hominum ratio non in caelum usque penetrauit?

tranit? soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus, cursus q. cognouimus: ab hominum genere si uitus est dies, mensis, annus: defectiones solis & lunae cognitae, praedictaeq. in omne posterum tempus, quae, quantae, quando futurae sint. quae contuens animus, accipit ab his cognitionem deorum, ex qua oritur pietas: cui coniuncta iustitia est, reliquaeq. uirtutes: ex quibus uita beata exsistit, & par, & similis deorum, nulla re, nisi immortalitate, quae nihil ad bene uiuendum pertinet, cedens caelestibus. Quibus rebus expositis, docuisse uideor, hominis natura quãto omnes anteiret animantes. ex quo debet intelligi, nec figuram, situmq. membrorum, nec ingenij, mentis q. uim talem effici potuisse fortuna. Restat, ut doceam, atque aliquando perorem, omnia, quae sint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominũ caussa facta esse, & parata. Principio ipse mundus deorum hominumq. caussa factus est: quaeq. in eo sunt omnia, ea parata ad fructum hominum, et inuenta sunt. est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. soli enim ratione utentes, iure, ac lege uiuũt. Vt igitur, Athenas, & Lacedaemonem, Atheniensium, Lacedaemoniorumq. caussa, putandum est, conditas esse: omniaque, quae sint in his urbibus, eorum populorum recte esse dicuntur: sic, quaecumque sunt in omni mundo, deorum, atque hominum putanda sunt. Iam uero circuitus solis, & lunae, reliquorumq. siderum quamquam etiam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamẽ & spectaculũ hominibus praebent, nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, & ad rationẽ sollertiamq. praestantior. eorum enim cursus demetiri, maturitates temporum, & uarietates, mutationesq. cognouimus. quae si hominibus solis nota sunt, hominum caussa facta esse iudicanda sunt.

EXPLANATIO

TERRENORVM *item* } Dominatus terrenorum commodorum. NOSTRIS *manibus* } uti instrumentis aptis ad efficiendum quoscumque motus. IN *rerum natura* } in partibus mundi. ALTERAM *naturam* } alterum motum, qui in re naturali magis conducat homini, ut in insitionibus arborum, aquae ductibus &c. QVID *uero hominum ratio* } Rationis humanae opera, & effectiones. QVAE *contuens animus,* } Finis considerationis mirandorum Dei operum est eius cognitio, & cultus. PIETAS } debitus cultus. RELIQVAE *uirtutes* } prudentia, fortitudo, & temperantia. NISI *immortalitate* } In hanc sententiam Aristoteles dixit hominem esse natum ad actiones, & contemplationes, quasi quendam mortalem deum. QVIBVS *rebus expositis* } Conclusio ostendens quorsum haec de fabricatione hominis pertineant, ut uidelicet quanta bona homini a Deo tributa sint demonstrent. RESTAT, *ut doceam,* } Haec est ultima pars quadripartitae disputationis, in qua concluditur omnia mundi huius bona homini esse data. HOMINVM *caussa* } Arist. lib. I. Polit. cap. 5. Οἰητέον, τά τε φυτὰ τῶν ζώων ἕνεκεν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα τῶν ἀνθρώπων χάριν. PRINCIPIO } Confirmatio a caussa finali conditi mundi. EST *enim* } Mundi definitio caussalis. IVRE, } ordinatione aliqua ciuilitatis. VT *igitur* } simile declarans caussam finalem fabricati mundi. IAM *uero* } Distributio, qua, quod de toto mundo dixit, de singulis eius partibus uerum esse comprobat. NVLLA *insatiabilior species* } nulla, inquit, res spectaculo dum inspicitur, minus satiat homines, quam circuitus Solis, & Lunae, reliquorumq. siderum.

CICERO

TERRA *uero, feta frugibus, & uario leguminum genere, quae maxima largitate fundit, ea ferarum ne, an hominum caussa gignere uidetur? Quid de uitibus, oliuetisq. dicam? quarum uberrimi laetissimiq. fructus nihil omnino ad bestias pertinent. neque enim serendi, neque colendi, nec tempestiue demetendi, percipiendiq. fructus, neque condendi, ac reponendi ulla pecudum scientia est: earumq. omnium rerum hominum est & usus, & cura. ut fides igitur, & tibias eorum caussa factas dicendum est, qui illis uti possunt sic ea, quae diximus, solis ijs confitendum est esse parata, qui utuntur. nec, si quae bestiae furantur aliquid ex his, aut rapiunt, illarum quoque caussa ea nata esse dicemus. neque enim homines murum, aut formicarum caussa frumentum condunt, sed coniugum, & liberorum, & familiarum suarum. itaque bestiae furtim, ut dixi, fruuntur, domini palam, & libere. hominum igitur caussa eas rerum copias comparatas, fatendum est. Nisi forte tanta ubertas, & uarietas pomorum, eorumq. iucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam, et adspectus dubitationẽ affert, quin hominibus solis ea natura donauerit. tantumq. abest, ut haec bestiarum etiam caussa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse uideamus. Quid enim oues aliud afferunt, nisi ut earum uillis confectis, atque contextis homines uestiantur? quae quidem neque ali, neque sustentari, neque ullũ fructum edere ex se sine cultu hominum, & curatione potuissent. Canum uero tam fida custodia, tãq. amans dominorum adulatio, tantumq. odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium, tanta alacritas in uenando quin significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos? Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata: ceruices autem natae ad iugum: tum uires humerorum, et latitudines ad aratra extrahenda. quibus cum terras subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut poetae loquuntur, uis numquam ulla afferebatur.*

Ferrea tum uero proles exorta repente est,
Ausaq. funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu uinctum, domitumq. iuuencum.

tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum uisceribus uesci scelus haberetur. Longum est mulorum

eorum persequi utilitates, & asinorum: quae certe ad hominum usum paratae sunt. Sus uero quid habet praeter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. qua pecude, quod erat ad uescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius.

EXPLANATIO

TERRA *uero* } de commodis, quae caelestia afferunt, descendit ad ea, quae homines percipiunt ex terra, & terrestribus. NIHIL *omnino* } Argumentum ex caussa finali ductum, Omnia commoda in mundo sunt condita propter usum, bestiae non possunt uti. Igitur propter bestias non sunt nata. NEC, *si quae bestiae* } Occurrit obiectioni, quae talis est, Bestiae commodis in mundo conditis fruuntur, Igitur non solius hominis caussa sunt parata. Respondet. Bestiae quidem fruuntur his, sed furtim principaliter uero homo. MURUM } pro, Murium, contra analogiam, ut docet Carisius lib. I. his uerbis: Murum. Cicero de nat. de. lib. II. Nec enim homines murum, aut formicarum, caussa frumentum condunt. Vbi Plinius, dubij sermonis lib. VI. Pro, Murium, inquit; quoniam, non ut Fures Furum, & Augurum, & Celerum dicimus, ita Murum censere debemus. quaecumque enim R. littera nominatiuo singulari sunt terminata, oportet ea genitiuo plurali Vm, non, Ium, recipere debere. itaque Trogum de animalibus lib. x. Parium numerorum, & Imparium, non recte dixisse; sed Parum, & Imparum. LIBERE. } nemine prohibente. *Nisi forte* } Ironia. TANTUM Q. *abest* } Inuersio, qua non solum detrahit rerum usum bestijs, sed ipsas etiam hominum usibus subijcit. CANUM *uero* } Canum usus. QUID *de bobus* } boum utilitas AUREO *genere* } idest, optimo. Aureum genus, inquit Plato, dicitur non ex auro constitutum, sed boni, atque prudentes aureum genus esse dicuntur. VIS *numquam ulla afferebatur.* } Columella, agens de boue, dicit, Tanta fuit apud antiquos ueneratio, ut tam capitale esset bouem necasse, quam ciuem. hoc etiam Plinius repetijt. QUID *habet* } ad quid aliud prodest homini. PRAETER *escam?* } praeter quam ad cibum. PRO *sale* } uice salis. Idem lib. V. de Fin. Varro de re rust. lib. II. cap. 4. Plinius agens de suibus, Animal hoc brutum maxime, animamq. ei pro sale datam, non illepide existimabatur.

CICERO

QUID multitudinem, suauitatemq. piscium dicam? quid auium? ex quibus tanta percipitur uoluptas, ut interdum πρόνοια nostra Epicurea fuisse uideatur. atque hae ne caperentur quidem, nisi hominum ratione, atque sollertia. quamquam aues quasdam, & alites, & oscines, ut nostri augures appellant, rerum augurandarum caussa esse natas putamus. Iam uero immanes, & feras belluas nanciscimur uenando, ut & uescamur ijs, & exerceamur in uenando ad similitudinem bellicae disciplinae; & utamur domitis, & condocefactis, ut elephantis; multaq. ex earum corporibus remedia morbis, & uulneribus eligamus, sicut ex quibusdam stirpibus, & herbis, quarum utilitates longinqui temporis usu, & periclitatione percepimus. Totam licet animis, tamquam oculis, lustrare terram, mariaq. omnia cernere, & spatia frugifera, atque immensa camporum, uestitusq. densissimos montium, pecudum pastus, tum incredibili cursus maritimos celeritate. Nec uero tantum supra terram, sed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas; quae ad usum hominum orta, ab hominibus solis inuenitur. Illud uero, quod uterque uestrum fortaße arripiet ad reprehendendum; Cotta, quia Carneades libenter in Stoicos inuehebatur; Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus, quam praedictionem rerum futurarum; mihi uidetur uel maxime confirmare, deorum prouidentia consuli rebus humanis. est enim profecto diuinatio, quae multis locis, rebus, temporibus apparet, tum in priuatis, tum maxime in publicis. multa cernunt haruspices: multa augures prouident: multa oraculis declarantur, multa uaticinationibus, multa somnijs, multa portentis: quibus cognitis, multae saepe res hominum sententia, atque utilitate partae, multa etiam pericula depulsa sunt. Haec igitur siue uis, siue ars, siue natura, ad scientiam rerum futurarum homini profecto est, nec ab alio alicui, quam a dijs immortalibus, data. quae si singula nos forte non mouent, uniuersa certe inter se connexa, atque coniuncta mouere debebunt. Nec uero uniuerso generi hominum solum, sed etiam singulis a dijs immortalibus consuli, & prouideri solet. licet enim contrahere uniuersitatem generis humani, eamq. gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. nam, si omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacumque in ora, ac parte terrarum ab huiusce terrae, quam nos incolimus, continuatione distantium, deos consulere censemus ob eas caussas, quas ante diximus: his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. sin autem his consulunt, qui quasi magnam quandam insulam incolunt, quam nos orbem terrae uocamus: etiam illis cõsulunt, qui partes eius insulae tenent, Europam, Asiã, Africam. ergo & earum partes diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: & earum urbium separatim ab uniuersis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanium; primo Punico Calatinum, Duilium, Metellum, Lutatium; secundo Maximum, Marcellum, Africanum; post hos Paullum, Gracchum. Catonem, patrum ue memoria Scipionem, Laelium: multosq. praeterea & nostra ciuitas, & Graecia tulit singulares uiros: quorum neminem, nisi iuuante deo, talẽ fuisse credendum est. quae ratio poetas, maximeq. Homerum impulit, ut principibus heroũ, Vlyssi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos deos discriminum, & periculorum comites adiungeret.

EXPLANATIO

Πρόνοια *nostra* } prouidentia a nostris Stoicis inducta. Epicvrea *fuisse* } indulsisse hominum uoluptati. Et *alites, & oscines* } & uolatu, & cantu augurium facientes. Vt *& uescamur ys.* } Arist. lib. 1. Polit. cap. 8. τῶν ἀγρίων εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τά γε πλεῖστα τῆς τροφῆς, καὶ ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν. &c. Et *exerceamur in uenando* } Plato in lib. VII. de legibus, Sol, inquit, quadrupedum uenatio illa restat optima, quae equis, canibus, corporisq. uiribus agitur. nam quibuscumq. fortitudo cordi est, hi quadrupedes omnes cursu uulneribus, telisq. manu propria uenando uincere debent. Bellicae *disciplinae* } Etiam Xenoph. 1. παιδ. ait pueros uenando exercitatos fuisse apud Persas, ut hoc ueluti simulacro ad militiae operas assuefierent. Condocefactis } instructis. Vt *elephantis.* } sunt enim dociles in primis elephanti, & ad humanos sensus proxime accedunt. Intimis } profundis. Cotta, } scilicet arripiet ad reprehendendū, tamquam sectator Carneadis. Velleivs } arripiet, tāquam Epicuri sectator. Qvam *praedictionem* } Diuinatio magnū argumentū prouidētiae erga homines. Sive *uis,* } siue concitatio animi, quae ad oracula pertinet. Sive *ars,* } quae ad haruspicinam, & augurium. Sive *natura,* } quae ad somnia. Qvae *si singula* } Et quae non prosunt singula, multa iuuant. Nec *uero uni, uerso* } Accommodatio prouidentiae dei ad singulos homines, Deus uniuersum genus humanum amat, Igitur singulis hominibus fauet. Valet consequētia a genere ad speciem, uel a toto ad partes. Rhodvm: } haec est insularum clarissima, & soli dicata. Corvncanivm; } hic ob insignes animi dotes primus e plebe ad pontificatum euectus est. Dvilivm } C. Duilius proelio nauali primus Carthaginiēses uicit ad Milas litorale opidum Siciliae: & primus Romanorum ducum naualis uictoriae triumphum adeptus est. Metellvm, } Caecilius Metellus pontifex maximus, cum templum Vestae arderet, ex incendio sacra rapuit. Lvtativm; } C. Lutatius, uictis ad Aegates insulas Poenis, primo bello Punico finem imposuit. Qvae *ratio* } Testimonium poetarum de prouidentia dei consulentis heroibus.

CICERO

*P*Raeterea *ipsorum deorum saepe praesentiae, quales supra commemoraui, declarant, ab his & ciuitatibus, & singulis hominibus cōsuli. quod quidem intelligitur etiam significationibus rerum futurarum, quae tum dormientibus, tum uigilantibus portenduntur. Multa praeterea ostentis, multa extis admonemur, multisq. rebus alijs: quas diuturnus usus ita notauit, ut artem diuinationis efficeret. nemo igitur uir magnus sine aliquo afflatu diuino umquam fuit. Nec uero ita refellendum est, ut, si segetibus, aut uinetis cuiuspiam tempestas nocuerit, aut si quid e uitae commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut inuisum deo, aut neglectum a deo iudicemus. magna dij curant, parua negligunt. magnis autem uiris prosperae semper omnes res: si quidem satis a nostris, & a principe philosophorum Socrate dictum est de ubertatibus uirtutis, & copys. Haec mihi fere in mentem ueniebant, quae dicenda putarem de natura deorum. tu autem, Cotta, si me audias, eandem caussam agas: teq. & principem ciuem putes, & pontificem esse cogites; &, quoniam in utrāque partem uobis licet disputare, hanc potius sumas; eamq. facultatem differendi, quam tibi, a rhetoricis exercitationibus acceptam, amplificauit Academia, huc potius conferas. mala enim, & impia consuetudo est contra deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulate.*

EXPLANATIO

PRaeterea } Aliud testimonium praesentiae dei in ciuitatibus, & singulis hominibus. Qvod *quidem* } Testimonium praesentiae dei ex diuinatione. Aliqvo *afflatu* } aliqua inspiratione, & gratia. Nec *uero* } obiectioni, quae talis est, At multis hominibus haec commoda praecipiuntur, respondit Balbus, Haec exempla non odium dei, nec iniuriam denotant. Magna *dij curant* } quae scilicet a fortuna non pendent. ut sunt animi. Magnis *uiris* } uirtute praeditis. A *nostris,* } a Stoicis. Copiis, } affluentibus opibus. Haec *mihi fere* } Epilogus libri. Tv *autem,* } Praeparatio ad sequentem librum, in quo Cotta haec eadem disputaturus est. Principem *ciuem, & pontificem* } quem in primis decet religionem, ueluti reip. solidissimum fundamentum, a maioribus acceptam tueri. Facvltatem } uim. Amplificavit } adauxit, & magnificauit. Hvc } ad hanc partem, nimirum ad religionem tuendam. Mala *enim,* } Odiosa est sapientia, conuiciari deo, siue ioco id fiat, siue serio. Sed de eo bene sentiendum pie, & constanter.



IN M. TVLLII. CICERONIS DE. NATVRA. DEORVM AD. M. IVNIVM. BRVTVM LIBRVM. III.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Quae Balbus Stoicus praecedenti libro asseuerauit de dijs, eorumq. prouidentia in mundo, & singulis partibus, eadem per singula capita repetens Cotta Academicus, rationibus contrarijs infirmat: & de omnibus probabiliter disserens, Lectori integram iudicandi potestatem relinquit, simulq. credendi, nihil esse tam firmum, quin possit probabiliter impugnari.

CICERO

QVAE cum Balbus dixisset, tum arridens Cotta, Sero, inquit, mihi, Balbe, praecipis, quid defendam. ego enim, te disputante, quid contra dicerem, mecum ipse meditabar, neque tam refellẽdi tui caussa, quam ea, quae minus intelligebã, requirendi. cũ autem suo cuique iudicio sit utendum; difficile factu est, me id sentire, quod tu uelis. Hic Velleius, Nescis, inquit, quãta cum exspectatione, Cotta, sim te auditurus. iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. praebebo igitur me tibi uicissim attentũ contra Stoicos auditorem. spero enim te, ut soles, bene paratũ uenire. Tum Cotta, Si mehercule, inquit, Vellei. neque enim mihi par ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit. Qui tandem, inquit ille? Quia mihi uidetur Epicurus uester de dijs immortalibus non magnopere pugnare. tãtummodo negare deos esse non audet, ne quid inuidiae subeat, aut criminis. cũ uero deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisq. humanis esse praeditos, sed eorum membrorũ usum nullum habere: ludere uidetur, satisq. putare, si dixerit, esse quandam beatam naturam, & aeternam. A Balbo autem, animaduertisti, credo, quã multa dicta sint, quamque, etiam si minus uera, tamen apta inter se, & cohaerentia. itaque cogito, ut dixi, non tam refellere eius orationem, quam ea, quae minus intellexi, requirere. quare, Balbe, tibi permitto, respõdere ne mihi malis de singulis rebus quaerenti ex te ea, quae parum accepi, an uniuersam audire orationem meam. Tum Balbus, Ego uero, si quid explanari tibi uoles, respondere malo; sin me interrogare, non tam intelligendi caussa, quam refellendi; utrum uoles, faciam; uel ad singula, quae requires, statim respondebo; uel, cum perorarsi, ad omnia. Tum Cotta, Optime, inquit. quamobrem sic agamus, ut nos ipsa ducit oratio. sed ante quam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moueor auctoritate tua, Balbe, orationeq. ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminißem, me & Cottam esse, & pontificem. quod eo, credo, ualebat, ut opiniones, quas a maioribus accepimus de dijs immortalibus, sacra, caerimonias, religionesq. defenderem. ego uero eas defendam, semperq. defendi: nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti, aut indocti mouebit. sed, cum de religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaeuolam, pontifices

maximos,

maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chrysippum sequor; habeoq. C. Laelium augurem, eundem sapientem; quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quam quemquam principem Stoicorum. cumq. omnis populi R. religio in sacra, & in auspicia diuisa sit; tertium adiunctum sit, si quid praedictionis caussa ex portentis, et monstris Sibyllae interpretes, auspices ue monuerunt: harum ego religionum nullam umquam contemnendam putaui; mihiq. ita persuasi, Romulum auspicijs, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae ciuitatis: quae numquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset.

EXPLANATIO

QVAE *cum Balbus dixisset* } Cottae Academici responsio ad Balbi adhortationem. SVO } libero. Libera quidem sunt iudicia in rebus dubijs, sed tamen ad unam certam ueram ueritatis normam dirigenda. HIC id est, postquam ita locutus esset Cotta. Dissimilitudo dogmatis Epicuri, & Stoicorum de Deo: Epicurus sibi ipsi pugnantia dicit, dum deos quidem non negat, sed rationem omnem illis adimit; Balbus uero apta dicit, & cohaerentia. SI *mehercule, inquit, Vellei.* } Aut in uerbis mendum est, aut quippiam desideratur. quod si ita corrigas, Sane hercule, inquit, Vellei; non erit, quo lector offendatur. subaudietur enim, paratus uenio: & optime cum sequentibus congruet sententia. Haec Paullus pater. APTA } connexa, QVARE, *Balbe,* } Deliberatio de modo disputationis. IPSA *ducit oratio* } proposita disputatio quadripartita. PAVCA *de me* } De persona, siue officio Cottae pontificis, quod est constanter tueri religionem maiorum. NOBILI } celebri, & omnium iudicio celebrata: de ea sic scribit in Bruto, Oratione Laelij de collegijs nihil dulcius, in qua de religione disseruit. CVMQ. *omnis populi Rom. religio* } Diuisio religionis in sacra auspicia, & praedictionem, ex portentis, & monstris. SIBYLLAE } Sibyllinorum carminum. SACRIS *constitutis* } placatione deorum iacta fundamenta ciuitatis Romae.

CICERO

HABES, *Balbe, quid Cotta, quid pontifex sentiat. fac nunc ergo intelligam, tu quid sentias. a te enim philosopho rationem accipere debeo religionis, maioribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, credere. Tum Balbus, Quam igitur a me rationem, inquit, Cotta desideras? Et ille, Quadripartita, inquit, fuit diuisio tua: primum, ut uelles docere, deos esse: deinde, quales essent: tum, ab his mundum regi: postremo, consulere eos rebus humanis. haec, si recte memini, partitio fuit. Rectissime, inquit Balbus: sed exspecto, quid requiras. Tum Cotta, Primũ quidque uideamus, inquit. etsi id est primum, quod inter omnes, nisi admodum impios, conuenit, mihi quidem ex animo exuri non potest, esse deos. id tamen ipsum, quod mihi persuasum est, esse deos auctoritate maiorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Quid est, inquit Balbus, si tibi persuasum est, cur ea me uelis discere? Tum Cotta, Quia sic aggredior, inquit, ad hanc disputationem, quasi nihil umquam audierim de dijs immortalibus, nihil cogitauerim: rudem me discipulum, & integrum accipe, et ea, quae requiro, doce. Dic igitur, quid requiras. Ego ne? primum illud, cur, quod perspicuum in istam partẽ, ne egere quidem oratione dixisses, quod esset conspicuum, & inter omnes constaret, de eo ipso tam multa dixeris. Quia te quoque, inquis, animaduerti, Cotta, saepe cum in foro diceres, quam plurimis posses argumentis onerare iudicem, si modo eam facultatem tibi daret caussa. atque hoc idem & philosophi faciunt, & ego, ut potui, feci. tu autem, qui id quaeris, similiter facis, ac si me roges, cur te duobus contuear oculis, & non altero tantum, cum idem uno assequi possim. Tum Cotta, Quam simile, istud sit, inquit, tu uideris. nam ego neque in caussis, si quid est euidens, de quo inter oẽs conueniat, argumentari soleo, perspicuitas enim argumentatione eleuatur: nec, si id facerem in caussis forensibus, idem facerem in hac subtilitate sermonis. Cur contuereris autem altero oculo, caussa non esset; cum idem obtutus esset amborum, & cum rerum natura, quam tu sapientem esse uis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere uoluisset. sed, quia non confidebas, tam esse id perspicuum, quam tu uelis; propterea multis argumentis, deos esse, docere uoluisti. mihi enim unum satis erat, ita nobis maiores nostros tradidisse. sed tu auctoritates omnes contemnis, ratione pugnas. patere igitur, rationem meã cum tua ratione contendere. Affers haec omnia argumenta, cur dij sint: remq. mea sententia minime dubiam, argumentando dubiam facis. mandaui enim memoriae non numerum solum, sed etiam ordinem argumentorum tuorum. Primum fuit, cum caelum suspexissemus, statim nos intelligere, esse aliquod numen, quo haec regantur. ex hoc illud etiam,*

Adspice hoc sublime candens, quem uocant omnes
Iouem.

quasi uero quisquam nostrum, istum potius, quam Capitolinum, Iouem appellet; aut hoc perspicuum sit, constetq. inter omnes, eos esse deos, quos tibi Velleius, multiq. praeterea ne animantes quidem esse concedant. Graue etiam argumentum tibi uidebatur, quod opinio de dijs immortalibus & omnium esset, & quotidie cresceret. placet igitur, tantas res opinione stultorum indicari, nobis praesertim, qui illos insanos esse dicatis? At enim praesentes uidemus deos, ut apud Regillum Postumius, in Salaria Vatienus, nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram proelio. quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id est homines, homine natos; & quos Homerus, qui recens ab illorum aetate fuit, sepultos esse dicit Lacedaemone; eos tu canterijs albis, nullis calonibus, obuiam

Vatieno

Vatieno uenisse existimas, & uictoriam populi R. Vatieno potius, homini rustico, quam M. Catoni, qui tum erat princeps, nunciauisse? ergo & illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum, tamquam uestigium ungulae Castoris equi credis esse? non ne mauis illud credere, quod probari potest, animas praeclarorum hominum, quales isti Tyndaridae fuerunt, diuinas esse, & aeternos, quam eos, qui semel cremati essent, equitare, & in acie pugnare potuisse? aut, si hoc fieri potuisse dicis, doceas, oportet, quo modo; nec fabellas aniles proferas. Tum Lucilius, An tibi, inquit, fabellae uidentur? nō ne ab A. Postumio aedē Castori & Polluci in foro dedicatam, non ne S. C. de Vatieno uides? nam de Sagra, Graecorum etiam est uulgare prouerbium: qui, quae affirmant, certiora esse dicunt, quam illa, quae apud Sagram. his igitur auctoribus non ne debes moueri? Tum Cotta, Rumoribus, inquit, mecum pugnas Balbe: ego autem a te rationes requiro.

EXPLANATIO

PHILOSOPHO } sapientiae amatore. ETIAM *nulla ratione* } Vetustae religionis tanta est uis, ut sola auctoritate nos frangat: quod tamen non de omni religione, sed de pia & sancta debet intelligi. ET *ille* } Repetitio capitum disputationis. PRIMVM *quidque* } id quodcumque est in proposita disputatione primum. Ordo disputationis sequentis. ADMODVM *impias* } quale Diagoras, & Theodorus, deum penitus negantes. MIHI *quidem* } Asseueratio diserta Cottae de dijs. TVM *Cotta* } Dissimulatio cum extenuatione sui. EGO *ne*? } Modeste perstringit uerbositatem Balbi de re aperta. QVIA *te* } Excusatio Balbi ab exemplo Cottae in re simili a philosophorum exemplo. TV *autem* } Simile, quod tamen eleuat Cotta, suum proferens exemplum PERSPICVITAS *enim* } Res per se perspicua & minime dubia argumentando eleuatur, id est minuitur, & dubia fit. NEC *si id* } Alia refutatio ex circumstantia rei. alia caussa aliae orationis habitum desiderat. SVBTILITATE *sermonis* } qui scilicet necessaria tantum admittit, superflua contemnens. CVR *contuereris* } Alia refutatio similitudinis Balbi, ab ordinatione naturae. CAVSSA *non esset* } nullam haberes caussam. CVM *idem obtutus esset amborum* } quia non maiore opera contuereris ambobus oculis, quam altero. RERVM *natura* } uis, quae in natura uniuersa operatur. AB *animo* } a cerebro, cui insidet animus. Cerebrum Plato uoluit esse animi sedem: inde duo caui nerui ad oculos tendunt, qui optici dicuntur a Graecis, ut non solum physici docent, uerum etiam medici, qui ista aperta, & patefacta uiderunt. SED *quia* } Caussa uerbositatis Balbi, uidelicet rei siue caussae infirmitas. languida enim caussa uerbis fulcienda, & ornanda est. AVCTORITATES } sententias. PATERE *igitur* } Semota auctoritate rationibus pugnandum est in philosophia, id quod Stoici faciunt, & Academici hoc loco. οἱ γὰρ λόγοι κατασπῶσι λόγους, secundum Euripidem ratio rationem euertit. CONTENDERE } certare. PRIMVM *fuit* } Repetit Cotta primum Balbi argumentum ex caeli contuitu, ut illud impugnet. QVASI *uero* } Refutatio ex ambiguitate uocabuli Iouis. GRAVE *etiam* } Secundum argumentum ex opinione communi. PLACET *igitur* } Refutatio, Sapiens nihil ex opinione multitudinis imperitae iudicare debet. AT *enim* } Tertium argumentum a praesentia deorum. QVOS *igitur* } Refutatio commenti de apparitione deorum. Primo a condicione Tyndaridarum, quia homines sint, non dij. Secundo ab auctoritate Homeri, qui illos sepultos esse asserit. Tertio ab imprudentia, quod homini rustico potius, quam sapienti apparuerunt. Quarto ab animorum natura & proprietate, quod diuini sint, post mortem corporis non equitent, aut pugnent. Quincto a uanitate, quod fabulae haec sint aniles. TYNDARIDAS } Tyndari filios ex Laeda. CANTERIIS } equis castratis. CALONIBVS } seruis militaribus. TVM *Lucilius* } Lucilius opponit auctoritates, quibus fidem faciat sermoni de apparitione deorum. PROVERBIVM: } in incredulos natum est prouerbium, ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ.

CICERO

SEQVVNTVR, *quae futura sunt. effugere enim nemo id potest, quod futurum est. saepe autem ne utile est quidem scire, quid futurum sit. miserum est enim, nihil proficientem angi, nec habere ne spei quidem extremum, & tamen commune, solatium; praesertim cum uos ijdem fato fieri dicatis omnia; quod autē semper ex omni aeternitate uerum fuerit, id esse fatum. Quid igitur iuuat, aut quid affert ad cauendum scire aliquid futurum, cum id certe futurum sit? Vnde porro ista diuinatio? quis inuenit fissum iecoris? quis cornicis cantum notauit? quis sortes? quibus ego credo; nec possum Attij Nauij, quem commemorabas lituum contemnere: sed, qui ista intellecta sunt, a philosophis debeo discere; praesertim cum isti plurimis de rebus diuinis mentiantur. At medici quoque (ita enim dicebas) saepe falluntur: quid si inter medicina, cuius ego rationem uideo, & diuinatio, quae unde oriatur, non intelligo? Tu autem etiam Deciorū deuotionibus placatos deos esse censes. quae fuit eorum tanta iniquitas, ut placari populo R. non possent, nisi uiri tales occidissent? consilium illud imperatorum fuit, quod Graeci στρατήγημα appellant; sed eorum imperatorum, qui patriae consulerent, uitae non parcerent. rebantur enim fore, ut exercitus imperatorem, equo incitato se in hostes immittentem, persequeretur: id quod euenit. Nam Fauni uocem equidem numquam audiui. tibi, si audiuisse te dicis, credam. & si, Faunus omnino quid sit, nescio. Non igitur adhuc, quantum quidem in te Balbe est, intelligo deos esse: quos quidem credo esse, sed nihil docent Stoici. nam Cleanthes, ut dicebas, quattuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. unus is modus est, de quo satis dixi, qui est susceptus ex praesensione rerum futurarum;*

alter

alter ex perturbutionibus tempestatum, & reliquis motibus: tertius ex commoditate rerum, quas percipimus, & copia: quartus ex astrorum ordine, caeliq. constantia. de praesensione diximus. de perturbationibus caelestibus, & maritimis, & terrenis; non possumus dicere, cum ea fiant, non esse multos, qui ea metuant, & a dijs immortalibus fieri existiment. sed non id quaeritur; sint ne aliqui, qui deos esse putent; dij utrum sint, nec ne sint, quaeritur. Nam reliquae caussae, quas Cleanthes affert; quarum una est de commodorum, quae capimus, copia, altera de temporum ordine, caeliq. constantia; tum tractabuntur a nobis, cum de prouidentia deorum disputabimus; de qua plurima a te, Balbe, dicta sunt. eodemq. illa etiam differemus: quod Chrysippum dicere aiebas, quoniã esset aliquid in rerũ natura, quod ab homine effici non posset, esse homine aliquid melius: quaeq. in domo pulchra cum pulchritudine mũdi comparabas; & cum totius mundi cõuenientiam, consensumq. afferebas; Zenonisq. breues, & acutulas cõclusiones in eam partem sermonis, quam modo dixi, differemus: eodemq. tempore illa omnia, quae a te physice dicta sunt de ui ignea, deq. eo calore, ex quo omnia generari dicebas, loco suo quaerentur: omniaque, quae a te nudius dicta sunt, cum docere uelles deos esse, quare & mundus uniuersus, & Sol, & Luna, & stellae sensum, ac mentem haberent, in idẽ tempus reseruabo. a te autem illud etiam atque etiam quaeram, quibus rationibus tibi persuadeas, deos esse. Tũ Balbus, Equidẽ attulisse rationes mihi uideor: sed eas tu ita refellis, ut, cum me interrogaturus esse uideare, et ego me ad respondendum compararim, repente auertas orationem, nec des respondendi locũ. itaque maxime res tacitae praeterierunt, de diuinatione, de fato: quibus de quaestionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere: sed ab hac quaestione, quae paene nunc in manibus est, separantur. quare, si uidetur, noli agere confuse; ut hoc explicemus hac disputatione, quod quaeritur.

EXPLANATIO

SEQVVNTVR, *quae futura sunt*} Cotta, omissis Faunorum uocibus, de quibus meminerat Balbus, transit ad rerum futurarum praedictiones, & praesensiones, ex quibus Stoici arguunt deos esse, easq. omnes (cum ipsi Stoici uelint prouisa declinari non posse) inutiles eas esse affirmat, sed tamen conficta esse, & commenticia, quaecumque de diuinatione traduntur. SAEPE *autem*} Futura scire saepe plus obest, quam prodest. MISERVM *est*} ἀντιλογία, quia praescientia futuri mali angit animum, & spe omni priuat. COMMVNE *solatium*} Fatum est commune solatium, quia necessario ferendum esse denunciat, quidquid cuique euenit. QVOD *autem*} Definitio fati Stoica. VNDE *porro*} Diuinationis extenuatio ab auctoribus eius. NOTAVIT?} sic obseruauit. SED *qui*} sed quomodo. ISTI} haruspices, & augures. AT *medici*} Dissimilitudo medicinae a diuinatione: illa rationibus nititur manifestis, haec uero ἄλογος est, id est rationis expers. TV *autem*} Extenuatio deuotionum, quae placandi dei caussa fiunt. στρατήγημα} dolus militaris. Historia P. Decij extat lib. IIX. Decad. I. apud Liuium. NAM *Fauni uoces*} Respondet Cotta ad id, quod praetermiserat de Fauni uocibus, ne memoriae lapsu id fecisse uideretur, sed potius quia nullius essent momenti. Dicit igitur, Balbum, non rationibus, sed rumoribus pugnare; dum, ex Fauni uocibus, quas non audierit, ipse nititur ostendere deos esse. Faunus a Fando hoc est uaticinando nomen inuenit. Vxor eius fuit Fatua, unde Fatuus qui inconsiderate loquitur. RELIQVIS} ut motu terrae, ac tempestatis maris. NAM *Cleanthes*} Repetitio quattuor argumentorum Cleanthis de Deo cognoscendo. SED *non id*} Reuocat disputationem ad principalem quaestionem, utrum sit deus aliquis, per reiectionem. TVM *Balbus*} Reprehensio inconstantis disputationis, & sophistices in Cotta.

CICERO

OPTIME, inquit, Cotta. itaque, quoniam quattuor in partes totam quaestionem diuisisti, de primaq. diximus, consideremus secundam. quae mihi talis uidetur fuisse, ut, cum ostendere uelles, quales dij essent, ostenderes nullos esse. a consuetudine enim oculorum animum abducere difficillimum dicebas: sed, cum deo nihil praestantius esset, non dubitabas quin mundus esset deus; quod nihil in rerum natura melius esset; modo possemus eum animantem cogitare, uel potius, ut cetera oculis, sic animo hoc cernere. sed, cum mundo negas quidquam esse melius, quid dicis melius? si pulchrius, assentior; si aptius ad utilitates nostras, id quoque assentior; sin autem id dicis, nihil esse mundo sapientius; nullo modo prorsus assentior: non quod difficile sit mentem ab oculis seuocare: sed quo magis seuoco, eo minus id, quod tu uis, possum mente comprehendere. Nihil est mundo melius in rerum natura. ne in terris quidem urbe nostrá: num igitur iccirco in urbe esse rationem, cogitationem, mentem putas? aut, quoniam non sit, num iccirco existimas formicam anteponendam esse huic pulcherrimae urbi, quod in urbe sensus sit nullus, in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur, non te ipsum, quod uelis, sumere. istum enim locum totum illa uetus Zenonis breuis, &, ut tibi uidebatur, acuta conclusio dilatauit. Zeno enim ita concludit. Quod ratione utitur, melius est, quam id, quod ratione non utitur. nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur. Hoc si placet, iam efficies, ut mundus optime librum legere uideatur. Zenonis enim uestigijs hoc modo rationem poteris concludere. Quod litteratum est; id est melius, quam quod non est litteratum. nihil autem mundo melius: litteratus igitur est mundus. isto modo etiam disertus, & quidem mathematicus, musicus, omni

ni

ni denique doctrius eruditus, postremo philosophus erit mundus. Saepe dixi; nihil fieri sine deo, nec ullam uim esse naturae, ut sui dissimilia posset effingere. concedam, non modo animantem, & sapientem esse mundum, sed fidicinem etiam, & tibicinem: quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur. nihil igitur affert pater iste Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, nec cur animantem quidem esse. non est igitur mundus deus: & tamen nihil est eo melius. nihil est enim eo pulchrius, nihil salutarius; nihil ornatius adspectu, motuq. constantius. quod si mundus uniuersus non est deus, ne stellae quidem, quas tu innumerabiles in deorum numero reponebas. quarum te cursus aequabiles, aeterniq. delectabant: nec mehercule iniuria: sunt enim admirabili, incredibiliq. constantia. sed nō omnia, Balbe, quae cursus certos, & constantes habent, ea deo potius, quam naturae, tribuenda sunt. quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? quid freto Siciliensi? quid Oceani feruore illis in locis,

Europam, Libyamq. rapax ubi diuidit unda?

quid? aestus maritimi uel Hispanienses, uel Britannici, eorumq. certis temporibus uel accessus, uel recessus sine deo fieri non ne possunt? uide, quaeso, si omnis motus, omniaque, quae certis temporibus ordinem suum conseruant, diuina dicimus; ne tertianas quidem febres, & quartanas diuinas esse dicendum sit; quarum reuersione, & motu quid potest esse constantius? sed omnium talium rerum ratio reddenda est. quod uos cum facere non potestis; tamquam in aram, confugitis ad deum.

EXPLANATIO

ITAQVE, *quoniam* } Transitio ad secundam partem disputationis, quales sint dij, in qua propositio est, Stoicus cum demonstrare uult, qualis sit deus, nullum esse deum ostendit. A *consuetudine* } Ratio prima, quia mundum dicit esse deum, quod perinde est, ac si diceret, deum plane non esse. MELIVS *esset* } melius esse cognosceremus. SAPIENTIVS; } maiori sapientia praeditum. ID, *quod tu uis,* } id, quod tu concludis, scilicet mundum esse deum. COMPREHENDERE } concludere. non enim sequitur, ut, quod in genere suo optimum est, habeat rationem, cogitationem, & mentem: quod exemplo urbis Romae probatur. NE *in terris* } Simile, quo declaratur falsitas argumenti Stoici, quod erat: Quod melius est, ratione utitur, Mundus est optimus, Igitur, &c. AVT *quoniam* } Non semper, quod sensum habet, anteponendum est illi, quod eo caret. NON *sit,* } non sit in urbe ratio, cogitatio, mens. MENS } prouidentia: quoniam praeparat in aestate res tolerandae hiemi necessarias. unde Horatius,

frigusque, famem
Formica tandem quidam expauere magistra:
Paruula nam exemplo est magni formica laboris.

QVID *tibi concedatur* } Ac si dicat, conceditur mundum esse quid pulchrius, & ad utilitates nostras aptius, sed non icirco sapientius, id quod urbis Romae exemplo probatum est; At si etiam sapientius, non icirco melius ac praestantius, id quod exemplo formicae perspicuum est. HOC *si placet,* } Colligit absurda ex dato inconueniente secutura. EFFICIES } concludes. SAEPE *dixi* } Refutatio argumenti de procreatione similium supra lib. II. VIM *naturae* } effectricem caussam, in semine. CONCEDAM } Deridet Cotta eiusmodi commentum Stoicorum. PATER *iste Stoicorum* } Zeno scilicet Stoicae sectae princeps. QVOD *si mundus* } Argumentum a toto ad partes. SED *non omnia* } Constantia non deo soli competit, sed etiam rebus conditis. CHALCIDICO. } Chalcis est opidum ad fretum Euboicum, quod certas habet mutationes. FERVORE } aestu, ebullitione. IN *illis locis, Europam, &c.* } in freto Gaditano, per quod influit, refluitq. Oceanus, & Europam a Libya disterminat. SINE *deo* } id est, sine ordine naturali. VIDE *quaeso,* } Absurdum. NE *tertianas quidem febres,* } Muretus legendum putat, Ne tertianas quoque febres, aut, Ne tertianas item febres. id quod sententia requirere uidetur. Haec Paullus pater. TAMQVAM *ad aram* } Translatio ab his, qui omni auxilio destituti ad aram confugiunt. Vnde illud Virgil. Haec ara tuebitur omnes.

CICERO.

ET *Chrysippus tibi acute dicere uidebatur, homo sine dubio uersutus, & callidus. uersutos eos appello, quorum celeriter mens uersatur. callidos autem, quorum, tamquam manus opere, sic animus usu concalluit. is igitur, si aliquid est, inquit, quod homo efficere non possit; qui id effecit, melior est homine. homo autem haec, quae in mundo sunt, efficere non potest: qui potuit igitur, is praestat homini. homini autem praestare quis possit, nisi deus? est igitur deus. Haec omnia in eodem, quo illa Zenonis, errore uersantur. quid enim sit melius, quid praestabilius, quid inter naturam, & rationem intersit, non distinguitur. Idemque, si dei non sint, negat esse in omni natura quidquam homine melius; id autem putare quemquam hominem, nihil homine melius, summae arrogantiae censet esse. Sit sane arrogantis, pluris se putare, quam mundum. at illud non modo non arrogantis, sed potius prudentis, intelligere se habere sensum, & rationem, & orationem, haec eadem & caui talam non habere. Et, si domus pulchra sit, intelligamus eam dominis, inquit, aedificatam esse, non muribus. sic igitur mundum deorum domum existimare debemus. Ita prorsus existimarem, si illum aedificatum, non, quemadmodum docebo, a natura conformatū putarē. At n. quaerit apud Xenophōtē Socrates, unde animā arripuerimus, si nulla fuerit in mūdo. Et ego quaero, unde numeros, unde orationē, unde cantus. nisi uero loqui Solem cum Luna putamus,*

mus, cum propius accesserit; aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. naturae ista sunt, Balbe, naturae non artificiose ambulantis, ut ait Zeno; quod quidem quale sit, iam uidebimus; sed omnia cientis, & agitantis motibus, & mutationibus suis. itaque illa mihi placebat oratio de conuenientia, consensuq. naturae, quam quasi cognatione continuatam conspirare dicebas. illud non probabā; quod negabas id accidere potuisse, nisi ea uno diuino spiritu contineretur. illa uero cohaeret, & permanet naturae uiribus, non deorum: estq. in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν *Graeci uocant: sed ea, quo sua sponte maior est, eo minus diuina ratione fieri existimanda est. Illa autem, quae Carneades afferebat, quemadmodum dissoluitis? si nullum corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternū: corpus autē immortale nullum esse, ne indiuiduum quidem, nec quod dirimi, distrahiq. non possit: cumq. omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est quasi ferendi & patiendi, necessitatem. et si omne animal mortale est; nullum est immortale. et si omne animal secari ac diuidi potest; nullum est eorum indiuiduum, nullum aeternum. atqui omne animal ad accipiendam uim externam; & ferendam paratum est: mortale igitur omne animal, & dissolubile, & diuiduum sit necesse est. ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum, quod commutari non posset; item nihil argenteum, nihil aeneum, si commutabilis esset natura argenti, & aeris: similiter igitur, si omnia, quae sunt, e quibus cuncta constant, mutabilia sunt, nullum corpus esse potest non mutabile. mutabilia autem sunt illa, ex quibus omnia constant, ut nobis uidetur: omne igitur corpus mutabile est. at, si esset corpus aliquod immortale, non esset omne mutabile. ita efficitur, ut omne corpus mortale sit. etenim omne corpus aut aqua, aut aer, aut ignis, aut terra est, aut id, quod est concretum ex his, aut ex aliqua parte eorum: horum autem nihil est, quod non intereat. nam & terrenum omne diuiditur: & humor ita mollis est, ut facile comprimi, collidiq. possit: ignis uero, & aer omni impulsu facillime pellitur, naturaq. cedens est maxime, & dissipabilis. praeterea omnia haec tum intereunt, cū in naturam aliam conuertuntur: quod fit, cum terra in aquam se uertit, & cum ex aqua oritur aer, & cum ex aere aether, cumq. eadem uicissim retro commeant. quod si ea intereunt, ex quibus constat omne animal: nullum est animal sempiternum.*

EXPLANATIO

CONCALLVIT.} quasi callum fecit, & habitum longa experientia solidatum. Is *igitur si* } Repetitio argumenti, a comparatione effectuum dei, & hominis. IDEMQVE, } Refutatio argumenti. Arrogantiae est putare homine nihil esse melius. Igitur deum esse confitendum est. SIT *sane* } Responsio per concessionem Rhetoricam. SENSVM, *& rationem, & orationem, haec eadem & cuniculam non habere*; } Antiqui libri alij habent, Sensum, & rationem, haec eadem & caniculam non habere: alij, Sensum, & rationem, & orationem, haec eadem orionem, & caniculam non habere. Haec Paullus pater. ET SI *domus* } Repetitio argumenti a simili, siue minori. Domus aedificatur propter dominum. Igitur multo magis mundus propter deum. ITA *prorsus* } Confutatio, negans mundum a Deo conditum, sed a natura. NATVRAE *sunt* } Opera, aut effectiones naturae. NON *artificiose ambulantis* } non quae rationis particeps sit. SVIS } Cognatis, conuenientibus, quibus appetit, & semper declinat ad nouam formam. συμπάθειαν } Plinius agens de gemmis, dicit: Id quoque, quod totis his uoluminibus docere, & mandare conati sumus, de discordia rerum, concordiaque, quā antipathiam, & simpathiam appellauere Graeci, non aliter clarius intelligi potest. SED *ea, quo* } Argumentum, quo quid sua sponte est maius, eo minus fit ratione diuina. Natura sua sponte est maxima. Igitur non regitur diuinitus. ILLA *autem* } scilicet argumenta. SI *nullum corpus &c.* } Haec sunt Carneadis Academici argumenta, quibus, contra Stoicos, qui mundum animantem dicebant esse deum, probat, omne corpus esse mortale, & nullum animal esse sempiternum. PATIBILEM } aptam pati. VIM *externam* } extrinsecum nocumentum. VT *enim* } similitudine cerae, & metallorum, probat omne corpus esse mutabile. Ex *quibus omnia constant*, } composita sunt. CONCRETVM } coagmentatum.

CICERO

ET, ut haec omittamus, tamen animal nullum inueniri potest, quod neque natum umquam sit, & semper sit futurum. omne enim animal sensus habet: sentit igitur & calida, & frigida, & dulcia, & amara, nec potest ullo sensu iucunda accipere, & non accipere contraria. si igitur uoluptatis sensum capit, doloris etiam capit: quod autem dolorem accipit, id accipiat etiam interitum necesse est: omne igitur animal, confitendum est, esse mortale. Praeterea, si quid est, quod nec uoluptatem sentiat, nec dolorem, id animal esse non potest. sin autem, quod animal est, id illa necesse est, sentiat: & quod ea sentiat, non potest esse aeternum: & omne animal sentit: nullum igitur animal est aeternum. Praeterea nullum potest esse animal, in quo non & appetitio sit, & declinatio naturalis. appetuntur autem, quae secundum naturam sunt; declinantur contraria: & omne animal appetit quaedam, & fugit a quibusdam. quod autem refugit, id contra naturam est: & quod est contra naturam, id habet uim interimendi: omne ergo animal intereat necesse est. Innumerabilia sunt, ex quibus effici, cogiq. possit, nihil esse, quod sensum habeat, quin id intereat. etenim ea ipsa, quae sentiuntur, ut frigus, ut calor, ut uoluptas, ut dolor, ut cetera, cum amplificata sunt, interimunt: nec ullum animal est sine sensu: nullum igitur animal est aeternum. etenim aut sim-

plex est natura animãtis, ut uel terrena sit, uel ignea, uel animalis, uel humida; quod quale sit, ne intelligi quidem potest: aut concreta ex pluribus naturis, quarum suum quaeque locum habeat, quo naturae ui efferatur, alia infimum, alia summum, alia mediũ. haec ad quoddam tempus cohaerere possunt, semper autẽ nullo modo possunt. necesse est enim, suum quaeque in locum natura rapiatur. nullum igitur animal est sempiternum. Sed omnia uestri, Balbe, solent ad igneam uim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes: quem ipsum non omnes interpretantur uno modo. qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus. Vos autem ita dicitis, omnem uim esse ignem: itaque & animantes, cum calor defecerit, tum interire; & in omni natura rerum id uiuere, id uigere, quod caleat. ego autem non intelligo, quo modo, calore exstincto, corpora intereant: non intereant, humore, aut spiritu amisso, praesertim cum intereant etiam nimio calore. quã obrem id quidem commune est de calido: uerumtamẽ uideamus exitum. Ita uultis, opinor, nihil esse animal extrinsecus in natura, atque mundo, praeter ignem: qui magis, quam praeter animam? unde animantium quoque constet animus, ex quo anima dicitur. Quo modo autem, hoc quasi concedatur, sumitis, nihil esse animum, nisi ignem? probabilius enim uidetur, tale quiddam esse animum, ut sit ex igne, atque anima temperatum. quod si ignis ex sese ipse animal est, nulla se alia admiscente natura; quoniam is, cum inest in corporibus nostris, efficit ut sentiamus: non potest ipse esse sine sensu.

EXPLANATIO

SED *omnia uestri* } Refutatio commenti Stoici, quod omnis uis sit ignis, hoc est, quod calore omnia uiuant, sumpta ex partibus ijs, quae interitum afferunt. HERACLITVM } Fuit Ephesius, cognomento Scotinos, id est obscurus, & tenebrosus, quoniam nimis obscure de rerum natura disseruit. OMNEM *uim* } potentiam rerũ omnium effectricem. VIGERE } crescere. ITA *uultis opinor* } Haec, ut puto, est uestra sententia. NIHIL *esse animale,* } id est, ex igne, tamquam ex actu primo omnem mundi motum proficisci. Nam animus Zenoni Stoico ignis uidetur, & ignis Stoicorum animalis est, quod πνεῦμα θερμὸν uocant. QVI } quomodo inquit Cotta magis est animal ignis, quam anima, hoc est spirabilis natura. VNDE } ex qua spirabili natura. Ex *quo* } quia, & unde. EFFICIT } caussa est. QVOD *si ignis* } Absurdum colligit per Soriten. Si ignis est animal, sentit, si sentit habet uoluptatem, & dolorem, si dolorem habet, aliquando interit. Igitur si ignis animal est, aliquando interibit.

CICERO

RVRSVS eadem dici possunt. quidquid est enim quod sensum habeat, id, necesse est, sentiat & uoluptatem, & dolorem; ad quem autem dolor ueniat, ad eundem etiam interitum uenire. ita fit, ut ne ignẽ quidem efficere possitis aeternum. quid enim? non eisdem uobis placet, omnem ignem pastu indigere? nec permanere ullo modo posse, nisi alatur? ali autem Solem, Lunã, reliqua astra, aquis alia dulcibus, alia marinis? eamq. caussam Cleanthes affert, cur se Sol referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe, itemq. brumali, ne longius discedat a cibo. hoc totum quale sit, mox: nunc autem concludatur illud, quod interire possit, id aeternum non esse natura: ignem autem interiturum esse, nisi alatur: non esse igitur natura ignem sempiternum. Qualem autem deum intelligere nos possumus, nulla uirtute praeditum? quid enim? prudentiam ne deo tribuemus? quae constat ex scientia rerum bonarum, & malarum, & nec bonarum, nec malarum. cui mali nihil est, nec esse potest; quid huic opus est delectu bonorum, & malorum? quid autem ratione? quid intelligentia? quibus utimur ad eam rem, ut apertis obscura assequamur. at obscurum deo nihil potest esse. Nam iustitia, quae suum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? hominum enim societas, & communitas, ut uos dicitis, iustitiam procreauit. Temperantia autem constat ex praetermittendis uoluptatibus corporis: cui si locus in caelo est, est etiam uoluptatibus. Nam fortis deus intelligi qui potest? in dolore, an in labore, an in periculo? quorũ deum nihil attingit. Nec ratione igitur utentem, nec uirtute ulla praeditum deum intelligere qui possumus? Nec uero uulgi atque imperitorum inscitiam despicere possum, cum ea considero, quae dicũtur a Stoicis. sunt enim illa imperitorum. Piscem Syri uenerantur. omne fere genus bestiarum Aegyptij consecrauerunt. iam uero, in Graecia multos habent ex hominibus deos. Alabandum Alabandi, Tenedi Tenem, Leucotheam, quae fuit Ino, & eius Palaemonem filiũ cuncta Graecia, Herculem, Aesculapium, Tyndaridas: Romulum nostri, aliosq. complures: quos, quasi nouos, & adscriptitios ciues, in caelum receptos putant. Haec igitur indocti. quid uos philosophi? qui meliora? omitto illa. sunt praeclara. sit sane deus ipse mundus. hoc credo illud esse,

Sublime candens, quem uocant omnes Iouem.

quare igitur plures adiungimus deos? quanta autem est eorum multitudo? mihi quidem sane multi uidentur. singulas enim stellas numeras deos; easq. aut beluarum nomine appellas, ut capram, ut lupam, ut taurum, ut leonem; aut rerum inanimatarum, ut argon, ut aram, ut coronam.

EXPLANATIO

PASTV *indigere* } Reijcit commentum de pastu ignis,& astrorum ad suum locum. Se *sol referat* } regrediatur a cancro scilicet ad Capricornum,& e contra a Capricorno ad cancrum. ILLVD *quod interiore*. } Quod interit,non est aeternum,ignis interit nisi alatur,igitur ignis non est aeternus. QVALEM *autem* } Deus in uirtute praeditus. PRVDENTIAM *ne* } Argumenta in partem negantem ex speciebus uirtutis praecipuis. Primum ex definitione prudentiae,Prudentia est scientia,& delectus bonorum, & malorum,Deo non est opus delectu tali,quia nihil mali est ei, Igitur in Deo non est prudentia. QVID *autem ratione?* } Secundum argumentum,intelligentiae usus est,ut apertis obscura assequantur,Deo nihil est obscurum.Igitur intelligentia Deo non inest. ASSEQVAMVR. } intelligamus. NAM *iustitia* } Tertium argumentum ex iustitiae humanae definitione. COMMVNITAS } ciuilis conuersatio, quae eatenus progreditur,quatenus iustitia. TEMPERANTIA } Quartum argumentum,uoluptas corporis non habet locum in caelo,temperatio moderatur uoluptatibus corporis,Igitur Deus in caelo habitans,non est temperans. NEC *uero uulgi* } Commenticia numina gentium reijcit. SVNT *enim illa* } subaudi, Quae Stoici dicunt de qualitate numinum, quibusq. innituntur. IMPERITORVM } ab imperita multitudine pendentia. ALABANDVM } Hic auctore Stephano Callirhoes filius fuit,ab equestri uictoria id nomen adeptus.Ala enim Caribus equum significat,&,Banda,uictoriam.inde Alabanda dicta ciuitas Cariae. TENEM } Hic Cycni filius fuit,qui uita functus inter deos relatus est.Idem Cicero contra C. Verrem,Tenem ipsum,qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur,qui urbem illam dicitur condidisse,e cuius nomine Tenedos nominatur. LEVCOTHEAM } Ino prius uocabatur Cadmi,& Harmoniae filia,quae Athamanti Thebanorum regi nupta cum ei peperisset Learchum,& Palaemonem, & ut in regno succederent patri Phrixum,& Hellen Athamanti filios ex Nebula uxore interficere uoluisset fugiens regis furorem in mare se praecipitauit una cum Palaemone, & dea facta est, Quam, inquit Hyginus, Liber Leucotheam uoluit appellari,nos matrem Matutam dicimus:Melicertem autem deum Palaemonem,quem nos Portumnum dicimus. ADSCRIPTIOS *ciues*, } adiunctos in augmentum ciuium.translatio ab iis,qui in colonias nomina dedissent,ut essent coloni. HAEC *igitur indocti.* } subaudi dicunt,aut opinantur. QVI } quomodo. SIT *sane* } Concessio ad eludendum multitudinem deorum. QVARE *igitur plures?* } ac si dicat,unus sufficere uidetur.

CICERO

SED, ut haec concedantur,reliqua qui tandem nō modo concedi, sed omnino intelligi possunt? cum fruges Cererem, uinum Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis utimur usitato: sed ecquem tam amentem esse putas,qui illud,quo uescatur,deum credat esse? Nam,quos ab hominibus peruenisse dicis ad deos; tu reddes rationem, quemadmodum idem fieri potuerit, aut cur fieri desierit; & ego discam libenter. quo modo nunc quidem est,non uideo quo pacto ille,cui in monte Oetaeo illatae lampades fuerūt,ut ait Attius,in domum aeternā patris ex illo ardore peruenerit: quem tamen Homerus conueniri apud inferos facit ab Vlysse,sicut ceteros, qui excesserāt uita. quamquam,quem potissimum Herculem colamus,scire sane uelim. plures enim tradunt nobis ij, qui interiores scrutantur & reconditas litteras: antiquissimum Ioue natum,sed antiquissimo item Ioue.nam Iones quoque plures in priscis Graecorum litteris inuenimus.ex eo igitur et Lysyto est is Hercules,quem concertauisse cum Apolline de tripode accepimus. alter traditur,Nilo natus, Aegyptius: quem aiunt Phrygias litteras conscripsisse.tertius est ex Idaeis Dactylis: cui inferias afferunt.quartus Iouis est, Asteriae, Latonae sororis; quem Tyrij maxime colunt; cuius Carthaginem filiam ferunt. quinctus in India, qui Belus dicitur.sextus hic ex Alcumena, quem Iuppiter genuit; sed tertius Iuppiter:quoniam, ut iam docebo, plures Iones etiam accepimus. quando enim me in hunc locum deduxit oratio; docebo,meliora me didicisse de colendis dijs immortalibus iure pontificio,& maiorum more, capeduncilis ijs, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum. si enim uos sequar, dic, quid ei respondeam, qui me sic roget. Si dij sunt,sunt ne etiam Nymphae deae? si Nymphae, Panisci etiā,& Satyri. hi autem non sunt: ne Nymphae quidem deae igitur.at earum templa sunt publice uota,et dedicata.quid igitur? ne ceteri quidem ergo dij, quorum templa sunt dedicata.Age porro,Iouem, & Neptunum deum numeras: ergo etiam Orcus, frater eorum,deus,& illi,qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron,Cocytus,Styx,Phlegeton,tum Charon,tum Cerberus dij putandi.at id quidem repudiandum: ne Orcus quidem igitur. Quid dicitis ergo de fratribus? Haec Carneades agebat,non ut deos tolleret, (quid enim philosopho minus conueniens?) sed ut,Stoicos nihil de dijs explicare,conuinceret.itaque insequebatur.quid enim,aiebat,si ij fratres sunt in numero deorum,num de patre eorum Saturno negari potest? quē uulgo maxime ad occidentem colunt. qui si est deus, patrem quoque eius Caelum esse deum, confitendum est.quod si ita est,Caeli quoque parentes dij habendi sunt, Aeter,& Dies,eorumq. fratres, & sorores:qui a genealogis antiquis sic nominantur, amor, dolus, motus, labor, inuidentia,fatum,senectus,mors,tenebrae,miseria,querella,gratia,fraus, pertinacia,Parcae,Hesperides,somnia:quas omnes Erebo, & Nocte natos ferunt.aut igitur haec monstra probanda sunt, aut prima illa tollenda. Quid? Apollinem, Vulcanū, Mercurium,ceteros deos esse dices;de Hercule, Aesculapio,

sculapio, Libero, Castore, Polluce dubitabis? at hi qui dem coluntur aeque atque illi, apud quosdam etiam multo magis. ergo hi dij sunt habendi, mortalibus nati matribus.

EXPLANATIO

VT *haec concedantur*} quamuis haec concedantur, quae omittenda duxi, cum sint praeclara, & uetilissimilia. SED *ecquem*} Sophisticum argumentum, Id, quo uescimur non est deus, Cerere uescimur, Igitur Ceres non est dea. NAM, *quos*} Confutatio commenti de hominibus in deos relatis. ILLATAE *lampades*} Hercules regum sibi in monte Oeta instrui iussit, seque uiuum in eo combussit. IN *domum aeternam*} in Caelum. QVEM *tamen*} Argumentum ex circumstantia loci, Vlyxes conuenit Herculem apud inferos, Igitur non est in caelo. QVAMQVAM, *quem*} Homonymia in uoce Herculis excutitur. DE *tripode*} Pindarus Epharmostum Opuntium celebrans, dicit, Boni uiri, & sapientes a deo sunt: quomodo enim contra tridentem uibrasset clauā Hercules, contra quem pugnauit argenteo arcu Phoebus. Interpres dicit. Hercules Phoebum consuluit. redditae sortes, abesse deum, & ideo non uaticinari. indignatus Hercules, tripodem abiecit in contemptum Apollinis. IDAEIS *Dactylis*:} Ex perantiquis Maffei, & Sigonij libris, Dactylis, reposui; cum antea, Indigenis, legeretur: secutus & opinionem optimi, atque eruditissimi uiri, Constantij Fanensis, & Strabonem lib. 10. qui scribit, unum ex Idaeis Dactylis Herculem fuisse nominatum, & Diodorum in VI. cuius haec sunt uerba. Primi in Cretam circa Idam habitarunt Idaei Dactyli appellati. Et infra: Scribunt, unum ex eis appellatum Herculem. Haec Paullus pater. CAPEDVNCVLIS *ijs*,} id est uasculis ansatis, ut capi possint. Capis, inquit Pompeius, poculi genus, dictum a capiendo. A capide uero fit deminutiuum Capedula. & Capeduncula. IN *illa aureola oratione*} de religione scilicet, uti paullo superius. SI *dij sunt*} Syllogismus in condicionali. NYMPHE} Oceani filias, & Tethyos esse dixerunt antiqui, quarum aliae creditae sunt caelestes, aliae terrestres, aliae fluuiales, aliae marinae aliae stagnorum praesides. PANISCI} parui Panes. Panem Acheus poeta e caelo, & terra natū tradidit, quem deum Arcades maxime coluerunt. pars eius superior pingebatur homini persimilis, inferior deformis & persimilis brutis Orpheus Pana uniuersam naturam esse intellexit, quippe cuius elementa, & caelū sint membra, ut patet ex his uersibus:

Πᾶνα καλῶ κρατερὸν, γεθίον, κόσμοιο τὸ σύμπαν
Οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἰδὲ χθόνα παμβασίλειαν,
Καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ πανός.

SATYRI} Plinius lib. VII. nat. hist. animalia Satyras esse scribit uelocissima, quae quattuor pedes haberent in subsolanis Indorum montibus humana effigie ac recte currentia. Dicti sunt Satyri a salacitate, ut ait Theocriti enarrator cum σάθη tentigo sit & titillatio ad Venerem. Inter deos pastorum relati sunt. AGE *porro*} Aliud argumentum eiusdem formae. Si Iuppiter est deus, etiam Orcus & infernalia monstra erunt dij, sed infernalia monstra non sunt dij. Igitur nec Orcus. ORCVS} Dis est, quem Graeci Plutonem dicunt, ut paullo supra, libro II. Cicero in actione sexta in C. Verrem: Hic dolor erat tantus, ut Verres alter Orcus uenisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem uideretur. ACHERON, *Cocytus, Styx, Phlegeton*,} Quattuor fluuiorum nomina sunt, qui in inferno esse traduntur, quibus defluentis animae perturbationes quattuor significantur. nam Acheron dicitur, quasi fundens dolorem, cum ἄχος Graece, dolor Latine sit, & ῥέω, fluo. Cocytus uero significat Luctum, κωκύω Graece, lugeo Latine. Phlegeton, a Platone Pyriphlegeton dicitur, hoc est inflammatus. Styx, quasi στυγερός, odiosum significat. CHARON} Huius nomen laetitiam significat. Senex fingebatur nauta, qui accepta mercede quam quasi uiaticum in os singulis mortuis includerent, animas trans quattuor turbulenta inferorum flumina traijceret. CERBERVS} Inferorum custos fingitur atrocissimus canis, qui accedentes animas cum blanditijs excipit, at egredi conantes deturbat: quare, si qua celeriter effugere conetur, illam repente corripit ac uorat. Lucretius Epicureus philosophus, quoniam haec reuocare a uoluptatibus uidebantur, non solum Cerberum de medio ex Epicureorum sententia sustulit, sed omnia prorsus illa, quae supplicium aliquod nefarijs hominibus apud inferos post mortem minitarentur: cum ita scribat in lib. III. sui poematis;

Cerberus, & furiae iam uero, & lucis egenus
Tartarus horriferos eructans faucibus aestus,
Haec neque sunt usquam, nec possunt esse profecta.

DE *fratribus?*} filijs Saturni, & Rheae, quorum e numero Ceres. MINVS *conueniens?*} quia philosophus religionem reip. fundameutum labefactare non debet. SI *ij fratres*} κλίμαξ: Si Iuppiter & Neptunus fratres sunt dij, etiam pater eorum Saturnus est deus. Si Saturnus est deus, etiam pater eius Caelum erit deus. Si Caelum est deus, etiam parentes eius Aether &c. Sunt dij, Item lorores &c. GENEALOGIS} narratoribus generum, & originum. HESPERIDES} Fuerunt nymphae filiae Hesperi fratris Atlantis quae, in Mauritania circa Atlantem ipsum conuersum in montem, habebant hortum consitum arboribus ferentibus mala aurea, eaq. custodiebat Ladon draco insomnis. sed, cum Hercules Eurysthei iussu illuc uenisset, custode ipso interempto, mala decerpsit, & detulit ad Eurystheum. Sunt, qui dicant, Hesperidum hortum nihil aliud fuisse, quam Cornu, quod cum Hercules Acheloo flumini contra ipsum sub tauri forma proelianti detraxisset, & Hesperidibus nymphis dono dedisset, illae malis repleuerunt, & Cornucopiae appellarunt. Quamquam etiam non desunt, qui mala aurea Hesperidum dicant fuisse oues pulchras atque fecundas, quae ob id aurae nuncuparentur, quod pulcherrimum omnium rerum aurum sit. nam μῆλα, ut poma, sic oues quoque apud

Graecos

Graecos uocantur. AVT *prima tollenda* } deorum scilicet origines. QVID? *Apollinem.* } A pari cultu, & condicione deorum.

CICERO

QVID *Aristaeus, qui oliuae dicitur inuentor, Apollinis filius; Theseus, qui Neptuni; reliqui, quorum patres dij, non erunt in deorũ numero? quid, quorum matres? opinor etiam magis. ut enim in iure ciuili, qui est de matre libera, liber est: item iure naturae, qui de dea matre est, deus sit necesse est. itaq. Achillem Astypalea insula sanctissimum colit. qui si deus est: & Orpheus, & Rhesus dij sunt, matre musa nati, nisi forte maritimae nuptiae terrenis anteponuntur. si hi dij non sunt, quia nusquam coluntur; quo modo illi sunt? uide igitur, ne uirtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalibus: quod tu quoque, Balbe, uisus es dicere. quo modo autem potes, si Latonam deam, putes, Hecatem non putare, quae matre Asteria est, sorore Latonae? an haec quoque dea est? uidimus enim eius aras delubraq. in Graecia. sin haec dea est; cur non Eumenides? quae si deae sunt, quarum & Athenis fanum est, & apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinae: Furiae deae sunt, speculatrices, credo, & uindices facinorum, & scelerum. quod si tales dij sunt, ut rebus humanis intersint: Natio quoque dea putanda est: cui cum fana circuimus in agro Ardeati, rem diuinam facere solemus. quae quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est. ea si dea est; dij omnes illi, qui commemorabantur a te, honos, fides, mens, concordia, ergo etiam spes, moneta, omniaque, quae cogitatione nobismet ipsis possumus fingere. quod si uerisimile non est; ne illud quidem est, haec unde fluxerunt. Quid autem dicis? si dij sunt illi, quos colimus, et accepimus; cur non eodem in genere Serapim, Isimq. numeremus? quod si facimus, cur barbarorum deos repudiemus? boues igitur, & equos, ibes, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, feles, multas praeterea belluas in deorum numero reponemus. quae si reijciamus; illa quoque, unde haec nata sunt, reyciemus. Quid deinde? Ino dea dicetur, quae Leucothea a Graecis, a nobis Matuta dicitur, cũ sit Cadmi filia: Circe autem, & Pasiphae, e Perseide, Oceani filia, natae, patre Sole, in deorum numero nõ habebuntur? quamquam Circen quoque coloni nostris Circeienses religiose colunt. ergo hãc deã dicis. Quid Medeae respondebis? quae duobus auis, Sole, & Oceano, Aeeta patre, matre Idyia procreata est. Quid huius Absyrto fratri, qui est apud Pacuuium Egialeus? sed illud nomen ueterum litteris usitatius. qui si dij non sunt; uereor, quid agat Ino. haec enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. An Amphiaraus deus erit, & Traphonius? nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent. sed, si sunt hi dij; est certe Erechtheus, cuius Athenis & delubrum uidimus, et sacerdotem. quem si deum facimus: quid aut de Codro dubitare possumus, aut de ceteris, qui pugnantes pro patriae libertate ceciderunt? quod si probabile non est: ne illa quidem superiora, unde haec manãt, probanda sunt. atque in plerisque ciuitatibus intelligi potest, augendae uirtutis gratia, quo libentius reip. caussa periculum adiret optimus quisque, uirõrum fortium memoriam honore deorum immortaliũ consecratam. ob eam enim ipsam caussam Erechtheus Athenis, filiaeq. eius in numero deorum sunt. itemq. Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur. Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, a quo est urbs illa condita, quam quemquam nobilium deorum: apud quos, non inurbane Stratonicus, ut multa, cum quidam ei molestus Alabandum deum esse confirmaret, Herculẽ negaret, ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus,*

EXPLANATIO

ARISTAEVS, *qui oliuae dicitur inuentor, Apollinis filius;* } Aristaeum Apollinis, & Cyrenes nymphae filium fuisse testatur Virgil. Georg. lib. IV. in his:

Mater Cyrene, mater, quae gurgitis huius
Ima tenes: quid me praeclara stirpe deorum,
Si modo, quem memoras, pater est Tymbraeus Apollo,
Inuisum fatis genuisti?

At Cicero act. VI. in C. Verrem ita de Aristaeo scripsit: Aristaeus, qui, ut Graeci ferunt, Liberi filius, inuentor olei esse dicitur, una cum Libero patre, apud illos eodem erat in templo consecratus. THESEVS } Isocrates in Helenae laudatione, Theseus, inquit, dictus est Aegei filius, sed fuit Neptuni. VT *enim in iure* } Vbi non est connubium, partus sequitur matrem. Qui igitur hoc modo ex matre libera nascitur, liber est. QVI *de dea* } Dea matre natus est deus, Achilles est natus matre dea, scilicet Thetide, Igitur est deus. ASTYPALEA } insula maris Carpathij, patria Phalaridis tyranni. QVI } Achilles nymphae Thetidis filius, & Pelei. ORPHEVS } filius Calliopes musae, & Oeagri regis Thracij. MARITIMAE } quales Pelei, & marinae Thetidis. VIDE *igitur* } Honores, & memoria praestatur magnis uiris post mortem propter uirtutes ipsorum, non propter immortalitatem. EVMENIDES } infernae furiae, Alecto, Tisiphone, & Megera. Quidam Noctis, & Acherontis filias fuisse Eumenides tradiderunt. At Orpheus in hymno, quem scripsit in Eumenides, illas Plutonis, siue Iouis terrestris, & Proserpinae filias dixit in his:

Δεῦτε μου Ευμενίδες μεγαλώνυμοι ἀγέρωχοι, ἁγνή
Αγναὶ θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς χθονίοιο.

Φερσεφόνη τ' ἐρατῆς κούρης καλλιπλοκάμοιο.

Eumenides dictae sunt ab Oreste, quia Palladis consilio illas Argos profectus placasset, a beneuolentia, & mansuetudine, cum prius ab indignatione, & furore, Erinnyes dicerentur: ut scripsit Sophocles in Oedipode in Colono.

Ὥς σφας καλοῦμεν Εὐμενίδας ἐξ εὐμενῶν
Στέρνων δέχεσθαι τὸν ἱκέτην σωτήριον.

NATIO } quae praeest nascentibus. QVOS *colimus* } Si cultus facit deos, etiam ferae bestiae agentibus cultae erunt dij. SERAPIM } Sub forma tauri uiui, quem Serapim, hoc est sacrum taurum uocabant, Solem uenerabantur Aegyptij, & Lunam sub nomine Isidis. Isis prisca dicitur, inquit Eusebius, & hoc nomine appellatur Luna, quoniam sempiterna priscaq. sit. E *Perseide Oceani filia*, } Hesiodus in Theogonia sic scribit: Soli infatigabili peperit inclyta Oceanis Perseis Circem, & Aeetem regem. Aeetes autem filius Solis lucem dantis mortalibus, filiam Oceani duxit uxorem pulchram Idyiam. haec autem Pulchrisuram peperit Medeam. AEGIALEVS? } litoralis interpretatur. fuit enim a sorore laceratus, & per litus dispersus, ut insectantis patris impetus retardaretur. CIRCEIENSES } Circeium promontorium incolentes. Retinet adhuc nomen: Romana fuit colonia. PVBLICANI, } qui publica uectigalia conducebant. ERECHTEVS } genere Aegyptius, Athenis regnauit, docuitq. Atticos caerimonias, & mysteria Eleusinae Cereris translata ab Aegyptijs. hic immolauit filias Proserpinae prociuium salute. CODRVS } rex Atheniensium in bello contra Dorienses pro patria, & exercitu se deuouit. ATQVE *in plerisque* } Caussa finalis, cur in deos relati sint uiri magni, uidelicet, ut & memoria eorum in posteris haereret diutius, & alios ad imitationem uirtutis & industriae incitaret. LEOCORION } id est caesarum a Leo patre puellarum sacrarium. Sudas ita scribit: Pestilentia laborabat Attica regio, cuius piaculum erat filiorum iugulatio. Leos quidam filias mactauit, urbemq. liberauit, & inde locus est dictus Leocorium. Erat autem in Ceramico. nomina filiarum haec, Pasithea, Theope, Eubulia. STRATONICVS } urbanissimus fuit citharoedus, cuius meminit Strabo, & Eustathius, Libyci Dionysij interpres.

CICERO

ILLA autem, Balbe, quae tu a caelo, astrisq. ducebas, quam longe serpant, non uides: Solem deum esse, Lunamque: quorum alterum Apollinem Graeci, alteram Dianam putant. quod si Luna dea est: ergo etiam lucifer, ceteraeq. errantes numerum deorum obtinebunt: igitur etiam inerrantes. cur autem arcus species non in deorũ numero reponatur? est enim pulcher, & ob eam caussam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata. cuius si diuina natura est; quid facies nubibus? arcus enim ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratus. quarum una etiam Centauros peperisse dicitur quod si nubes retuleris in deos, referendae certae erunt tempestates, quae populi R. ritibus consecratae sunt. ergo imbres, nimbi, procellae, turbines sunt dij putandi. nostri quidem duces, mare ingredientes, immolare hostiam fluctibus consueuerunt. Tum si est Ceres a gerendo; ita enim dicebas: terra ipsa dea est, & ita habetur. quae est enim alia Tellus? sin terra: mare etiã; quem Neptunum esse dicebas: ergo et flumina, et fontes: itaque & fontis delubrum Marso ex Corsica dedicauit: & in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina uidemus. ergo hoc aut in immensum serpet; aut nihil horum recipiemus, nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. nihil ergo horũ probandum est. Dicamus igitur, Balbe, oportet contra illos etiam, qui hos deos ex hominum genere in caelum translatos non re, sed opinione esse dicunt, quos auguste omnes sanctéq. ueneramur. Principio, Ioues tres numerãt ij, qui theologi nominãtur: ex quibus primum & secundum natos in Arcadia, alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt, & Liberum; alterum patre Caelo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem & inuentricem belli ferũt: tertium Cretensem Saturni filium; cuius in illa insula sepulcrum ostenditur. Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur. primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Ioue rege antiquissimo, & Proserpina nati, Tricopatreus, Eubuleus, Dionysius. secundi Ioue tertio nati ex Leda, Castor, & Pollux. tertij dicuntur a non nullis Aleo, & Melãpus, Emolus, Atrei filij, qui Pelope natus fuit. Iam musae primae, quattuor, natae Ioue altero, Thelxiope, Mneme, Aoede, Melete. secundae Ioue tertio, & Mnemosine procreatae nouem. tertiae Ioue tertio Pieriae natae, & Antiopa: quas Pieridas, & Pierias solent poetae appellare, ysdem nominibus, eodem numero, quo proximae superiores. cumq. tu Solem, quia solus esset, appellatum esse dicas: Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur? unus eorum Ioue natus, nepos Aetheris: alter Hiperione: tertius Vulcano, Nili filio: cuius urbem Aegypti uolunt esse eam, quae Heliopolis appellatur. quartus is, quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, auam Ialysi, Camiri, & Lindi. quintus, qui Colchis fertur Aeetam & Circen procreauisse. Vulcani item, primus Coelo natus, ex quo Minerua Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse uoluerunt. secundus Nilo natus Opas, ut Aegyptij appellant. quem custodem esse Aegypti uolunt. tertius ex tertio Ioue, & Iunone, qui Lemni fabricae traditur praefuisse. quartus Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quae Vulcaniae nominabantur.

EXPLA-

EXPLANATIO

ILLA *antem Balbe* } Argumentum a non distributo ad distributum, Si Sol est deus, & Luna, omnes stellae erunt dij. CVR *autem arcus* } Iris ab εἴρειν, id est loqui nomen habet, propterea quod nuncia est, auctore Platone in Cratylo. THAVMANTE } id est admiratione. E *nubibus* } quoniam Solis radij in nubibus repercussi, uarios colores arcus exprimunt. QVARVM *una* } Nephele dicta, cō: nebularum nomine apud Graecos. CENTAVROS *peperisse dicitur* } De eorum ortu ita Hyginus: Ixion Leontei filius, conatus est Iunonem comprimere. Iuno Iouis iussu nubem supposuit, quam Ixion Iunonis simulacrum esse credidit, ex ea nati sunt centauri. superna parte homines, inferiore equi fuisse traduntur, Centauri ob id dicti, quod in taurorum morem in hostes impetum facerent, essentq. prope in re militari furibundi. Palaephatus cū uult Centauros id nomē esse, quod tauros Catecenton, hoc est, pungentes feriebant: alioqui, inquit, nihil Tauri Centauris ipsis inest. RITIBVS } sacris caerimonijs. inde poetae fabulantur mactatas fuisse uictimas hiemi, & tempestatibus. SPINONEM, *Auemonē, Hodinum*, } Haec sunt nomina fluuiorum, siue riuulorum non longe ab urbe Roma. ERGO *hac aut* } Conclusio in disiunctiua, Aut innumerabilis erit deorum multitudo, aut omnis opinio de dijs erit falsa, DICAMVS *igitur* } De dijs, qui ex hominibus facti putantur. QVI *Theologi* } Theologi nomen commune est omnibus de dijs disserentibus. IN *Arcadia*, } apud Azanes populos. DIOSCVRI } Iouis filij, scilicet Castor, & Pollux, ἄνακες dicti unde ἄνακτες, id est reges nomen habent. Δὶὸς Iouis nomē est, & κοῦροι Graece, Latine filius & puer. THELXIOPE } id est, suauiloqua. MNEME, } memoria. AOEDE, } cantilena. MELETE. } meditatio. PIERIAE } apud Pieriam Thraciae locum. HELIOPOLIS } Solis ciuitas. RHODI } apud Rhodū, urbem, & insulam eiusdem nominis. CVSTODEM } tutelarem deum. LEMNI } insula est in mari Aegeo, Vulcano sacra. FABRICAE } artificio cuique.

CICERO

MERCVRIVS nuus Coelo patre, Die matre natus: cuius obscenius excitata natura traditur, quod adspectu Proserpinae commotus sit. alter Valentis & Phoronidis filius, is, qui sub terris habetur: idem Trophonius. tertius Ioue tertio natus, & Maia, ex quo & Penelopa Pana natum ferunt. quartus Nilo patre, quem Aegyptij nefas habent nominare. quinctus, quem colunt Phaeneatae, qui et Argum dicitur interemisse, ob eamq. caussam Aegypto praefuisse, atque Aegyptijs leges & litteras tradidisse. hunc Aegyptij Thoith appellant: eodemq. nomine anni primus mensis apud eos uocatur. Aesculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum inuenisse, primusq. uulnus dicitur obligauisse. secundus secundi Mercurij frater: is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris. tertius Arsippi, & Arsinoae: qui primus purgationem alui, dentisq. euulsionem, ut ferunt, inuenit: cuius in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum, & lucus ostenditur. Apollinum antiquissimus is, quem paullo ante ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum. Alter Coribantis filius, natus in Creta: cuius de illa insula cum Ioue ipso certamen fuisse traditur. tertius Ioue tertio natus & Latona: quem ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenisse. quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse. Dianae item plures: prima Iouis, & Proserpinae, que pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. secunda notior: quam Ioue tertio & Latona natam accepimus. tertiae pater Vpis traditur, Glauce mater. eam Graeci saepe Vpim paterno nomine appellant. Dionysios multos habemus: primum e Ioue, et Proserpina natum: secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: tertium Caprio patre; eumq. regem Asiae praefuisse dicunt; cui Sabazea sunt instituta: quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici: quinctum Niso natū, & Thione; a quo Trieterides constitutae putantur. Venus prima Coelo & Die nata; cuius Elide delubrum uidemus. altera spuma procreata; ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. tertia Ioue nata, & Dione; quae nupsit Vulcano. sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. quarta Syria, Tyroq. concepta: quae Astarte uocatur: quam Adonidi nupsisse traditum est. Minerua prima, quam Apollinis matrem supra diximus. secunda orta Nilo, quam Aegyptij Saitae colunt. tertia illa, quam Ioue generatam supra diximus. quarta Ioue nata & Coriphe Oceani filia: quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inuentricem ferunt. quincta Pallantis: quae patrem dicitur interemisse, uirginitatem suam uiolare conantem: cui pinnarum talaria affingunt. Cupido primus Mercurio & Diana prima natus dicitur: secundus Mercurio & Venere secunda: tertius quidem est Anteros Marte & Venere tertia. atque haec quidem, atque eiusmodi ex uetere Graeciae fama collecta sunt. quibus intelligis resistendum esse, ne perturbentur religiones. nostri autem non modo haec non refellunt, uerum etiam confirmant, interpretando quorsum quidque pertineat.

EXPLANATIO

PHAENEATAE, } Arcades, a Pheneo opido. THOITH } Eusebius inquit, Quem Aegyptij Thoith, Alexandrini Thoth, Graeci Mercurium appellāt. idem sentit etiam Sudas. ANNI *primus mensis* } Primus mē sis Aegyptiorum θώθ copulatur ab Aetio cum nostro Septembri. Nam Aegyptij annum inchoant a quarto Kal.

Septem-

Septembris. CYNOSVRIS } Cynosura, inquit Stephanus, summitas quaedam est Arcadiae, nomen habuit a Cynosuro Mercurio. HYPERBOREI } populi super boream. NOMIONSM } legum tributorem. NYSAM } Eurysthei filiam, & Dionysij nutricem. CVI *Sabazea sunt instituta* : } Ex perantiquo Sigonij libro, meliore, ut opinor sententia, Cui Sabazea; reposui: pro, in honorem cuius: cum antea, Cuius Abazea, legeretur. Sabazius autem Dionysij cognomen fuit: unde Sabazia sacra. cuius nominis etymologiam Sudas explanat in uerbo σαβάζιος, & Aristophanis interpres in Auibus, & Vespis. Vt fortasse apud Macrob. lib. I. Saturn. legendum sit, Sabazium, non Sebadium. Haec Paullus pater. ORPHICA } ab Orpheo instituta, in quibus ipse postea dilaceratus est. TRIETERIDES } ita dicuntur Bacchichae sollemnitates tertio quoque anno celebratae. ANTEROS } amor oppositus, contrarius. SAITAE } Incolae Sais urbis Aegypti. PINNARVM *talaria* } pinnata calciamenta ad talos. ATQVE *haec quidem* } Epilogus, monens, quorsum ista tam longa commenticiorum numinũ enumeratio pertineat. PERTVRBENTVR } propter multitudinem deorum, quib. eadem nomina tribuũtur.

CICERO

SED eo iam, unde huc digressi sumus, reuertamur. Num censes igitur subtiliore ratione opus esse ad haec refellenda? nam mentem, fidem, spem, uirtutem, honorem, uictoriam, salutem, concordiam, ceteraq. eiusmodi rerum uim habere uidemus, non deorum. aut enim in nobismet insunt ipsis, ut mens, ut fides, ut spes, ut uirtus, ut concordia: aut optandae nobis sunt, ut honos, ut salus, ut uictoria. quarum rerum utilitate uideo etiam consecrata simulacra: quare autem in his uis deorum insit, tum intelligam, cum cognouero. quo in genere uel maxime est fortuna numeranda: quam nemo ab inconstantia, & temeritate seiunget: quae digna certe non sunt deo. Iam uero quid uos illa delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum? exsectum a filio Coelum, uinctum itidem a filio Saturnum. haec, & alia generis eiusdẽ ita defenditis, ut ij, qui ista finxerunt, non modo non insani, sed etiam sapientes fuisse uideantur. in enodandis autem nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Saturnus, quia se saturat annis: Mauors, quia magna uertit: Minerua, quia minuit, aut quia minatur: Venus, quia uenit ad omnia: Ceres a gerendo. quam periculosa consuetudo? in multis enim nominibus haerebitis. quid Veioui facies? quid Vulcano? quãquam, quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis una littera explicare, unde ductum sit. in quo quidem magis tu mihi natare uisus es, quam ipse Neptunus. Magnam molestiam suscepit, & minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commenticiarum fabularum reddere rationem, uocabulorum, cur quidque ita appellatum sit, caussas explicare. quod cum facitis, illud profecto confitemini, longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit: eos enim, qui dij appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum. qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in Palatio, & Orbonae ad aedem Larum; et aram Malae Fortunae Esquilijs consecratam uidemus. omnis igitur talis a philosophia pellatur error, ut, cum de dijs immortalibus disputemus, dicamus digna dijs immortalibus: de quibus habeo ipse quid sentiam, non habeo autem quid tibi assentiar. Neptunum esse dicis animum cum intelligentia per mare pergẽtem, idem de Cerere. istam autem intelligentiam, aut maris, aut terrae non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. itaque aliunde mihi quaerendum est, ut, & esse deos, & quales sint, discere possim, quam quales tu eos esse uelis. Videamus ea, quae sequuntur: primum, deorum ne prouidentia mundus regatur: deinde, consulant ne dij rebus humanis. haec enim mihi ex tua partitione restant duo. de quibus, si uobis uidetur, accuratius disserendum puto. Mihi uero, inquit Velleius, ualde uidetur. nam & maiora exspecto: et his, quae dicta sunt, uehementer assentior. Tum Balbus, Interpellare te, inquit, Cotta, nolo. sed sumemus tempus aliud: efficiam profecto, ut fateare.

EXPLANATIO

NAM *mentem* } Mens, Fides &c. non sunt dij. primo, quia tantum sunt rerum appellationes. Secundo uel in nobis sunt, uel expetendae sunt. TVM *intelligam* } Prius cognosci, seu disci oportet, quae intelligi uolumus. FORTVNA } Argumentum a condicione Fortunae, Inconstantia non cadit in deum, Fortuna est inconstans, Igitur non est Dea. IAM *uero quid* } Vituperatio scrupulosae explicationis fabularum, & nominum deorum. ENODATIO } originatio, quam Graeci etymologiam dicunt. QVID *Veioui facies? quid Vulcano?* } ac si dicat, horum etymologia obscura est. Sunt tamen, qui Veiouem paruum Iouem interpretentur, siue Iouem carentem facultate iuuandi. MAGIS *tu mihi* } Locus in ineptum ductorem nominum. EOS *enim, qui* } Duplex ratio ad refellendos confictos deos. Prior: Venus, Neptunus, &c. sunt appellationes rerum naturas, non deorum figuras exprimentes. Altera: Res etiam perniciosae pro dijs habentur; contra naturam dei. IN *Palatio, & Orbonae ad aedem Larum,* } Ex peruetustis Maffei, & Sigonij libris hunc locum ex deprauata ad ueram lectionem restitui: cum haec duo uerba, Orbonae ad, in impressis libris non essent. de Orbona quidem meminit Plinius lib. 2. cap. 7. Haec Paullus pater. *Orbonae:* inducentis orbitatem, id est priuationem rerum carissimarum, ut oculorum, & filiorum, ceterorumq. id genus. VT *cum de dijs* } de Deo non nisi reuerenter, & pie disputandum. VIDEAMVS *ea, quae* } Transit ad posteriores duas partes disputationis. RESTANT *duo* } uidelicet, an prouidentia diuina gubernetur mundus, an etiam consulat rebus humanis.

CICERO

sed.

multa desunt

Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio.
Nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?
Niobe parum ne ratiocinari uidetur, & sibi ipsa nefariam pestem machinari? illud uero quam callida ratione,
Qui uolt quod uolt, ita dat se res ut operam dabit:
qui est uersus omnium seminator malorum:
Ille transuersa mente mihi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo;
Mihi maerores, illi luctum; exitium illi, exsilium mihi.
hanc uidelicet rationem, quam nos diuino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiae non habent. uides ne igitur, quanto munere deorum simus affecti? atque eadem Medea patrem, patriamq. fugiens;
Postquam pater appropinquat, iamque, paene, ut comprehendatur, parat,
Puerum interea obtruncat, membraq. articulatim diuidit,
Perq. agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
Vt, dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interea effugeret; illum ut maeror tardaret sequi,
Sibi salutem ut familiari pareret paricidio.
huic ut scelus, sic nec ratio quidem defuit. Quid ille, funestas epulas fratri comparans, non ne uersat huc, & illuc cogitatione rationem?
Maior mihi moles, maius miscendum est malum,
Qui illius acerbum cor contundam, & comprimam.
nec tamen ille ipse est praetereundus, qui non sat habuit coniugem illexisse in stuprum: de quo recte & uerissime loquitur Atreus:
Quod re in summa summum esse arbitror
Periclum, matres coinquinari, regiam
Contaminari stirpem, admisceri genus.
at id ipsum quam callide, qui regnum adulterio quaereret?
Addo (inquit) huc, quod mihi portento caelestum pater
Prodigium misit regni stabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma,
Quondam Thyestem clepere ausum esse e regia:
Qua in re adiutricem coniugem cepit sibi.
uidetur ne summa improbitate usus non sine summa esse ratione? Nec uero scena solum referta est his sceleribus, sed multo uita communis paene maioribus. sentit domus uniuscuiusque, sentit forum, sentit curia, campus, socij, prouinciae, ut, quemadmodum ratione recte fiat, sic ratione peccetur; alterum & a paucis, & raro, alterum & saepe, & a pluribus: ut satius fuerit, nullam omnino nobis a dijs immortalibus datam esse rationem, quam tanta cum pernicie datam. ut uinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino, quam, spe dubiae salutis, in apertam perniciem incurrere: sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, sollertiam, quam rationem uocamus, quoniam pestifera sint multis, admodum paucis salutaria, non dari omnino, quam tam munifice & tam large dari. quamobrem, si mens, uoluntasq. diuina iccirco consuluit hominibus, quod ijs largita est rationem: ijs solis consuluit, quos bona ratione donauit: quos uidemus, si modo ulli sunt, esse paucos. non placet autem, paucis a dijs immortalibus esse consultum: sequitur ergo, ut nemini consultum sit.

EXPLANATIO

SED } Plurima hic desiderantur pertinentia ad illam disputationem, An prouidentia diuina gubernetur mundus. Quae uero sequuntur ad reliquam illam disputationem pertinent, An dij consulant rebus humanis: quae etiam pars mutila est. NEQVAQVAM *istuc istac ibit:* } Verba sunt Niobes apud poetam tragicum, & difficilem habent sensum, quoniam praecedentia desunt. MAGNA *inest certatio* } ac si dicat Niobe: Multum distat animus meus ab eo, quod suadetis, ut scilicet blanda, & humili oratione supplicem Latonae. numquam id faciam, quod meo stemmati non conuenit. sum enim Tantali, ac Taugetes Atlantidos filia, necnon, & uxor Amphionis Thebarum regis. PARVM *ne ratiocinari* } ostendit Cotta ratiocinationem & consilium fuisse aliquando scelerum & flagitiorum caussam. idq. primum Niobes exemplo, deinde Medeae, Atrei, & Thyestis. ILLVD *uero quam callida ratione,* } Subaudi, dictum est. Transit Cotta ad Medeae sententiam callida ratione subnixam. QVI *uolt quod uolt* } Haec sunt uerba Medeae nullum in rebus discrimen ponentis. Sensus est: Quaecumque res nobis desiderata fuerit, eueniet, dummodo quantum satis est studeamus ut eueniat. QVI *uersus* } Notat Cotta hoc Medeae nefarium consilium esse scelerum omnium originem. ILLE } scilicet Iason, qui repudiata Medea superinduxerat Creusam Creontis Corinthiorum regis filiam, ut diffuse narrat Euripides in Medea. MIHI } Medeae scilicet. eius enim haec sunt uerba. REPAGVLA, *quibus &c.* } Praebuit, inquit, caussam, ut ira penitus exardescam. *Repagula:* instrumenta firmiter occludendis foribus apta. Plaut. Cistel. Occludite aedes pessulis repagulis. HANC *uidelicet rationem,* } Verba sunt Cottae, damnantis humanum consilium, & rationem, quibus ueluti peculiaribus muneribus deum hominibus consuluisse tradebant Stoici. VIDES *ne igitur* } Ironia. MEDEA } Haec Aeetae patris iram metuēs, fugit, & per uiam Absyrti fratris discerpta membra dispergit, quo maerore confectus pater minus acceleret. PATRIAM }

Colchos.

Colchos. FVGIENS] Argonautas secuta, & aureo uellere exportato. POSTQVAM *pater &c.*] Septenarium hunc uersum oportet esse, quemadmodum & sequentes reliqui sunt. ut autem legitur, pedibus recte distingui non potest. neque secus habent antiqui libri. sed animaduerti, uersum, nulla mutatione, restitui posse, si ita scribatur, ut incipiat a uerbo, Appropinquat, & duae antecedentes dictiones, tamquam superioris uersus extremae, seiungantur. Haec Paullus pater. QVID *ille*] Atreum innuit, qui fratri apposuit coctos filios, & paternum pectus effecit filiorum sepulcrum. MAIOR *mihi moles*] uerba sunt Atrei, quibus ostenditur illius ratiocinatio. ut ratiocinatio non diuino munere hominibus data ostendatur, cum tanti sceleris caussa fuerit. ILLE] Thyestes, qui etiam in primis culpandus est ob calliditatem; qua usus est in corrumpenda Aerope Cressa Atrei fratris uxore, e qua suscepit filios, quos demum inscius comedit. SCENA] poetarum libri. Amplificatio malorum rationis. CAMPVS] Martius. SOCII] amici Romanae reipub. quos auari quaestores, & praetores spoliabant. PROVINCIAE] gentes Romanis legibus parentes. ALTERVM] recta facere. QVAMOBREM *si*] Conclusio repetens argumentum, Dona dei salutaria non contingunt paucis tantum. Ratio bona perpaucis tantum contingit. Igitur ratio bona non est donum salutare. SI *modo ulli sunt*] ita dicit, quia, ut paullo infra, aestimat Cotta, rationem a deo tantum pendere, bonam autem rationem, aut non bonam, ab hominibus.

CICERO

HVIC loco sic soletis occurrere, non iccirco non optime nobis a dijs esse prouisum, quod multi eorum beneficio peruerse uterentur: etiam patrimonijs multos male uti, nec ob eam caussam eos beneficium a patribus nullum habere. Quis istuc negat? aut quae est in collatione ista similitudo? nec enim Herculi Deianira nocere uoluit, cum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit; nec prodesse Pheraeo Iasoni is, qui gladio uomicam eius aperuit, quam sanare medici non poterant. multi enim, etiam cum obesse uellent, profuerunt; &, cum prodesse, obfuerunt. ita non fit, ex eo, quod datur, ut uoluntas eius, qui dederit, appareat: nec, si is, qui accepit, bene utitur, iccirco is, qui dedit, amice dedit. quae enim libido, quae auaritia, quod facinus aut suscipitur, nisi consilio capto; aut sine animi motu, & cogitatione, id est ratione, perficitur? nam omnis opinio ratio est, & quidem bona ratio, si uera; mala autem, si falsa est opinio. sed adeo tantum rationem habemus, si modo habemus: bonam autem rationem, aut non bonam, a nobis. non enim, ut patrimoniũ relinquitur, sic ratio homini est beneficio deorum data. quid enim potius hominibus dedissent, si ijs nocere uoluissent? iniustitiae autem, intemperantiae, timiditatis quae semina essent, si his uitijs ratio non subesset? Medea modo, & Atreus commemorabantur a nobis, heroicae personae, inita, subductaq. ratione, nefaria scelera meditãtes. quid leuitates comicae, parum ne semper in ratione uersantur? parum ne subtiliter disputat ille, in Eunucho?

Quid igitur faciam?
Exclusit, reuocat: redeam? non, si me obsecret.

ille uero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui in amore summo, summaq. inopia suaue esse dicit,

Parentem habere auarum, illepidum, in liberos
Difficilem, qui te nec amet, nec studeat tui.

atque huic incredibili sententiae ratiunculas suggerit:

Aut tu illum fructu fallas: aut per litteras
Auertas aliquod nomen: aut per seruolum
Percutias pauidum: postremo, a parco patre
Quod sumas, quanto dissipas libentius?

idemq. facilem & liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat: quem

Neque quo pacto fallam, neque quid inde auferam,
Nec quem dolum ad eum, aut machinam commoliar,
Scio quidquam: ita omnes meos dolos, fallacias,
Praestigias praestrinxit commoditas patris.

quid ergo isti doli? quid machinae? quid fallaciae, praestigiaeq.? num sine ratione esse potuerunt, o praeclarum munus deorum: ut Phormio possit dicere,

Cedo senem: iam instructa mihi sunt in corde consilia omnia.

Sed exeamus e theatro: ueniamus in forum. Sessum ite precor: quid ut iudicetur? qui tabularium incenderit. quod facinus occultius? at se Q. Sosius, splendidus eques R. ex agro Piceno, fecisse confessus est. Qui trãsscripserit tabulas publicas. id quoque L. Alenius fecit, cum chyrographum Sex primorum imitatus est. quid hoc homine sollertius? Cognosce alias quaestiones, auri Tolosani, coniurationis Iugurthinae. repete superiora Tubuli de pecunia capta ob rem iudicandam: posteriora de incestu rogatione Peducaea: tum haec quotidiana, sicae, uenena, peculatus, testamentorũ etiam lege noua quaestiones. inde illa actio, Ope, consilioq. tuo furtũ aio factũ esse: inde tot iudicia de fide mala, tutelae, mandati, pro socio, fiduciae; reliqua, quae ex empto, aut uendito, conducto, aut locato cõtra fidem fiunt: inde iudicium publicum rei priuatae lege Laetoria: inde, euerriculum malitiarum omniũ, iudicium de dolo malo: quod C. Aquillius, familiaris noster, protulit. quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum.

EXPLANATIO

HVIC *loco*] Praeoccupatio de abusu rationis. OCCVRRERE] repugnare. QVIS *istuc negat*] Concessio, Sint quidem res bonae, & malae abusui obnoxiae: sed incertum tamen est, cum omnia facinora ratione perficiantur, boni ne, an mali caussa data sit ratio. AVT *quae est &c.*] nulla inquit intercedit similitudo, ut de eisdem idem ferri possit iudicium. DEIANIRA] filia fuit Oenei regis Aetoliae, ac uxor

Herculis. NEC *nocere uoluit* ꝫ ac si dicat, Noluit nocere quae Nexi uerbis decepta uoluit uirum ad amorem reuocare Quare nec ratio hominibus data potest ostendere benignitatem diuinam, cum ea quae dantur non possint arguere ipsius dantis, id quod etiam persequenti opposito exemplo manifestum est. PHERAEO *Iasoni* ꝫ Iasoni Phere Thessaliae opidum uexanti. VOMICAM ꝫ tumorem purulentum, ita dictum a uomendo. cuius aperitio profuit tyranno, sed qui uulnerauit, uoluit interficere, non sanare. AMICE ꝫ animo amico. QVAE *enim libido* ꝫ Enumerat multa mala, quae ratione proficiscuntur: ut eo magis ostendat rationem fuisse munus perniciosum. OMNIS *opinio ratio est* ꝫ hoc est insitam habet rationem. siue motum & cogitationem, SI *falsa est opinio.* ꝫ Satis est Si falsa: & fortasse ita scripsit Cicero. SED *a deo tantum* ꝫ Distinctio rationis, ut alia sit simplex, qualis a deo datur, alia cum bono, & malo commixta, qualis in homine bene uel male agendo exsistit Si *modo habemus;* ꝫ rationem scilicet diuinam. Loquitur uti Academicus, cuius decretum est omnia in dubium reuocare. NON *enim ut patrimonium* ꝫ Aestimat Cotta bonam, aut malam rationem non pendere a deo, consequens ergo erat humanam rationem non esse habendam loco beneficij, ut patrimonium, & de dissimilibus idem iudicium ferri non posse. QVID *enim* ꝫ ostendat Cotta humanam rationem etiam uideri posse deorum maleficio datam. si ratione hominibus consulere dicantur. idq. confirmat exemplis iam allatis e tragico carmine. HEROICAE ꝫ regiae. INITA, *subductaq. ratione* ꝫ accurata meditatione. Translatio ab Arithmeticis, qui ratiocinando, tum addunt calculos, tum subtrahunt, ut summam reliqui faciant. PARVM *ne subtiliter* ꝫ Exempla amatorum ratione secum pugnantium, id est deliberantium contra rationem de dolis. Vt cum alter dicit, suaue esse, habere parentem auarum, fatetur quidem bonum esse, carere pecunia, sed nihilominus cogitat de fallendo patre, quo pecuniam comparet. IN *Eunucho* ꝫ nomen est Comoediae Terentij. in qua Phaedria consultat, an exclusus debeat redire ad Thaidem. IN *Synephebis* ꝫ comoedia est Caecilij Statij, de qua alibi diximus. O *praeclarum munus deorum:* ꝫ Ironice loquitur Cotta. VT *Phormio* ꝫ Terentianus seruus possit gloriari, ut herum suum senem fallacijs ceciderit. INSTRVCTA ꝫ parata. SED *exeamus* ꝫ Transit Cotta a commentarionibus poeticis ad exempla forensi, quibus demonstrat homines magnos, & sollertes ratione peccare. ITE *sessum* ꝫ tamquam iudices grauissimas caussas cognituri. QVAESTIONES ꝫ inquisitiones, iudicia. AVRI *Tolosani* ꝫ Huius meminit Gellius in I.II. dicens: Nam cum opidum Tolosam Q. Caepio consul diripuisset, multumq. auri in eius opidi templis fuisset; quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabiliq. exitu perijt. CONIVRATIONIS *Iugurthinae* ꝫ Sallustius Iugurthae regis Numidiae corruptelas exponens, Romanorumq. notans auaritiam, ita dicit: C. Manlius trib. pleb. rogatione ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus & imperijs pecunias accepissent, item qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent. TVBVLI ꝫ De eodem dictum est in secundo de Fin. ROGATIONE *Peducaea:* ꝫ id est, lege, seu per legem Peducaei. PECVLATVS ꝫ pecuniae publice furta. TESTAMENTORVM *etiam* ꝫ Id est, exquisitiones nouae criminis commissi in testamentis. ILLA *actio, ope* ꝫ Competit haec actio aduersus eum, qui opem, & consilium ad surripiendum rem alienam praestat. Pandect. lib. XLVII. tit. II. l. in furt. MANDATI ꝫ Haec actio datur aduersus eum, qui mandatum susceptum non expediuit, uel perperam gessit &c. Pandect. lib. XVII. tit. I. l. si quis. PRO *socio* ꝫ Actio pro socio datur socio aduersus socium in hoc, ut fiat collatio atque diuisio rei, lucri, damni, &c. Institu. lib. III. tit. XXVI. de societate. FIDVCIAE ꝫ alienationes factae interposita fide restitutionis. REI *priuatae* ꝫ Lege Laetoria concedebatur de re priuata agere iudicio publico, quod indignum esse Cic. existimat, quod satius sit priuata priuatim componi, quam diuulgari. LEGE *Laetoria:* ꝫ Sic ex antiquis nummis, & fastis Capitolinis, non, Lectoria, ut antea, legendum est. Haec Paullus pater. LEGE *Laetoria:* lata a Laetorio. de hac lege meminit idem Cicero in III. de Off. & Iulius Capitolinus in M. Antonino. EVERRICVLVM ꝫ expurgatio. Translatio ab euerriculo piscatorum, quod est quoddam genus retis a uerrendo dictum: nam, quidquid piscium inuenerit, euerrit. IVDICIVM *de dolo malo* ꝫ de his, qui dolose aliquid egissent, quod mereatur paenam. TVM *teneri* ꝫ tunc consistere, committi.

C I C E R O

HANC igitur a dijs immortalibus tantam arbitramur malorum sementem esse factam? si enim rationem hominibus dij dederunt: & malitiam dederunt. est enim malitia, uersuta, & fallax nocendi ratio. ijdem autem dij fraudem dederunt, facinus, ceteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione, nec effici potest. utinam igitur, ut illa anus optat,

- ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes;

sic istam calliditatem hominibus dij ne dedissent, qua perpauci bene utuntur: qui tamen ipsi saepe a male utentibus opprimuntur. innumerabiles autem improbe utuntur: ut donum hoc diuinum rationis, & consilij, ad fraudem hominibus, nō ad bonitatem impertitum esse uideatur. Sed urgetis identidem, hominum esse istam culpam, non deorum: ut si medicus grauitatem morbi, gubernator uim tempestatis accuset. etsi hi quidem homunculi, sed tamen ridiculi. quis enim te adhibuisset, dixerit quispiam, si ista non essent? contra deum licet disputare liberius. In hominum uitijs ais esse culpam. eam dedisses hominibus rationem, quae uitia, culpamq. excluderet. ubi igitur locus fuit errori deorum? nam patrimonia, spe bene tradendi, relinquimus: qua possumus falli: deus falli qui potuit? an ut Sol, in currum cum Phaetontem filium sustulit? aut Neptunus, cum Theseus Hippolytum perdidit, cum ter optandi a Neptuno patre habuisset potestatem? poetarum ista sunt: nos autem philo

sophi

sophi esse nolumus, rerum auctores, non fabularum. atque ij tamen ipsi dij poetici, si sciissent perniciosa fore illa filijs, peccasse in beneficio putarentur. & si uerum est, quod Aristo Chius dicere solebat, nocere audientibus philosophos ijs, qui bene dicta male interpretarentur: posse enim asotos ex Aristippi, acerbos e Zenonis schola exire: prorsus, si, qui audierunt, uitiosi essent discessuri, quod peruerse philosophorum disputationem interpretarentur; tacere praestare philosophis, quam ijs, qui se audissent, nocere: sic, si homines rationem bono consilio a dijs immortalibus datam, in fraudem, malitiamq. conuertunt; non dari illam, quam dari humano generi, melius fuit. ut si medicus sciat, eum aegrotum, qui iussus sit uinum sumere, meracius sumpturum, statimq. periturum, magna sit in culpa: sic uestra ista prouidentia reprehendenda, quae rationem dederit ijs, quos scierit ea peruerse, & improbe usuros. Nisi forte dicitis eam nesciuisse. utinam quidem. sed non audebitis: non enim ignoro, quanti eius nomen putetis. sed hic quidem locus concludi iam potest. nam, si stultitia, consensu omnium philosophorum, maius est malum, quam si omnia mala, & fortunae, & corporis ex altera parte ponantur; sapientiam autem nemo assequitur: in summis malis omnes sumus, quibus uos optime consultũ a dijs immortalibus dicitis. nam, ut nihil interest, utrum nemo ualeat, an nemo possit ualere: sic non intelligo, quid intersit, utrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit. Ac nos quidem nimis multa de re apertissima: Telamon autem uno uersu locum totum conficit, cur dij homines negligant:

Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quid nunc abest.

debebant illi quidem omnes bonos efficere, siquidem hominum generi consulebant: sin id minus, bonis quidem certe consulere debebant. cur igitur duos Scipiones, fortissimos, & optimos uiros, in Hispania Poenus oppressit? cur Maximus extulit filium consularem? cur Marcellum Hannibal interemit? cur Paullum Cannae sustulerunt? cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt?

EXPLANATIO

QVORVM *nihil nec* } Nulla fraus potest suscipi sine ratione. Igitur ratio est caussa efficiens fraudis. VTINAM *igitur* } Homines plerumque incolumitatibus transferunt culpam in caussas remotas. sicut mulier haec caussam transfert in sectionem lignorum, ex quibus nauis erat fabrefacta, in qua aduecti fuerunt Argiui. lib. II. Rhet. ad Heren. VT *illa anus* } Nutrix Medeae apud Euripidem in principio Medeae tragoediae uerba haec enunciat, quae Ennius sic imitatus est: Vtinam ne in nemore Pelio caesae ad terram cecidissent abiegnae trabes. nam numquam hera errans hanc molestiam nobis exhiberet, Medea animo aegra, amore saeuo saucia. Idem citat Cicero etiam in I. de Fin. SED *urgetis identidem,* } Repetit priorem occupationem contra abusum rationis. ET *si hi quidem homunculi* } Sensus est: Etsi medici, & nauium gubernatores, dum uim morbi, aut tempestatis accusant, ostendunt se esse homunculos, imbecillium scilicet uirium; sunt tamen ridiculi, quod id muneris profiteantur, quod praestare non possint: ij enim grauitatem morbi praeuidere debuissent, qui non adhiberentur, nisi grauitas morbi id exigeret. Et eadem ratio intendi potest in deos, inquit Cotta, & multo quidem liberius, quia in dijs nullus inesse debeat error. in tradendo munere, qui inesse potest homini in relinquendo patrimonio. Cum ergo Stoicus diuini muneris assertor, dicit culpam non esse in munere, sed in hominum uitiis; debuit certe hominibus rationem eam pro munere accersire, quae uitia, & culpam excluderet; siquidem deum decet effectum muneris praeuidere: alioquin diuinus error nullam excusationem habere poterit. SI *ista non essent?* } Id est, si morbus non esset, quid opus esset medicis? &c. EAM *dedisses* } Somniat talem rationem, quae in fraudem, aut errorem nullum illici possit. AN *ut Sol,* } Potuit ne, inquit, decipi deus in tradenda hominibus ratione, ut Sol deceptus est, cum Phaetonti filio regendum currum credidit, quo ille non recte usus est? AVT *Neptunus* } Nota est fabula Hippolyti filii Thesei. SI *uerum est* } tamquam Academicus nihil affirmat Cotta, sed affirmata reuocat in dubium. ARISTO *Chius* } Cicero in ultimo de Fin. Aristo, inquit, concinnus, & elegans, sed ea, quae desideretur a magno philosopho grauitas in eo nõ fuit. NOCERE *audientibus* } Etiam bona doctrina maleuolis noxia est, qui, quod dextra traditur, sinistra accipiunt. ASOTOS } heluones, & luxuriosos. ARISTIPPI, } qui in uoluptate statuit summum bonum. PRAESTARE } magis conuenire. VT *si medicus* } exemplo Medici non ignorantis exitum medelae, neque animum aegroti, qui peruerse usurus sit medicina, ostendit, deos, si sciuerint rationem hominibus obfuturam, inculpandos esse. VINVM } scilicet mixtum aqua. MERACIVS } id est, purum, & fortius. SIC *uestra* } Conclusio repetens argumentum hactenus tractatum. Qui dat quod sit nociturum esse reprehendendus est, Prouidentia siue deus dedit rationem, qua sciuit homines perniciose usuros esse ad exitium suum, Igitur deus reprehendendus est. HIC *locus* } haec disputatio An scilicet dij consulant rebus humanis. NAM *si stultitia* } Stultitia est summum malum, Omnes sumus stulti, quia nemo assequitur sapientiam Igitur omnes sumus in malis. TELAMON } pater Aiacis, cuius grauem casum deplorans apud tragicum poetam negat esse diuinam prouidentiam. DEBEBANT } haec loquitur Academicus Cotta. BONIS } iustis, & fortibus. DVOS *Scipiones* } Pub. & Cnaeum fratres a ducibus Carthaginiensiũ in Hispania caesos. Pub. in acie, & Cnaeum in turri combustum. EXTVLIT *filium* } immatura morte peremptum sepeliuit. CANNAE } id est, clades ad Cannas. AFRICANVM } Aemilianum Scipionem, qui noctu domi strangulatus est fraude, ut putatur, uxoris.

CICERO

SED haec uetera, & alia permulta: propiora uideamus. cur anunsulus meus, uir innocentissimus, idemq. doctissimus, P. Rutilius in exsulio est? cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? cur, temperantiae, prudentiaeq. specimen ante simulacrū Vestae pontifex maximus est Q. Scaeuola trusidatus? cur etiam ante tot ciuitatis principes a Cinna interēpti? cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum, praestantissima dignitate uirum, mori potuit iubere? dies deficiat, si uelim numerare, quibus bonis male euenerit; nec minus, si commemorem, quibus improbis optime. cur enim Marius tam feliciter septimum consul domi suae senex est mortuus? cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnauit? at dedit poenas. prohiberi melius fuit, impedirique, ne tot summos uiros interficeret, quam ipsum aliquādo poenas dare. Summo cruciatu, supplicioq. Q. Varius, homo importunissimus, perijt: sed, quia Drusum ferro, Metellum ueneno sustulerat; illos conseruari melius fuit, quam poenas sceleris Varium pendere. Duo de quadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimae, & beatissimae ciuitatis. quam multas ante hunc in ipso Graeciae flore Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus poenas sustulit, multis quidem ante cruciatis, & necatis. & praedones multi saepe poenas dant: nec tamen possumus dicere, non plures captiuos acerbe, quam praedones, necatos. Anaxarchum Democritium a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus, Zenonem Eleatem in tormētis necatum. quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari soleo, Platonem legens. Vides ne igitur, deorum iudicio, si uident res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu uiueret. Dionysius, de quo ante dixi, cum fanum Proserpinae Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: isq. cum secundissime cursum teneret, Videtis ne, inquit, amici, quam bona a dijs immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, cum bene, planeq. percepisset, in eadem sententia perseuerabat: qui, cum ad Peloponnesum classem appulisset, & in fanum uenisset Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubijs Carthaginiensium tyrannus Gelo: atque in eo etiam cauillatus est, aestate graue esse aureum amiculum; hieme frigidum: eiq. laneum pallium iniecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemq. Aesculapij Epidauri barbam auream demi iussit: neque enim conuenire, barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri: in quibus quod more ueteris Graeciae inscriptū esset, Bonorum deorū, uti se eorū bonitate uelle dicebat. Idē uictoriolas aureas, & pateras, coronasque, quae simulacrorū porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat; eaq. se accipere, non auferre dicebat: esse enim stultitiam; a quibus bona precaremur, ab ijs porrigentibus, & dantibus nolle sumere. Eundemq. ferunt haec, quae dixi, sublata de fanis in forum protulisse, & per praeconem uendidisse; exactaq. pecunia, edixisse, ut, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quidque fanum referret. ita ad impietatem in deos, in homines adiunxit iniuriam. Hunc igitur nec Olympius Iuppiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero diuturnoq. morbo intabescētem interemit; atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogum illatus est; eamq. potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam, & legitimam hereditatis loco filio tradidit.

EXPLANATIO

INNOCENTISSIMVS} iustissimus. Liuius inquit, P. Rutilius uir summae innocentiae cum a publicanorum iniurijs Asiam defendisset, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exsulium missus est, Smyrnam scilicet. DRVSVS} M. Liuius Drusus trib. pleb. incertum a quo uesperi occisus est, in porticu domestica inambulans. Q. *Scaeuola*} Q. Mucius Scaeuola pontifex maximus fugiens in uestibulo aedis Vestae confossus cecidit. Commendatio eius insignis, quod fuerit specimen temperantiae, & prudentiae. PERFIDIOSISSIMVS} flagitiosissimus. Q. *Catulum*} is, ut inquit Appianus, sponte in cubiculo accensis carbonibus suffocatus est. SENEX *est mortuus?*} Marius ambitione ductus conflauit bellum ciuile, mortuus est septuagenarius. De eo ita inquit Liuius: Marius, multis editis sceleribus, decessit Idibus Ianuarijs, uir, cuius si examineotur cum uirtutibus uitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. TAMDIV} fuit enim quater consul, & quamuis collegas habuerit, attamen quasi solus Romanam remp. ad libidinem administrauit. AT *dedit poenas*} Occupatio, puniuntur tamen scelerati. Cinna a suo exercitu tandem in Piceno apud urbem Anconem obrutus est. PROHIBERI *melius*} Melius est prohibere, aut impedire mala, ne fiant, quam facta punire. Igitur non excusatus est deus puniens sceleratos. ILLOS} Drusum, & Metellum. CIVITATIS} Syracusarum. LOCRIS} opidum est Lucaniae. PISISTATVS, *ac Phalaris, &c.*} Tyranni fuerunt. HARPALVM} Exempla praedonum, & sacrilegorum fortunatorum, & uoces eorum contumeliosae aduersus prouidentiam dei. TYRANNVS *Gelo:*} Constat ex Trogo, Gelonem fuisse Siciliae tyrannum CAVILLATVS *est,*} iocose lusit. AESCVLAPIVS} Apollinis, & Coronidis nymphae filius. EPIDAVRI} Vrbs Peloponnesi Epidaurus, clara Aesculapij templo. BONORVM *deorum*} Sophisma Dionysij, Bono uti licet, Dij sunt boni, Igitur dijs utendum est, & per consequens licet auferre ab ijs, quae habent. NON *auferre*} Aliud Sophisma. Quod porrigitur accipiendum est, Dij

uel

uel statuae porrigunt pateras &c. Igitur accipere licet. Ita *ad impietatem*] Triplex est in facto peccatum. Primo, Sacrilegum est, expilare templa. Secundo, Contra ius est, uendere res sacras. Tertio, Iniquum est, res uenditas rursum eripere emptoribus.

CICERO

Invita in hoc loco uersatur oratio: uidetur. n. auctoritatem afferre peccandi: et recte uideretur, nisi & uirtutis, & uitiorum, sine ulla diuina ratione, graue ipsius conscientiae pondus esset. qua sublata, iacent omnia. ut enim nec domus, nec resp. ratione quadam, & disciplina designata uideatur, si in ea nec recte factis praemia extet ulla, nec supplicia peccatis: sic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum, & malorum. At enim minora dij negligunt; neque agellos singulorum, nec uiticulas persequuntur; nec, si uredo, aut grando quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit. ne in regnis quidem reges omnia minima curant. sic enim dicitis. Quasi ego paullo ante de fundo Formiano P. Rutilij sim questus, non de amissa salute. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, uineta, segetes, olineta, ubertatē frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemq. uitae a dijs se habere: uirtutem nemo umquam acceptam deo retulit. ni mirum recte: propter uirtutem enim iure laudamur, & in uirtute recte gloriamur: quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis, haberemus. at uero aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali; cum dijs gratias agimus, tum nihil nostrae laudi assumptum arbitramur. num quis, quod bonus uir esset, gratias dijs egit umquam? at quod diues, quod honoratus, quod incolumis. Iouemq. optimum maximum ob eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapiētes efficiat, sed quod saluos, incolumes, opulentos, copiosos. neque Herculi quisquam decumam uouit umquam, si sapiens factus esset. quamquam Pythagoras, cū in geometria quiddam noui inuenisset, musis bouem immolasse dicitur. sed id quidem non credo: quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare noluit, ne aram sanguine adspergeret. Ad rem autem ut redeam, iudicium hoc omnium mortaliū est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. quamuis menti delubra, & uirtuti, & fidei consecremus: tamen haec in nobis ipsis sita uidemus: spei, salutis, opis, uictoriae facultas a dijs expetenda est. Improborum igitur prosperitates, secundaeq. res redarguunt, ut Diogenes dicebat, uim omnem deorum, ac potestatem. At non numquam bonos exitus habent boni. Eos quidem adscribimus, attribuimusq. sine ulla ratione dijs immortalibus. At Diagoras, cum Samothraciam uenisset, ἄθεος ille qui dicitur, atque ei quidam amicus, tu, qui deos putas humana negligere, non ne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi uotis uim tempestatis effugerint, in portumq. salui peruenerint? ita fit, inquit. illi enim nusquam picti sunt, qui naufragium fecerunt, in mariq. perierunt: Idemque, cum ei nauiganti uectores, aduersa tempestate timidi, & perterriti, dicerent, non iniuria sibi illud accidere, qui illum in eandem nauem recepissent; ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes; quaesiuitque, num etiam in ijs nauibus Diagoram uehi crederent. sic enim sese res habet, ut ad prosperam, aduersam ne fortunam qualis sis, aut quemadmodum uixeris, nihil intersit.

EXPLANATIO

Videtur *enim*] Alia occupatio: At eleuata prouidentia confirmatur peccandi licentia. At *enim minora dij negligunt;*] Haec est alia Stoicorum ratio, qua Academicorum obiectiones disputando refellebant. Nec *uiticulas persequuntur;*] Nec uitium carbunculationes curant. uiticulas dixit, ut ostendat, eas minimum quid esse apud deos. Quasi *ego*] Respondet Cotta, se de maximis conquestum esse, id est, de salute ciuium oppressorum, & non de agellis eorum, quae minima esse ducunt Stoici. Atque *hoc quidem*] Inuersio. immo commoditer, quae a Stoicis minima dicuntur, omnes a deo petunt, & pro ijs acceptis gratias agunt, sed pro uirtute, quae bonorum maxima censetur, sibi accepta referunt, & non deo. Propter *uirtutem*] Argumentum sophisticum: Propter alienum bonum non laudamur, sed propter proprium. Propter uirtutem laudamur. Igitur uirtus non est alienum bonum siue donum dei, sed proprium, hoc est propria industria partum. Pythagoras, *cum in geometria quiddam noui inuenisset, musis bouem immolasse dicitur.*] Quid in geometria nouum Pythagoras inuenerit, indicat Laertius in ipsius uita, his uerbis: φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ὁ λογιστικὸς, ἑκατόμβην θῦσαι αὐτὸν, εὑρόντα ὅτι τοῦ ὀρθογωνίου τριγώνου ἡ ὑποτείνουσα πλευρὰ, ἴσον δύναται ταῖς περιεχούσαις. In eo dissentit a Cicerone, quod hecatombem nominat Cicero bouem unum. Quod autem sequitur: Sed id quidem non credo: recte non credit: quia bouem quidem Pythagoras immolauit, sed luteum: ut sacrificium esset incruentum, & religioni tamen aliqua sacrificij specie satisfieret. ita, quod attinet ad cruorem, recte Cicero dixit, Non credo: bouem tamen immolatum non negat. Qua de re Gregorij Nazianzeni ex epistola ad Nemesium uerba subiungam, unde luteo de boue cognoscitur: Ἐπαινοῦσι τινὲς Πυθαγόραν τὸν Σάμιον, ὅτι θῦσαι δοκοῦσαν αὐτῷ, ἐπειδὴ γε ἄλλως ἐκ ἐπῄει δὲ θύειν, πηλίνῳ βοῒ τὴν θυσίαν ἀφωσιώσατο. μηδὲ γὰρ χρῆναι, νεκρὰ νεκροῖς καθαίρειν, ὅτω λέγων τὰ σώματα. Quamuis *menti &c.*] Solent Stoici arguere contra Academicos delubra menti, uirtuti, & fidei dicata esse, ac si illarum facultas deo accepta referatur.

referatur. Respondens Cotta, fatetur delubra, mentis, uirtutis, & fidei, sed tamen mentem, uirtutem, & fidem, dicit in nobis conspicue sitas esset. SPEI, *salutis &c.* } Idipsum arguebant Stoici de spe, salute, ope, uictoria: quibus respondetur ex Diogenis sententia, inconsultam esse deorum uim, qui etiam improbis faueant. AT *non numquam bonos &c.* } Obiectio de bono bonorum exitu. AT *Diagoras* } Opponit testimonium Diagorae Athei, qui de deo loquens audiendus non est. A*theos ille qui dicitur* } plures enim fuere huius nominis, ut alibi retulimus. ITA *fit, inquit.* } ponit uafrum Diagorae responsum impio cauillo nixum. PICTI *sunt* } Etiam si aliqui euaserint e periculo, tamen alibi, & temporibus alijs plurimi perierunt, qui quoque dei opem implorauere. SIC *enim* } Impia sententia.

CICERO

NON animaduertunt, inquit, omnia dij: ne reges quidem. quid est simile? Reges enim si scientes prastermittunt, magna culpa est: at deo ne excusatio quidem est insicientiae. quem uos praeclare defenditis, cum dicisis, eam uim deorum esse, ut, etiam si quis morte poenas sceleris effugerit, expetantur eae poenae a liberis, a nepotibus, a posteris. o miram aequitatem deorum. ferret ne ulla ciuitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut auus dsliquisset?

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quaenam umquam ob mortem Myrtili
Poenis luendis dabitur satias supplici?

utrum poetae Stoicos deprauausrint, an Stoici poetis dederint auctoritatem, non facile dixerim. portenta eulm, & flagitia ab utrisque dicũtur. neque enim, quem Hipponactis iambus laeserat, aut qui erat Arebilochi uersu uulneratus, a deo immissum dolorem, non conceptum a se ipso continebat: nec, cum Aegysthi libidinem, aut cum Paridis uidemus, a deo caussam requirimus, cum culpae paene uocem audiamus: nee ego multorum aegrorum salutem non ab Hippocrate potius, quam ab Aesculapio, datam indico: nec Lacedaemomorum disciplinam dicam umquam ab Apolline potius Spartae, quam a Lycurgo, datam. Critolaus, inquam, euertit Corintbum, Cartbaginem Hasdrubal. bi duos illos oculos orae maritimae effoderunt, non iratus alicui, quem omnino irasci posse ngatis deum. at subuenire certe potuit, & conseruare urbes tantas, atque tales. uos enim ipsi dicere soletis, nihil esse, quod deus sfficere non possit, & quidem sine labore ullo: ut enim hominum membra nulla contentione, mente ipsa, ac uoluntate moueantur, sic numine deorum omnia fingi, moueri, mutariq. posse. neque id dicitis superstitiose, atque aniliter, sed physica, constantiq. ratione: materiam enim rerum, ex qua, & in qua omnia sint, totam esse flexibilem, & commutabilem; ut nihil sit, quod non ex ea quamuis subito fingi, conuertiq. possit: eius autem uniuersae fictricem, & moderatricem diuinam esse prouidentiam: hanc igitur, quocumque se moueat, efficere posse quidquid uelit. itaque aut nescit, quid possit: aut negligit res humanas: aut, quid sit optimum, non potest indicare. non curat singulos homines. non mirum: ne ciuitates quidem non bas: ne nationes quidsm, & gsntss. quod si has etiam contemnet; quid mirum est, omne ab ea genus humanum esse contemptum? Sed, quo modo ijdem dicitis, non omnia deos persequi; ijdsm uultis, a dijs immortalibus hominibus dispartiri, ac diuidi somnia: iccirco somnia haec tecum; quia uestra est de somniorum usritate sententia. Atque ijdem etiam uota suscipi dicitis oportere. nempe singuli uouent. audit igitur mens diuina etiam de singulis. uidetis ergo, eam non esset tam occupatam, quam putabatis? fac esse distentam, caelum uersantem, terram tusutem, maria moderantem: cur tam multos deos nihil agere, & cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos otiosos deos praeficit? qui a te, Balbe, innumerabilss explicati sunt.

EXPLANATIO

NON *animaduertunt, inquit, omnia dij &c.* } Repetit Stoicorum rationem, similitudine regum confirmatam. QVID *est simile?* } Negat Cotta similitudinem, quam afferunt Stoici. PRAECLARE *defenditis* } Ironice loquitur, quasi dicat: Defensio uestra arguit in dijs iniquitatem. VT *etiam si quis* } Parentum scelera interdum uindicantur in posteris. O MIRAM } Ironia. FERRET *ne &c.* } Non pateretur, inquit ulla ciuitas promulgari legem, quae a filijs & nepotibus parentũ, & maiorum poenas exigeret. Nullus aequus princeps punit insontes, Deus punit liberos insontes criminis parentum, Igitur deus non est aequus. QVINAM *Tantalidarum &c.* } Senarij tres iambici sunt: quos nemo hucusque agnouit. mihi cum semper ipsa uerba poeticum quiddam olere uisa sunt, tum multo magis, postea quam in Maffei libro scriptum legi, Satias supplicij, non Satietas supplicij. quod cum animaduertissem, confugi statim ad mensuram; eaq. usus, deprehẽdi uitium, quod propter continuatum uerborum ordinem latebat. senarios, inquam, iambicos, ex uetere poeta, esse comperi: qui sunt ita distinguendi:

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Sit? aut quaenam umquam ob mortem Myrtili
Poenis luendis dabitur satias supplicij?

Satias, autem pro, Satietas, interdum ueteres dicebant: unde Lucretius lib. II.

fessus

- fessus satiate uidendi.

Et lib. VI. - iuuabant

Cum satiate cibi.

Sed ecce ueritas elucet. Cum aliquot ante annis haec superiora scripsissem, euoluendis Carisij monumentis inueni, unde sint hi uersus. Sunt autem ab Attio poeta sumpti, quem ille nominat Instit. gram. lib. I. QVINAM *Tantalidarum* } Duo exempla recitat liberorum, qui parentum luerunt scelera. NEQVE *enim* } Qui Hipponactis, aut Archilochi mordacitate offenditur, sibi ipse caussa est doloris, quod non restitit dolori. TANTALIDARVM } nepotum Tantali, qui numinum arcana prodidit. OB *mortem Myrtili* } hunc Mercurio natum Pelops Tantali filius deiecit in mare, quod Myrtoum dictum est a casu Myrtili, ut Icarium a casu Icari. NEQVE *enim* } exemplis probat mala ab hominibus non a dijs immitti, ueluti Poetae a Stoicis deprauati sentiebant. HIPPONACTIS *iambus* } hic fuit Ephesius, & notabili uultus foeditate: quamobrem Bupalus, & Anthermus imaginem eius in ridentium circulis praeposuere. indignatus Hipponax amaritudine iamborum distrinxit eos in tantum, ut aliquos ad laqueum compulisse credatur. Meminit Horatius in Epode, ubi & de Archilocho. ARCHILOCHI *uersus* } hic in Paro insula natus, ob denegatam Neobulem sponsam, iambico carmine in Socerum Lycamben inuectus est. AEGYSTHI *libidinem* } hic Thyestae filius Clytemnestram patruelis Agamemnonis uxorem adulterio polluit. PARIDIS } Is Priami filius Helenam Menelai uxorem rapuit. NEC *ego* } exemplis contrarijs probat Cotta etiam bona ab hominibus conferri homini, & non a dijs. id facit uti Academicus, qui utrimq. de omnibus ambigere solet, ut liberam audientibus, & legentibus relinquatur iudicũ. HIPPOCRATES } Cous fuit, medicinae auctor maximus. AESCVLAPIVS } hic Apollinis & Coronidis nymphae filius a poetis dicitur medicinae deus. AB *Apolline* } ex cuius sententia leges Lycurgi latae dicuntur. CRITOLAVS } quoniam legatos Romanorum uiolauerat, caussa fuit, ut a L. Mummio deleretur Corinthus. HASDRVBAL } qui Carthaginiensis ciuis, & dux in tertio bello Punico crudelitate in captiuos Romanos edita excitauit patriae incendium. auctor est Appianus. NON *iratus* } Adimit deo iram, sed auxilium in eo desiderat. AT *subuenire* } Intendit Cotta Stoicorum armis agere contra Stoicos, ut ostendat deum negligere. VOS *enim* } Assertio Stoicorum de diuina potestate. NIHIL *esse, quod deus* } Contra omnipotentiam dei: Si deus omnia posset, conseruaret urbes, & alia, ne euerterentur. VT *enim* } Similitudo, qua Stoici probant deum facile efficere quidquid uelit. NEQVE *id dicitis* } His rationibus Stoicorum Academicus quasi proprij decreti oblitus uidetur assentiri, ut aduersarios armis proprijs confodiat. NON *curat singulos* } ita sentiunt Stoici. quo concesso, Academicus a principalibus partibus ad totum adigit eos, ut sentiant deum nihil curare. SED *quomodo, &c.* } Ostendit Cotta Stoicos pugnantia dicere. OMNIA *persequi* } Complecti, uel curare. SOMNIA *haec tecum* } subaudi sint. SENTENTIA } somnia uera mitti a deo singulis hominibus. VIDETIS *igitur* } Adhuc instat Cotta, Stoicos pugnantia dicere, qui uelint mentem diuinam intelligere singulorum uota, & tamen esse tam occupatam, ut singula curare non possit. sequitur enim, ut, quae singulorum uota intelligit, non sit tam occupata, quam putant. FAC *esse* } Esto, inquit, quod sit occupata: cur non utitur ueteris dijs ministris, quos innumerabiles esse, & otiosos dicitis; ut curent res humanas? ac si dicat perperam negant Stoici, deos posse curare singulos homines, cum possint regum more, alios substituere, qui curent singula.

CICERO

HAEC fere dicere habui de natura duorum, non ut eam tollerem, sed ut intelligeretis, quam esset obscura, & quam difficiles explicatus haberet. Quae cum dixisset Cotta, finem fecit. Lucilius autem, Vehementius, inquit, tu quidem, Cotta, inuectus es in eam Stoicorum rationem, quae de prouidentia deorum ab illis sanctissime & prouidentissime constituta est. sed, quoniam aduesperascit, dabis diem nobis aliquem, ut contra ista dicamus. est enim mihi tecum pro aris, & focis certamen, & pro deorum templis, atque delubris, proq. urbis muris; quos uos pontifices sanctos esse dicitis; diligentiusq. urbem religione, quam ipsis moenibus, cingitis. quae deseri a me, dum quidem spirare potero, nefas iudico. Tum Cotta, Ego uero & opto redargui me, Balbe: & ea, quae disputaui, disserere malui, quam iudicare: &, facile me a te uinci posse, certo scio. Quippe, inquit Velleius qui etiam somnia putet ad nos mitti ab Ioue: quae ipsa tamen tam leuia non sunt, quam est Stoicorum de natura deorum oratio. Haec cum essent dicta, ita discessimus, ut Velleio Cottae disputatio uerior, mihi Balbi ad ueritatis similitudinem uideretur esse propensior.

EXPLANATIO

HAEC *fere dicere* } Epilogus monens ad quem finem ista sint dicta, nempe ut quid probabiliter de deo disseri posset ostenderetur. Quare subdit optare se redargui, & quae disputauit maluisse disserere, quam iudicare, ac facile posse uinci a Balbo. LVCILIVS *autem* } Modesta dissensio Balbi cum Cotta, & pia significa-

M

gnificatio amoris tuendi prouidentiam. PRO *aris, & focis* } id est, pro religione ac sacrificijs, quae nulla fierent, si deus non esset, aut si humana non curaret. QVIPPE, } certe ironice loquitur Velleius. DICTA } disputata. ITA } sic dispositi disputationibus. MIHI } Aperit Cicero sententiam suam, dicens, disputationem Balbi sibi uisam esse propensiorem ad similitudinem ueritatis, uti Cottae disputatio Velleio uisa est uerior.



PERILLVSTRI
COMITI
MARIO · BEVILAQVAE





NIHIL hoc tempore mihi gratius accidere poterat, quam illustre nomen Tuum ad aures meas peruenire. factum hinc enim est, ut hoc, etiam si perexiguo, aliquo tamen signo meam in Te, Tuiq. similes obseruantiam declararem. Nobili familia natum esse, praestantesq. uirtute maiores posse nominare, magnae felicitatis loco a plerisque ducitur: qui maiorum lumen posteris quoque prodesse putant. ego secus existimo. nam lumen illud nobilitatis bonum, malumq. effici, pro posterorum meritis, iudico. Quo fit, ut Te mihi praecipue colendum proposuerim: cum intellexerim, ad antiquam maiorum Tuorum nobilitatem (quae in Veronensi celeberrima ciuitate florentissima semper fuit) propriam Tuam accessisse, eamq. illustriorem. nam, cum habeas domestica exempla plurima singularis uirtutis, belli, domique; ijs tamen non contentus, quotidie & maiores Tuos, & Te quoque ipsum bene agendo uincis. Quid? Tu, omnium laudandarum artium cognitione praestantissimus, omnes, qui in ijs aliqua cum laude uersantur, ad maiora conanda non solum quacumque potes re inuitas, sed exemplo Tuo, quod maximam uim habet, paene cogis. imagines excellentium uirorum domi seruas: quae a priscis illis summo in honore habebantur. & merito. maxime enim nos ad uirtutes accendunt. Egoq. ipse, Tuo exemplo commotus, Musaeum meum, tenue illud quidem, fortasse tamen non prorsus indignum, quod a litteratis uiris uisatur, ornare ijs statui. In quo, Te praecipue imitans, erit, cur saepe Te in ore, amoreq. habeam, Tuumq. istum insignem animum praedicem, Tibiq. publico nomine plurimum me debere fatear. Interim hoc a me amici, atque obseruantis animi indicium, Commentarium in Ciceronis libros de Diuinatione, hilari uultu accipe. neque me, de facie, igno-

tum, nimis ausum esse existima. hoc enim Virtus priuilegium habet, ut eos, qui uel in longinquis regionibus habitant, nedum proximos, amore conciliet. Deus Opt. Max. Tibi prospera omnia largiatur. Venetijs. Kal. Sext. ∞ D XXCIII.

Tuae laudis cupidissimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.



IN M·TVLLII·CICERONIS DE·DIVINATIONE LIBRVM. I.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Quinctus Cicero Stoicam personam sustinens duplex diuinandi genus constituit, alterum artis, alterum naturae. Ad artem refert, exta, monstra, tonitrua, coruscationes, auguria, auspicia, stellarum, motus, cometas, sortes, quae priscis longo tempore obseruata sunt: ad naturam uero somnia, & furores, quae contingunt, & obseruantur.

CICERO



ETVS opinio est, iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaq. & populi R. & omnium gentium firmata consensu, uersari quandam inter homines diuinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, id est praesensionem, & scientiam rerum futurarum. magnifica quaedam res, & salutaris, si modo est ulla, quaq. proxime ad deorum uim natura mortalis possit accedere. itaque, ut alia nos melius multa, quam Graeci: sic huic praestantissimae rei nomen nostri a diuis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. gentem quidem nullam uideo, neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamq. barbaram, quae non significari futura, & a quibusdam intelligi, praediciq. posse censeat. Principio Assyrij, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem, magnitudinemq. regionum, quas incolebant, cum caelum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, traiectiones, motusq. stellarum obseruauerunt: quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis uocabulo nominati, diuturna obseruatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique euenturum, & quo quisque fato natus esset. Eandem artem etiam Aegyptij longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur. Cilicum autem, & Pisidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, uolatibus auium, cantibusque, certissimis signis declarari res futuras putant. Quam uero Graeciam colonia misit in Aetoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est? Nec unum genus est diuinationis publice, priuatimq. celebratum. nam, ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera complexus est? Principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. deinde auguribus & reliqui reges usi: &, exactis regibus, nihil publice sine auspicijs nec domi, nec militiae gerebatur. cumq. magna uis uideretur esse & in impetrandis, consulendisq. rebus, & in monstris interpretandis, ac procurandis in haruspicum disciplinas omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant; ne genus esset ullum diuinationis, quod neglectum ab ijs uideretur. & cum duobus modis animi sine ratione, & scientia, motu ipsi suo soluto, & libero incitarentur, uno furente, altero somniante: furoris diuinationem Sibyllinis maxime uersibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos ex ciuitate esse uoluerunt. ex quo genere saepe hariolorum etiam, & natum furibundas praedictiones, ut Octauiano bello Cornelij Culleoli, audiendas putauerunt.

Nec uero somnia grauiora, si quae ad remp. pertinere uisa sunt, a summo consilio neglecta sunt. quin etiam, memoria nostra, templum Iunonis Sospitae L. Iulius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Caeciliae, Balearici filiae, somnio. Atque haec, ut ego arbitror, ueteres rerum magis euentis moniti, quam ratione docti, probauerunt.

EXPLANATIO



DVCTA } originata. AB *heroicis temporibus*, } a priscis temporibus, quando scilicet claruerunt homines diuini generis participes, qui ab immensa fortitudine Heroes dicti sunt. MAGNIFICA } amplissima, maxima. SALVTARIS } utilis ad conseruandam salutem. SI *modo est ulla* } ita dicit Cicero, quia in secundo libro agens Academicum, aperte ostendat nullam esse diuinationem. VT *Plato interpretatur* } Verba Platonis in Phaedro haec sunt: Illud certe dignum est testificari, quod ueteres, qui nomina rebus posuerunt, non turpe quiddam, neque ignominiosum putarunt furorem. Non enim pulcherrimae arti, qua futurum iudicatur, hoc nomen applicantes, eam manicen nominassent: sed, tamquam bonum quiddam sit furor, cum diuina sorte prouenerit, nomen huiusmodi indiderunt. at iuniores, isti immissa t. littera inepte manticen uocauerunt. Haec Plato. HVMANAM } benignam, facilem. IMMANEM } feram, difficilem. BARBARAM } crassi ingenij, rudem, & ab omni cultu alienam. ASSYRII } hi proprie sunt, qui Babylonem incolunt, adiacentemq. regionem. AB *ultimis* } hoc est, a barbaris: nuper enim nationem barbaram ultimo loco recensuit. AVCTORITATEM } originem. REPETAM: } hoc est, praepostero ordine procedendo petam. NOTATIS } obseruatis. CHALDAEI } hi, auctore Diodoro, Babyloniorum antiquissimi eum locum in sua rep. quam in Aegypto sacerdotes, obtinuerunt. ad cultum etenim deorum electi per omnem uitam philosophabantur, peritissimi Astrologiae habiti sunt. Multi quadam diuinatione futura praedicebant. EANDEM *artem* } sideralem scientiam. PISIDARVM *gens*, } Pisidae contermini sunt Lycijs. Cicero proconsul hos populos rexit. COLONIAM } Colonia dicitur multitudo hominum alio transscripta, & missa ad habitandum, & ipsa minor urbs, quae nouos habitatores reciperet, colonia dicta. PYTHIO, } Apollineo oraculo. DODONAEO, } Dodona urbs est Molossorum in Epiro cum oraculo Iouis sub Tomaro monte. Hoc oraculum Sophocles appellauit quercum uerbosam. Illic aeneum uas ui uentorum sonabat: unde factum est prouerbium, Aes Dodonaeum, in loquaces, & garrulos. HAMMONIS } id est arenarij Iouis. Hoc oraculum erat in Africa apud Nasamones in arenis habitantes. AVSPICATO } aduerbium est: significat, augurio captato. EXACTIS } expulsis. INTERPRETANDIS } declarandis, quid futurum monstrent. PROCVRANDIS } repellendis precatione sollemni & legitimo ritu. HARVSPICVM *disciplina* } haruspicina arte. Dicti sunt Haruspices, quasi harugae inspectores. Haruga uero, ut inquit Donatus, significat hostiam siue uictimam. SOLVTO, } non impedito. HARIOLORVM } diuina mente enunciantium fata. Dictus est Hariolus, quasi fariolus, a fatis, & fando. FVRIBVNDAS } furore abundante emissas. OCTAVIANO *bello* } ciuili bello inter Octauium consulem, & L. Cinnam. GRAVIORA } graue aliquid portendentia. IVNONIS *Sospitae* } huius templum erat apud Lanuuium: cui noui consules de more sacrificabant. BALEARICI } Metellus cognominatus est Balearicus a deuictis Balearibus insulis, quae & Gymnesiae appellantur, in mari Hispano, e regione ad Tarraconem. EVENTIS } exitu, ac fine rerum.

CICERO

PHILOSOPHORVM *uero exquisita quaedam argumenta, cur esset uera diuinatio, collecta sunt. ex quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes unus, qui deos esse diceret, diuinationem funditus sustulit. reliqui uero omnes, praeter Epicurum balbutientem de natura deorum, diuinationem probauerunt, sed non uno modo. nam, cum Socrates, omnesq. Socratici, Zenoque, & ij, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, uetere Academia, & Peripateticis consentientibus; cumq. huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisset, qui etiam ipse augur uellet esse, plurimisq. locis, grauis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum comprobaret: Dicaearchus Peripateticus cetera diuinationis genera sustulit, somniorum, & furoris reliquit; Cratippusque, familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, ijsdem rebus fidem tribuit, reliqua diuinationis genera reiecit. sed, cum Stoici omnia ferre ille defenderent; quod & Zeno in suis commentarijs quasi semina quaedam sparsisset; & ea Cleanthes paullo uberiora fecisset: accessit, acerrimo uir ingenio, Chrysippus; qui totam de diuinatione duobus libris explicauit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somnijs. quem subsequens, unum librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor, duos Antipater, quinque noster Posidonius. sed a Stoicis uel principibus eius disciplinae, Posidonij doctor, discipulus Antipatri degenerauit Panaetius: nec tamen ausus est denegare, uim esse diuinandi, sed dubitare se dixit. quod illi in aliqua re, inuitissimis Stoicis, Stoico facere licuit; id nos ut in reliquis rebus faciamus, a Stoicis non concedetur? praesertim cum id, de quo Panaetio non liquet, reliquis eiusdem disciplinae solis uideatur luce clarius. sed haec quidem Academiae, praestantissimi philosophi iudicio, & testimonio comprobata est. etenim nobismet ipsis quaerentibus, quid sit de diuinatione iudicandum, quod a Carneade multa acute, & copiose contra Stoicos disputata sint; uerentibusque, ne temere uel falsae rei,*

uel

uel non satis cognite assentiamur; faciendum uidetur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in ijs tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. nam cum omnibus in rebus temeritas in aßentiendo, errorq. turpis est, tum in ea loco maxime, in quo iudicandum est, quantum auspicijs, rebusq. diuinis, religioniq. tribuamus. est enim periculum, ne aut, neglectis ijs, impia fraude, aut, susceptis, anili superstitione obligemur. quibus de rebus & alias saepe, & paullo accuratius nuper, cum essem cum Quincto fratre, in Tusculano disputatum est. Nam, cum ambulandi caußa in Lyceum uenißemus, (id enim superiori gymnasio nomen est) Perlegi, inquit ille, tuum paullo ante tertium de natura deorum: in quo disputatio Cottae, quamquam labefactauit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optime uero, inquam: etenim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem. Tum Quinctus, Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, et uero saepius, credo ne communi iure migrare uideatur: sed, studio contra Stoicos differendi, deos mihi uidetur funditus tollere; eius orationi, nõ sane desidero, quid respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio: cuius disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad ueritatem est uisa propensior: sed, quod praetermissum est in illis libris, credo quia commodius arbitratus es separatim id quaeri, deq. eo disseri, id est de diuinatione, quae est earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictio, atque praesensio; id, si placet, uideamus quam habeat uim, & quale sit. ego enim sic existimo: si sint ea genera diuinandi uera, de quibus accepimus, quaeq. colimus, eße deos; uicissimq., si dij sint, esse qui diuinent. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quincte defendis: si quidem ista sic reciprocantur; ut &, si diuinatio sit, dij sint; &, si dij sint, sit diuinatio. quorum neutrũ tam facile, quam tu arbitraris, conceditur. nam & natura significari futura sine deo possunt: &, ut sint dij, potest fieri, ut nulla ab ijs diuinatio generi humano tributa sit. Atque ille, Mihi uero, inquit, satis est argumenti, & esse deos, & consulere rebus humanis, quod eße clara, & perspicua diuinationis genera iudico. de quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si uacas animo, neque habes quid, quod huic sermoni praeuertendum putes. Ego uero, inquam, philosophiae, Quincte, semper uaco: hoc autem tempore, cum sit nihil aliud, quod libenter agere poßumus, multo magis aueo audire, de diuinatione quid sentias. Nihil, inquit, equidem noui, nec quod praeter ceteros ipse sentiam. nam cum antiquißimam sententiam, tum omnium populorum, & gentium consensu comprobatam sequor.

EXPLANATIO

EXQVISITA } electa. Ex *quibus*, } e numero quorum philosophorum. COLOPHON } urbs Ioniae, patria Xenophanis huius. BALBVTIENTEM } perplexe loquentem. VETERE *Academia* } Platonica familia. AVCTORITATEM } aestimationem. GRAVIS } magni momenti. DICAEARCHVS } fuit Siculus ex urbe Messana. IISDEM *rebus* } furori, & somnijs. COMMENTARIIS } libris, in quibus res breuiter, & summarie scribuntur. SEMINA } principia, & capita quaedam. ACERRIMO } acutissimo, & perspicacissimo. DIOGENES } Stoicus fuit, e Seleucia. Babylonius tamen cognominatus propter uicinitatem. ANTIPATER } Stoicus Alexandrinus. POSIDONIVS } Apameensis. DEGENERAVIT } desciuit, defecit. PANAETIVS } Rhodius. INVITISSIMIS } reclamantibus, & indignantibus. ILLI *Stoico* } Panaetio. NON *liquet* } ambiguum est, & dubium. EIVSDEM *disciplinae* } Stoicae professionis. LAVS } gloria, de omni re dubitandi, ne cui temere uideantur assentiri. PRAESTANTISSIMI *philosophi* } Panaetij scilicet. TEMERE } imprudenter. ETIAM *atque etiam* } crebro, saepe. TEMERITAS } imprudentia. ERROR } lapsus. ANILI } uana. OBLIGEMVR } adstringamur. LYCEVM } Lyceo gymnasio, inquit Pausanias, a Lyco Pandionis inditum est nomen. Apollinis existimatum olim est templum. LABEFACTAVIT } concussit, & frequenter maculauit. FVNDITVS } a fundo, omnino, penitus. ARGVMENTA } rationes. RELIGIONEM } diuinum cultum. ET *uero* } & certe. COMMVNI *iure* } publico instituto. MIGRARE } recedere. STVDIO } uoluntate. EXTREMO *tertio* } extrema parte tertij libri. QVAERI } quaestionem fieri. FORTVITAE } in fortunae arbitrio; quae nec arte, nec sapientia prouideri possunt. PRAESENSIO } praesagitio. QVALE *sit* } cuius proprietatis. COLIMVS; } uenerando exercemus. ARCEM } munimentum. RECIPROCANTVR } uicissim reflectuntur. NATVRA } naturae dono ET, *ut* } Et, quamuis. ARGVMENTI, } indicij. *Si uacas animo* } nisi alijs curis occupatum habeas animum. PRAEVERTENDVM } praeferendum. VACO } intentus sum. HOC *autem tempore* } quo litterae meae forenses, ac senatoriae conticuerunt. AVEO } cupio. PRAETER *ceteros* } qui sentiunt clara esse, & perspicua diuinationis genera. CONSENSV } affirmatione.

CICERO

DVo sunt enim diuinandi genera: quorum alterum artis est, alterum naturae. quae est autem gens, aut quae ciuitas, quae non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut uaticinationum (haec enim duo naturalia putantur) praedictione moueatur? quarum quidem rerum euenta magis arbitror, quam caussas, quaeri oportere. est enim uis, et natura quaedam, quae tum obseruatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu, inflatuq. diuino futuro praenunciata. Quare omittat urgere

Carunta-

Carneades: quod faciebat etiam Panaetius, requirens, Iuppiter ne cornicem a laeua, coruum a dextra canere iussisset. obseruata sunt haec tempore immenso, & significatione euentus animaduersa, & notata. nihil est autem, quod non longinquitas temporũ, excipiente memoria, prodendisq. monumentis, efficere, atque assequi possit. Mirari licet, quae sint animaduersa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad uulnera. quorum uim, atque naturam ratio numquã explicauit: utilitate & ars est, et inuentor probatus. Age, ea, quae, quamquam ex alio genere sunt, tamen diuinationi sunt similiora, uideamus.

Atque etiam uentos praemonstrat saepe futuros.
Inflatum mare cum subito, penitusq. tumescit;
Saxaq. cana, salis niueo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere uoces;
Aut densus stridor cum celso e uertice montis
Ortus adaugescit scopulorum saepe repulsu.

atque his rerum praesensionibus prognostica tua referta sunt. quis igitur elicere caussas praesensionum potest? etsi uideo Boethum Stoicum esse conatum: qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quae in mari, caelo ue fierent. illa uero cur eueniat quis probabiliter dixerit?

Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.
Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis Acredula uocibus instat,
Instat, & assiduas uocum iacit ore querellas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit.
Fuscaq. non numquam cursans per litora cornix
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.

uidemus haec signa numquam fere ementientia: nec tamen, cur ita fiat, uidemus.

Vos quoque signa uidetis aquai dulcis alumnae,
Cum clamore paratis inanes fundere uoces,
Absurdoq. sono fontes, & stagna cietis.

Quis est, qui, ranunculos hoc uidere, suspicari possit? sed inest mire & ranunculis quaedam natura significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesq. boues spectantes lumina caeli
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

non quaero cur, quoniam, quid eueniat, intelligo.

Iam uero semper uiridis, semperq. grauata
Lentiscus triplici solita grandescere fetu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

ne hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet: hoc sum contentus, quod, etiam, si quo modo quidque fiat, ignorem, quid fiat intelligo. Pro omnibus ijs rebus, quas commemoraui, respondebo. quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit, quae nomen ex inuentore reperit, rem ipsam inuentor ex somnio, uideo; quod satis est: cur possit, nescio. sic uentorum, & imbrium signa, quae dixi, rationem quam habeãt, non satis perspicio. uim, & euentum agnosco, scio, approbo. similiter, quid fissum in extis, quid fibra ualeat, accipio: quae caussa sit, nescio. atque horum quidem plena uita est. extis enim omnes fere utuntur. Quid? de fulgurum ui dubitare num possumus? nonne cum multa alia admirabilia, tum illud in primis? cum Summanus in fastigio Iouis optimi maximi, qui tum erat fictilis, e caelo ictus esset, nec usquã eius simulacri caput inueniretur; haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt; idq. inuentum est eo loco, qui est ab haruspicibus demõstratus. Sed, quo potius utar aut auctore, aut teste, quam te? cuius edidici etiam uersus, & lubenter quidem, quos in secundo consulatu Vrania musa pronunciat.

EXPLANATIO

EXTIS } intestinis. ARTIS } artificiosae diuinationis. MOVEATVR. } tangatur, & afficiatur. EVENTA } effectus, exitus. VIS, *& natura* } potestas in rerum natura. OBSERVATIS } notatis. INSTINCTV, } impulsu. INFLATVQ. *diuino* } & inspiratione diuina. VRGERE } premere, ac uexare quaestionibus non necessarijs. CORNICEM *a laeua* } Bonum augurium erat, inquit Val. Probus, si coruus dextra, cornix sinistra uolant. Virgil.

Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix.

CANERE } augurium facere. ANIMADVERSA, } cognita. EXCIPIENTE *memoria, prodendisq. monumentis,* } id est, si memoria exceperit, & proderit monumenta. ASSEQVI } obtinere. VTILITATE } utili experientia. ATQVE *etiam uentos* } Carmina sunt e prognosticis Ciceronis, in cuius praeconium Q. frater illa repetit. PENITVS } ab imo. CANA } albicantia. TRISTIFICAE } tristiam afferentes. REDDERE *uoces;* } quasi Echo referre uoces. CAELO } aere. ILLA } quae scilicet proxime describentur. CANA } albicanti pluma. HORRIBILES } formidolosos. TREMVLO *gutture* } uocem tremulam emittente. ACREDVLA } uulgo Calandra dicitur. INSTAT } perseuerat. FVSCA } subnigra. AQVAI *dulcis alumnae* } ranas intelligit, quae aqua dulci nutriuntur. ABSVRDO *sono* } rauca coaxatione. CIETIS } mouetis. VIDERE } praesagire. QVAEDAM *natura* } quaedam uis naturalis. PER *se* } propria ui. CERTA } clara. MOLLIPEDES } molles pedes habentes. LVMINA } stellas. Ex *aere succum* } humorem aereum. GRAVATA } onusta. LENTISCVS } arbor est in Chio insula, e qua Mastice defluit: a lentore nomen habuit. hoc est a uiscositate. FRVGES } fructus. MATVRITATEM } tempus opportunum. *Si quo modo* } si qua ex caussa. AD *purgandum,* } scammoneae succus in sole siccatus digeritur in pastillos, & scammonium dicitur, quod, auctore Plinio, bilem detrahit, aluum soluit, & stomachi facit dissolutionem. VIDEO; } cognosco. RATIONEM } caussam significantem. VIM } significationem. EVENTVM } effectum. FISSVM } rima, diuisio. FIBRA } iecinorum extremitas. ACCIPIO } intelligo. HORVM *plena uita est.* } extorum, inquit, inspectio magno

inest

inest usu. VI } significatione. SVMMANVS } id est, summus manium. Varro de Ling. Lat. ait, a Tito Tatio inter ceteros deos Summanum repositum. Romani ueteres, inquit Augustinus lib. IV. nescio quem Summanum deum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Iouem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed, postquam Ioui templum insigne, ac sublime constructum est, propter aedis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit, ut uix inueniatur, qui Summani nomen, quod audire iam non potest, se saltem legisse meminerit. Quod ignobilis iam factus esset, innuit & Ouid. VI. Fast.

> Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
> Tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Seruius exponens illud Virgilij, Suos quisque patimur manes; exponit pro Genio. IN *fastigio* } templi scilicet, OPTIMI } beneficentissimi. MAXIMI, } potentissimi. FICTILIS } e terra formatus. Plin. lib. XXXV. cap. 12. AVCTORE } inuentore, principe. IN *secundo consulatu* } Puto corrigendum, In secundo de consulatu: ut subaudiatur, lib. Haec Paullus pater. VRANIA *musa* } De musarum numero uariae sunt opiniones. Ab inquisitione, quae animae proprietas est, hoc est ἀπὸ τοῦ μάειν dictae sunt musae, nihilq. aliud uidentur, quam eadem anima mundi, quae inquirendo uarios habitus induerit. Hinc prodijt illa uarietas nominum, nam anima in sphaera, quae mundi aplanes est, Vrania dicitur. Est igitur Vrania musa idem, quod anima caeli stelliferi: sicuti caeli Saturni Polymnia, Therpsichore Iouis, Clio Martis, Melpomene Solis, Erato Veneris, Euterpe Mercurij, Thalia Lunae.

C I C E R O

PRINCIPIO, aetherio flammatus Iuppiter igni
Vertitur, & totum collustrat lumine mundum,
Menteq. diuina caelum terrasq. petessit.
Quae penitus sensus hominum, uitasq. retentat,
Aetheris aeterni saepta, atque inclusa cauernis.
Et, si stellarum motus, cursusq. uagantes
Nosse uelis, quae sint signorum in sede locatae,
Quae uerbo, & falsis Graiorum uocibus errant,
Reuera certa lapsu, spatioq. feruntur:
Omnia iam cernes diuina mente notata.
Nam primum astrorum uolucres, te consule, motus,
Concursusq. graues stellarum ardore micantes,
Tu quoque, cum tumulos Albano in monte niuales
Lustrasti, & laeto mactasti lacte Latinas,
Vidisti, & claro tremulos ardore cometas,
Multaq. misceri nocturna strage putasti;
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
Cum claram speciem concreto lumine Luna
Abdidit, & subito stellanti nocte perempta est.
Quid uero Phoebi fax, tristis nuncia belli,
Quae magnum ad columē flammato ardore uolabat,
Praecipites caeli partes, obitusq. petisset?
Aut cum terribili perculsus fulmine ciuis,
Luce serenanti uitalia lumina liquit?
Aut cum se grauido tremefecit corpore tellus?
Iam uero uariae nocturno tempore uisae
Terribiles formae bellum, motusq. monebant:
Multaq. per terras uates oracla furenti
Pectore fundebant tristes minitantia casus:
Atque ea, quae lapsu tandem cecidere uetusto,
Haec fore, perpetuis signis, clarisq. frequentans
Ipse deum genitor caelo terrisq. canebat.
Nunc ea, Torquato quae quondam & consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans stellanti nixus olympo
Ipse suas arces, atque inclyta templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
Tum species ex aere uetus, generataq. Nattae
Concidit, elapsaeq. uetusto numine leges:
Et diuum simulacra peremit fulminis ardor.
Hic syluestris erat, Romani nominis altrix,
Martia, quae paruos Mauortis semine natos
Vberibus grauidis uitali rore rigabat:
Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque auulsa pedum uestigia liquit.
Tum quis non artis scripta, ac monumēta uolutans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes ciuili generosam stirpe profectam
Vitare ingentem cladem, pestemq. monebant:
Vel legum exitium constanti uoce ferebant,
Templa deumq. adeo flammis, urbesq. iubebant
Eripere, & stragem horribilem, caedemq. uereri.
Atque haec fixa graui fato, ac fundata teneri,
Ni post excisum ad columen formata decore
Sancta Iouis species claros spectaret in ortus:
Tum fore, ut occultos populus, sanctusq. senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conuersa, inde patrum sedes, populiq. uideret.
Haec tardata diu species, multumq. morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata:
Atque una fixi, ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna,
Ac clades patriae flamma, ferroq. parata,
Vocibus Allobrogum patribus populoq. patebat.
Rite igitur ueteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos, urbesq. modo, ac uirtute regebant;
Rite etiam uestri, quorum pietasque, fidesq.
Praestitit, & longe uicit sapientia cunctos,
Praecipue ingenti coluerunt numine diuos.
Haec adeo penitus cura uidere sagaci
Otia qui studijs laeti tenuere decoris,
Inq. Academia umbrifera, nitidoq. Lyceo
Fuderunt claras foecundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo iam a flore iuuentae,
Te patria in medio uirtutum mole locauit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriae uoces studijs, nobisq. sacrasti.

EXPLANATIO

PRINCIPIO } primum omnium. FLAMMATVS } incensus. VERTITVR } circumuoluitur. QVAE } scilicet mens diuina. PENITVS } intrinsecus. RETENTAT } crebro mouet. SAEPTA } circumdata. CAVERNIS } concauitatibus. VAGANTES } errantes. SIGNORVM *in sede* } in signifero circulo, qui oblique ambit caelum, & Graece Zodiacus dicitur. ERRANT } errare dicuntur a Graecis, qui eas planetas, hoc est Errones appellant. LAPSV } defluxu, motu praecipiti. NOTATA } signata, obseruata, animaduersa. VOLVCRES } ueloces uolucrium motibus similes. TE *consule*, } in tuo consulatu. GRAVES } terrificos. TVMVLOS } aceruos. LVSTRASTI } sacrificando circuisti. Adscendebant enim noui consules ad sacrificandum Ioui Latiali in Albano monte, ac Iunoni Sospitae apud Lanuuium. DIRVM } crudele, tremendum. CLARAM *speciem* } laetam faciem. CONCRETO *lumine* } nubiloso aere. STELLANTI *nocte* } serena nocte. FAX } flammeus radius. MAGNVM *ad columen* } ad summum fastigium. PRAECIPITES *partes*, } occiduas partes. OBITVS } occasus. VITALIA *lumina liquit?* } exspirauit. GRAVIDO } uentis pleno. MONEBANT } praesignabant. LAPSV *cecidere uetusto* } praeteritis cladibus euenere. FREQVENTANS } crebro ostendens. CANEBAT } praedicebat. HARVSPEX *Tyrrhenae gentis* } Extorum inspector apud Etruscos, qui etiam Tyrrheni dicti sunt a Tyrrheno duce gentis Lydiae, qui Etruscis imperauit. FIXA } certa. TVVS *annus* } tempus tui consulatus. GLOMERANS } inuoluens. DETERMINAT } comprehendit. IGNES } fulmina. TVM *species ex aere uetus, generataq. Nattae* } Generosaque, Legit Muretus: & paullo infra,

Omnes ciuili generosa stirpe profectam.

Haec Paullus pater. SPECIES } imago, statua. GENEROSA } nobilis. Erat enim Natta de Pinariorum familia nobilissima, & uetustissima apud Latinos, etiam tempore Euandri, & Herculis. ELAPSAE } liquefactae leges caelatae in aereis tabulis. VETVSTO *numine* } uetusta dei imagine. PEREMIT } consumpsit. ALTRIX *Martia* } Lupa nutrix Romuli, ac Remi filiorum Martis. VITALI *rore* } lacte, quo nutriti uitam conseruarunt. QVAE } lupae imago. PEDVM *uestigia liquit* } de proprio loco mota est. MONVMENTA } libros tonitruales, & fulgurales. TRISTIFICAS } denunciantes tristitiam. PROMEBAT } interpretabantur. PROFECTAM } ortam. PESTEM } ingens, & commune malum. EXITIVM *legum* } interitum libertatis. FEREBANT, } praenunciabant. ADEO } certe. IVBEBANT } hortabantur. ATQVE } subaudi monebant Romanos. FIXA } firmata. FVNDATA } stabilita. COLVMEN } fastigium, culmen. DECORE } eleganter. SPECIES } statua. TVM *fore* } hoc est, tum monebant futurum esse. CONATVS } coniurationes. PATRVM *sedes* } concilium senatorum. POPVLI } Quiritium. Alibi idem Cicero, Haruspices, inquit, iusserunt simulacrum Iouis facere maius, & in excelso collocare, & contra atq. fuerat, ad Orientem conuertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod uidetis, Solis ortum, & forum, curiamq. conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem urbis, atq. imperij, illustrarentur, ut a S.P.Q.R. perspici possent. atq. illud signum consules ita collocandum statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut neq. a superioribus consulibus, neq. a nobis ante hodiernum diem collocaretur. quo collocato, atq. ad uos, senatumq. conuerso, omnia & senatus, & uos, quae erant contra salutem omnium cogitata, illustrata, & patefacta uidistis. CELSA *sede* } Capitolino fastigio. FIXI } constituti ab haruspicibus. CLARABAT } ostendebat. CLADES } exitium. ALLOBROGVM } qui legationis munere fungebantur, & coniurationem aperuerunt. RITE } recte. VETERES } prisci Graeci. MONVMENTA } leges duodecim tabularum quae a Graecis petitae sunt. TENETIS } obseruatis. MODO } temperantia. VIRTVTE } fortitudine. VESTRI } Romani, atq. Latini. PIETAS } bona uoluntas erga deum, patriam, & parentes. FIDES } candor animi, & sinceritas. PRAESTITIT } excelluit. SAPIENTIA } prudentia. INGENTI *numine* } maxima religione. HAEC } idest talia pertinentia ad deos & religionem, & diuinationem. ADEO } certe. CVRA *sagaci* } studio solerti. OTIA *tenuero* } tempus impendere. IN *Academia*, } in Platonicorum schola, quam umbriferam uocat, quia in utramq. partem disputant Academici, omnia ad ambiguitatem redigentes. Vnde Horat. Atq. inter siluas Academi quaerere uerum. LYCEO } in Aristotelicorum schola, quam nitidam appellat, quia aperte loquitur. Sciendum est Academiam fuisse in suburbanis Athenarum, & Lyceum intra moenia. CLARAS *artes* } certas, & perspicuas rationes. FECVNDI *pectoris* } docti, & parturientis animi. E *quibus* } scilicet studijs. IN *media uirtutum mole* } in reip. regimine, ubi uirtutis est argumentum. ANXIFERAS *curas* } cogitationes laboriosas, & anxietatem ferentes. REQVIETE } cessatione quadam. QVOD } quia. VOCES } eloquij fluenta. PATRIAE *studijs* } curis publicis. NOBISQVE } hoc est, & Musis. In hanc sententiam Claudianus:

Aut curam imponit populis, aut otia Musis.

CICERO

TV igitur animum poteris inducere contra ea, quae a me disputantur, de diuinatione dicere, qui & gesseris ea, quae gessisti, & ea, quae pronunciaui, accuratissime scripseris? Quid quaeris, Carneades, cur haec ita fiant, aut qua arte perspici possint? nescire me fateor: euenire autem, te ipsum dico uidere. casu, inquis. ita ne uero? quidquam potest esse casu factum, quod omnes habet in se numeros ueritatis? quatuor tali iacti, casu uenereum efficiunt. num etiam centum uenereos, si C D *talos ieceris,*

casu

casu futuros putas? adspersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt: num etiam Veneris Gnidiae, Coaeq. pulchritudinem effingi posse ad spersione fortuita putas? sus rostra si humi A litteram impresserit, num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennij ab ea posse describi? Fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis, saxa diffisso, caput exstitisse Panisci. credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopa diceres. sic enim se profecta res habet, ut numquam perfecte ueritatem casus imitetur. ac nau num quam ea, quae praedicta sunt, minus eueniunt. quae tandem id ars non habet? earum, dica, artificium, quae coniectura continentur, & sunt opinabiles. an medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. quid? gubernatores non ne falluntur? an Achiuorum exercitus, & tot nauium rectores non ita profecti sunt ab Ilio, ut profectione laeti piscium lasciuiam intuerentur, ut ait Pacuuius, nec tuendi satietas capere posset?

Interea prope iam accidente Sole inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisq. & nimbum occaecat nigror:

num igitur tot clarissimorum ducum, regumq. naufragium sustulit artem gubernandi? aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit, amissa exercitu? aut num propterea nulla est reip. gerendae ratio, atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quaedam M. Catonem, non nulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est haruspicum responsia, omnisq. opinabilis diuinatia: coniectura enim nititur: ultra quam progredi non potest. ea fallit fortasse non numquam, sed tamen ad ueritatem saepissime dirigit: est enim ab omni aeternitate repetita. in qua cum paene innumerabiles res eodem modo euenirent iisdem signis antegressis, ars est effecta, eadem saepe animaduertendo, atque notando. Auspicia uera nostra quam constant? quae quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur, (bona hoc tua uenia dixerim) a Cilicibus, Pamphylijs, Pisidis, Lycijs tenentur. nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum, atque optimum uirum, Deiotarum regem commemorem? qui nihil numquam, nisi auspicato, gerit: qui cum ex itinere quodam proposito, & iam constituto reuertisset, aquilae admonitus uolatu; conclaue illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset; proxima nocte corruit. itaque, ut ex ipso audiebam, persaepe reuertit ex itinere, cum iam progressus esset multorum dierum uiam. cuius quidem hoc praeclarissimum est, quod; postea quam a Caesare tetrarchiae regno, pecuniaq. multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti secunda euenerint, paenitere: senatus enim auctoritatem, & populi R. libertatem, atque imperij dignitatem suis armis esse defensam, sibiq. eas aues, quibus auctoribus officium, & fidem secutus esset, bene consuluisse: antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. Ille igitur mihi uidetur uere augurari. nam nostri quidem magistratus auspicijs utuntur coactis. necesse enim est, offa obiecta cadere frustum ex pulliore, cum pascitur. quod autem scriptum habetis, aut tripudium fieri, si ex ea quid in solum ceciderit: hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium sollistimum dicitis. itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegij amissa plane, & deserta sunt. nihil fere quondam maioris rei, nisi auspicato, ne priuatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent. nam, ut nunc extis, (quamquam id ipsum aliquanto minus, quam olim) sic tum auibus magnae res impertiri solebant. itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira, & in uitiosa incurrimus. ut P. Claudius, Appij Caeci filius, eiusq. collega L. Iunius classes maximas perdiderunt, cum uitio nauigassent. quod eodem modo euenit Agamemnoni: qui, cum Achiui coepissent

Inter se strepere, aperteq. artem obterere extispicum,
Soluere imperat secundo rumore, auersaq. aui.

sed, quid uetera? M. Crasso quid acciderit, uidemus, dirarum obnunciatione neglecta. in quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter uirum bonum, & ciuem egregium censor C. Ateium notauit, quod, ementitum auspicia, subscripserit. esto: fuerit hoc censoris, si iudicabat ementitum. at illud minime auguris, quod adscripsit, ob eam caussam populum R. calamitatem maximam cepisse. si enim ea caussa calamitatis fuit; non in eo est culpa, qui obnunciauit; sed in eo qui non paruit. ueram enim fuisse obnunciationem, ut ait idem augur, & censor, exitus approbauit. quae si falsa fuissent, nullam afferre potuissent caussam calamitatis: etenim dirae, sicut cetera auspicia, ut omina, ut signa, non caussas afferunt cur quid eueniat, sed enunciant euentura, nisi prouideris. non igitur obnunciatio Ateij caussam finxit calamitatis, sed, signo obiecto, monuit Crassum, quid euenturum esset, nisi cauisset. ita aut illa obnunciatio nihil ualuit: aut, si, ut Appius iudicat, ualuit, id ualuit, ut peccatum haereat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperarit.

EXPLANATIO

CVR } quam ob caussam. ARTE } ratione. CASV, } sine certa caussa, aut ratione. NVMEROS } gradus. TALI } Quattuor talis ludebant antiqui. eorum autem quilibet quattuor tantum habet latera. & haec puncta, unum, tria, quattuor & sex. Vni uero cum opponantur sex, & quattuor tribus, supremus numerus in talis, qui constat ex punctis uiginti quattuor, dicebatur Venereus. TEMERE } casu, inconsulte, nulla certa arte, aut ratione. PIGMENTA } colores ad pingendum praeparati. VENERIS *Gnidiae* } Plinius de Praxitele agens dicit, Sed ante omnia Venus, quam ut uiderent, multi nauigauerunt Gnidum. Gnidus insula est Cariae regionis, & urbs eiusdem nominis. COAEQ. } Cos etiam insula, & urbs. Cois pinxit Apelles Venerem e mari exeuntem. ANDROMACHAM *Ennij* } subaudi, Tragoediam. CHIORVM } Chios insula

est ante loniam. A *scopa* } fuit Scopas marmoris caelator, & scalptor nobilis. IMITATVR. } effingat per imitationem. QVAE *tandem &c.* } ac si dicat, Omnes artes, quae coniectura, & opinione exercentur, id habent. CONIECTVRA } signis quibusdam dirigentibus rationem ad ueritatem. LASCIVIAM } luxum, laetitiam. PACVVIVS } Poeta fuit tragicus Ennij nepos ex filia. INHORRESCIT } turbatur. NIGROR } obscuritas. NVM *sustulit* } quasi dicat, Non amouit nauticam peritiam. GERENDAE } administrandae. OPINABILIS } coniecturalis. NITITVR } firmatur, EA } coniecturalis interpretatio. REPETITA. } obseruata. VESTRA } ita dicit, quia augur erat etiam Cicero, & eadem ratione subdit, Bona hoc tua uenia dixerim. TENENTVR } intelliguntur. HOSPITEM } iure hospitij nobis coniunctum. DEIOTARVS } Hic fuit Gallograeciae rex. AVSPICATO } captatis auspicijs. PROPOSITO } destinato. CONCLAVE } locus conclusus claue. PERREXISSET } perseuerasset. REGNO *tetrarchiae* } Regno Gallograeciae in quattuor partes olim diuiso, quae omnes in Deiotari potestatem deuenerant. De Deiotaro alibi inquit Cicero, Multis gradibus officiorum erga remp. nostram ad hoc regium nomen adscendit. MVLTATVS *est,* } priuatus est in poenam. AVCTORITATEM, } excellentiam, aestimationem, iudicium. DIGNITATEM } honorem. AVCTORIBVS } suasoribus, ducibus. ANTIQVIOREM } cariorem. GLORIAM. } famam, laudem seruatae fidei, & honestatis. AVGVRARI. } auguria interpretari, COACTIS. } uiolentis. OFFA } esca e pulte, siue carnibus, aut alia re. SCRIPTVM *habetis* } scilicet in libris disciplinae auguralis. IN *solum* } in terram. SIC *tum auibus magnae res impetriri solebant.* } Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Imperiri. Est autem, Impetriri, uetus augurale uerbum: quod idem Cicero usurpat lib. II. de diuinat. Qui euenit, inquit, ut is, qui impetrire uelit, conuenientem hostiam rebus suis immolet? Et Plaut. in Asin.

Impetritum, inauguratum est; quouis admittunt aues.

Restituendus etiam locus ille apud Valerium lib. I. Prisco etiam instituto rebus diuinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione; cum exposcendum, uoto; cum inquirendum uel extis, uel sortibus, impetrito: non, ut uulgo legitur, Imperito. Quod autem hoc ipso in lib. legitur, Impetrandis, consulendisq. rebus; malim legere Impetriendis, quam Impetrandis. diuersa enim sunt, Impetrire, & Impetrare. non enim Festus, sed opinor Paullus illud scripsit: Impetritum, impetratum. Haec Paullus pater. EXQVIRIMVS } scilicet captando auguria. DIRA } res noxias. VITIOSA } culpabilia. Vnde Vitiosi magistratus olim dicebantur non rite electi. VITIO } inauspicato. INTER *se strepera &c.* } Carmen est ex Agamemnone Pacuuij. OBTERERE } deridere. SECVNDO *rumore* } fauentibus ijs, qui auspicia deridebant AVERSA *aui* } contrario auspicio. DIRARVM } rerum tristium. OBNVNCIATIONE } imprecatione. Vide Plutarchum in uita Crassi. COLLEGA *tuus* } socius in augurum disciplina. ATEIVM } Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Aetheium; cum de Ateio Plutarchus in Crasso mentionem faciat. Et Dio lib. XXXIX. C. Ateium Capitonem nominet. Facile autem crediderim eum esse, quem Cicero appellat ep. 29. lib. XIII. Fam. his uerbis: C. Ateio Capitone familiarissime utor. Aetheiorum gentem inter Romanas nondum inueni. Haec Paullus pater. PROVIDERIS } remedium adhibueris. FIXIT } constituit. SIGNO *obiecto* } opposita face: Ateius enim trib. pleb. opposuit facem Crasso consuli in Parthos exeunti, & narrauit auspicium non esse prosperum. NIHIL *ualuit* } nullam caussam attulit calamitatis. ID *ualuit* } id effecit. PECCATVM *haereat* } culpa sit non in Ateio, sed in Crasso.

CICERO

QVID lituus iste uester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde uobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum urbem condidit. qui quidem Romuli lituus, id est incuruum, & leuiter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit; cum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaq. deflagrasset, inuentus est integer. Quid multis annis post Romulum, Prisco regnãte Tarquinio; quis ueterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Nauio per lituum regionum facta descriptio? qui cum propter paupertatem, sues puer pasceret, una ex his amissa, uouisse dicitur, si recuperasset, uuã se deo daturum, quae maxima esset in uinea: itaque, sue inuenta, ad meridiem spectans, in uinea media dicitur constitisse; eumq. in quattuor partes uineam diuidisset, tresq. partes aues abdixissent; quarta parte, quae erat reliqua, in regione distributa, mirabili magnitudine uuam, ut scriptum uidemus, inuenit. qua re celebrata, cum uicini omnes ad unum de rebus suis referrent, erat in magno nomine, & gloria. ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus accerseret. cuius cum tentaret scientiam auguratus, dixit ei se cogitare quiddam. id possetne fieri, consuluit. ille, augurio acto, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse cotem nouacula posse praecidi: tum Attium iussisse experiri: ita cotem in Comitium illatam, inspectante & rege, & populo, nouacula esse discissam. ex eo euenit, ut & Tarquinius augure Attio Nauio uteretur, & populus de suis rebus ad eum referret. cotem autem illam, & nouaculam defossam in Comitio, supraq. impositum puteal accepimus. Negemus omnia; comburamus annales; ficta haec esse dicamus; quiduis denique potius, quam deos res humanas curare, fateamur: quid, quod apud te scriptum est de Ti. Graccho, nonne & augurum, & haruspicum comprobat disciplinam? qui, cum tabernaculum uitio cepisset imprudens, quod inauspicato pomerium trãsgressus esset; comitia consulibus rogandis habuit. nota res est, & a te ipso mandata monumentis. sed & ipse augur Ti. Gracchus auspiciorum auctoritatem confessione errati sui comprobauit; et haruspicum disciplinae magna accessit auctoritas; qui recentibus comitijs in senatum introducti, negauerunt iustum

comi-

comitiorum rogatorem fuisse. Iis igitur assentior, qui duo genera diuinationis esse dixerunt; unum, quod particeps esset artis, alterum, quod arta careret. est enim ars in ijs, qui nouas res coniectura persequuntur, ueteres obseruatione didicerunt. carent autem arte ij, qui non ratione, aut coniectura obseruatis, ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluta, liberoq. motu futura praesentiunt. quod et somniantibus saepe contingit, & non numquam uaticinantibus per furorem, ut Bacchis Boeotius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythraea. cuius generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quae aequitatis fortibus dicuntur; sed illa, quae instinctu diuino, afflatuq. subduntur. etsi ipsa sors contemnenda non est, si & auctoritatem habet uetustatis, ut eae sunt sortes, quas e terra editas accepimus: quae tamen ductae, ut in rem apte cadant, fieri posse credo diuinitus. quorum omnium interpretes, ut grammatici poetarum, proxime ad eorum, quos interpretantur, diuinationem uidentur accedere.

EXPLANATIO

QVID *lituus iste uester* } Insignia, inquit, auguratus uestri diuinationem esse ueram ostendunt. *A summo* } a cacumine. BACILLVM } deminutiuum est a baculo, quod etiam neutro genere protulit Ouid. - baculum, quod agreste gerebat.

LITVI, *quo canitur* } litui militaris. Est autem genus bucinae incuruae, quo, qui cecinerit, inquit Vegetius, dicitur Liticen. SALIORVM } Salij dicebantur Sacerdotes Martis, de quibus, inquit Liuius, Numa Salios duodecim Marti Gradiuo legit. ABDIXISSENT, } reprobassent, damnassent. DISTRIBVTA, } designata. CELEBRATA, } diuulgata. REFERRENT } consilium peterent. NOMINE } fama, aestimatione, ueneratione. ACCERSERET } aduocaret. AVGVRATVS } auguralis muneris. CONSVEVIT. } quaesiuit. ACTO } captato. NOVACVLA } rasorio cultello. EXPERIRI } tentare. IN *Comitium* } in loco, ubi conueniebant magistratus. PVTEAL } hoc nomine proprie intelligitur lapis, quo operitur os putei. Inde ponitur pro quocumque superposito lapide ad monumentum, & recordationem. Cotem, inquit Dionysius, & nouaculam insculptam dicunt sub ara quadam subterranea. uocatur autem a Romanis Puteal. ANNALES } historicos libros. CVRARE } habere curam. APVD *te* } in lib. II. de Natde. TABERNACVLVM } tugurium, e tabulis confectum, e quo augurium captarent augures. VITIO *cepisset imprudens,* } non legitime constituisset, non seruato per imprudentiam augurali ritu. POMERIVM } Pomerium, inquit Liuius, est circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis augurato consecrabant: & hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis, quod post murum esset, quam quod murus post id, Pomerium Romani appellarunt. ROGANDIS } eligendis. AVCTORITATEM } dignitatem. IVSTVM } legitimum, quoniam in auspicando errauerat. ARS } artificiosa diuinatio. CONIECTVRA *persequuntur* } interpretantur obseruatione euentorum. RATIONE } arte. CONCITATIONE } commotione, impetu, furore. QVOD } scilicet praesagium. BACCHIS *Boeotius* } Pisistrati ex Eleone urbe Boeotiae epitheton erat Bacchis, auctore Suda, quoniam erat fatidicus. EPIMENIDES *Cres,* } Epimenidis uatis Cretensis suasione, Athenienses erexerunt aras Deo ignoto, ut ait Laertius. Diuus Paulus in epistola ad Titum Epimenidem nominauit prophetam, qui semper mendaces cecinerat Cretenses, malasq. bestias, & uentres pigros. ERYTHRAEA. } Erythre patria huius Sibyllae urbs est Ioniae. ORACVLA } ita dicuntur sententiae diuinae humano ore enunciatae. EDITAS } emissas. IN *rem* } ad propositum. DIVINITVS } ordinatione diuina. QVORVM *omnium* } oraculorum, atque sortium.

CICERO

QVAE est igitur ista calliditas, res uetustate robustas calumniando uelle peruertere? Non reperio caussam. latet fortasse obscuritate inuoluta naturae. non enim me deus ista scire, sed his tantummodo uti uoluit. utar igitur; nec adducar, ut rear aut in extis totam Etruriam delirare, aut eandem gentem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, cum terrae saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus multa nostrae reip. multa ceteris ciuitatibus grauia & uera praedixerint. Quid, qui irridetur, partus hic mulae, nonne, quia fetus exstitit in sterilitate naturae, praedictus est ab haruspicibus incredibilis partus malorum? Quid? Ti. Gracchus, Publij filius, qui bis consul, et censor fuit, idemq. & summus augur, et uir sapiens, ciuisq. praestans, nonne, ut C. Gracchus, filius eius, scriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehensis haruspices conuocauit? qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori breui tempore esse moriendum; si feminam; ipsi aequius esse censuit, se maturam oppetere mortem, quam P. Africani filiam adolescentem: feminam emisit: ipsa paucis post diebus est mortuus. Irrideamus haruspices; uanos, futiles esse dicamus, quorumq. disciplinam & sapientissimus uir, & euentus, ac res comprobauit, contemnamus: contemnamus etiam Babylonios, & eos, qui ex Caucaso caeli signa seruantes, numeris, & motibus stellarum cursus persequuntur: condemnemus, inquam, hos aut stultitiae, aut uanitatis, aut imprudentiae, qui CCCCLXX millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, & mentiri iudicemus, nec saeculorum iudicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. Age, barbari uani, atque fallaces: num etiam Graiorum historia mentita est? quae Croeso Pythius Apollo,

Apollo, (ut de naturali diuinatione dicam) quae Atheniensibus, quae Lacedaemonijs, quae Taygetis, quae Arginis, quae Corinthijs responderit, quis ignorat? collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore, atque teste: quae quia nota tibi sunt, relinquo. defendo unũ hoc: numquam illud oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset, neque tantis donis refertũ omnium populorũ, atque regum, nisi omnis aetas oraculorũ illorũ ueritatem esset experta. iam diu idem non facit. ut igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorum ueritas excellit: sic tum, nisi summa ueritate, in tanta gloria non fuißet. potest autem uis illa terrae, quae mentem Pythiae diuino afflatu concitabat, euanuisse uetustate, ut quosdam exaruisse amnes, aut in aliũ cursum contortos, & diflexos uidemus. sed, ut uis, acciderit: magna enim quaestio est: modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam peruerterimus, multis saeculis uerax fuisse id oraculum. Sed omittamus oracula: ueniamus ad somnia. de quibus disputans Chrysippus, multis, & minutis somnijs colligendis, facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quae, Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis, sed exemplis grandioribus decuit uti. Dionysij mater, eius, qui Syracusiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, & doctum hominem, & diligentem, & aequalem temporum illorum, cum praegnans hunc ipsum Dionysium aluo contineret, somniauit se peperisse satyriscum. huic interpretes portentorum, qui Galleotae tum in Sicilia nominabantur, responderunt, ut ait Philistus, eum, quem illa peperisset, clarissimum Graeciae diuturna cum fortuna fore.

EXPLANATIO

CALLIDITAS} astutia, & calumnia. ROBVSTAS} confirmatas. CALVMNIANDO} astuta uituperatione damnando PERVERTERE?} destruere. NON *reperio caussam*} subaudi harum diuinationum. Haec sunt uerba calumniantium. LATET *fortaße*} subaudi caussa. Haec sunt Q. Cic. uerba, quibus inquit, satis esse cognosci effectum, etiam ignorata caussa. NATVRAE} illius, quae est natura naturarum, & caussa caussarum: hoc est, dei. DELIRARE,} aberrare. PORTENTA} monstra. GRAVIA} magna. PARTVS *hic*} qui scilicet nuper apparuit. INCREDIBILIS} numerosus. SVMMVS} perfectissimus. PRAESTANS} egregius. MATVRAM} tempestiuam. ADOLESCENTEM} Corneliam adhuc uigentem & aptam foetibus. FEMINAM} serpentem feminam. VANOS} leues. FVTILES} temere effundentes. DISCIPLINAM} scientiam. COMPROBAVIT} quoniam Ti. Gracchus mortuus est. BABYLONIOS} Chaldaeos, de quibus paullo supra meminit Cicero. NVMERIS} supputationibus arithmeticis. MOTIBVS,} gradibus. PERSEQVVNTVR} imitantur. STVLTITIAE,} ignorantiae. CDLXX *millia*} Saepe mihi in eiusmodi litteris obseruatus error facile persuadet, ut legendum potius existimem, CCCCIↃↃ, & deleatur millia. nam, CCCIↃↃↃ, ualet, centum millia. quo de genere in nostris ad Atticum commentarijs & satis copiose, & primi, ut opinor, disputauimus. Haec Paullus pater. MONVMENTIS.} historijs. SAECVLORVM *reliquorum*} hoc est, hominum, qui posterioribus temporibus essent futuri. PYTHIVS} Apollinis cognomen, a Pythone serpente, quem ipse Apollo sagittis confecit. LOCVPLETE} graui, & fide digno. SED, *ut uis,*} Sed, quomodocumque uis: ac si dicat, nihil refert hoc, an alio modo uis illa terrae euanuerit. MODO *maneat*} dummodo certum sit. SOMNIA} nocturna uisa. ANTIPHONTIS} hic, auctore Suda, fuit Atheniensis, portentorum, & somniorum interpres. Lucianus agens de ueris narrationibus dicit, Praeerat oraculo coniector Antiphon. GRANDIORIBVS} illustrioribus. APVD *Philistum*} Syracusius historicus fuit Philistus, siue, ut Sudas scribit, Philiscus. SATYRISCVM} paruum Satyrum: ita & Paniscus paruus dicitur Pan.

CICERO

NVm te ad fabulas reuoco uel nostrorũ, uel Graecorum poetarum? narrat enim & apud Ennium Vestalis illa:

Excita cum tremulis anus attulit artubu' lumen,
Talia commemorat lacrymans exterrita somno.
Euridica prognata, pater quam noster amauit,
Vires uitaq. corpu' meum nunc deserit omne.
Nam me uisus homo pulcher per amoena salicta
Et ripas raptare, locosq. nouos. ita sola
Post illa, germana soror, errare uidebar;
Tardaq. uestigare: & quaerere te, neque poße
Corde capessere. semita nulla pedem stabilibat.
Exin compellare pater me uoce uidetur
His uerbis: O gnata, tibi sunt ante gerendae
Aerumnae: post ex fluuio fortuna resistet.
Haec pater effatus, germana, repente recessit,
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus:
Quamquam multa manus ad caeli cerula templa
Tendebam lacrymans, & blanda uoce uocabam.
Vix aegro cum corde meo me somnu' relinquit.

haec, etiam si ficta sunt a poeta, non absunt tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commenticium, quo Priamus est conturbatus.

Quia mater grauida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculsus, curis sumptis suspirantibus
Exsacrificabat hostijs balantibus.
Tum coniectore postulat pacem petens,
Vt se edoceret obsecrans Apollinem,
Quo sese uertant tantae sortes somnium.
Ibi ex oraclo uoce diuina edidit
Apollo, puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus tempora, hunc si tolleret,
Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.

Sint haec, ut dixi, somnia fabularum: hisq. adiungatur

tur etiam Aeneae somnium: quod in Numerij Fabij Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt, quaeq. illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem uisa sunt. Sed propiora uideamus. Cuiusnam modi est Superbi Tarquinij somnium, de quo in Bruto Actij loquitur ipse?

Cum iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos,
Visum est in somnijs, pastorem ad me appellere
Pecus lanigerum eximia pulchritudine;
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Praeclarioremq. alterum immolare me:
Deinde eius germanum cornibus conitier
In me arietare, eoq. ictu me ad casum dari.
Exin prostratum terra grauiter saucium,
Resupinum, in caelo contueri maximum, ac
Mirificum facinus, dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis liquier cursu nouo.

eius igitur somnij quae sit a coniectoribus interpretatio facta, uideamus.

Rex, quae in uita usurpant homines, cogitant, curant, uident,
Quaeq. agunt uigilantes, agitantque, ea si cui in somno accidunt,
Minus mirum est: sed in re tanta haud temere improuiso offerunt:
Proin uide, ne, quem tu esse hebetem deputes aeque ac pecus,
Is sapientia munitum pectus egregium gerat,
Teq. regno expellat. nam id, quod de Sole ostentum est tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore.
Perpropinqua haec bene uerruncent populo. nam, quod ad dexteram
Coepit cursum ab laeua signum praepotens, pulcherrime auguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

EXPLANATIO

EXCITA *cum tremulis* } Carmina Ennij poetae de somnio uirginis Vestalis. *Excita*: uelox, & sedula. EVRYDICA *prognata* } orta ex Eurydica. NOVOS. } insuetos. POSTILLA } deinde. AERVMNAE: } calamitates. MVLTA } multum. CAELI *templa* } caeli conuexa. COMMENTICIVM, } fictum. QVIA *mater* } Versus sunt Ennij in Hecuba tragoedia. HECVBA } filia fuit Cissei, hinc Virgil.

Nec face tantum Cisseis praegnans, ignes enixa iugales.

FACEM } ignitum lignum. PERCVLSVS } territus, consternatus animo. CONIECTOREM } interpretem. IBI } tunc. ORACLO } sacrario. DIVINA } fatidica. APOLLO, *puerum*, } haec est somnij interpretatio. IN *Numerij Fabij* } Antea, mendose, Innumerum Fabij. nos ex antiquis libris restituimus. tres enim Fabij Pictores fuere, clari omnes antiquitatis notitia, Quinctus, Numerius, Seruius: quorum antiquissimus Quinctus. nominantur a Liuio, Agellio, Macrobio, Orosio, Nonio, Cicerone. Haec Paullus pater. SECVNDVM *quietem* } per quietem. DE *quo ipse* } Tarquinius loquitur de suo somnio apud Attium in tragoedia, quae inscribebatur Brutus. PLACANS } refouens.

VISVM *est in somnijs, pastorem ad me appellere*
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Duos consanguineos arietes inde eligi, }

Hos uersus, qui antea praepostero ordine collocati legebantur, ita digerendos esse, admonuit Muretus in annotationibus, quas in Terentium edidit. Haec Paullus pater. *Appellere*: adducere. CONNITIER } conatum facere, ac impetum. ARIETARE } aduersa fronte irruere. NOVO } insueto, quoniam a laeua currebat in dextram. A *coniectoribus* } ab interpretibus. VSVRPANT } frequenter exercent. AGITANT } animo uoluunt. MINVS *mirum est:* } Haec tota somnij interpretatio constat e septenarijs. itaque non intelligo, quid spectauerint ij, qui ueterem lectionem mutarunt, & pro, Minus mirum est, legere maluerunt, Minus mirandum est. Haec Paullus pater. HAVD *temere* } non sine caussa. HEBETEM } obtusum, crassi ingenij. DEPVTES } existimes. AEQVE *ac pecus*, } tamquam animal brutum. MVNITVM } armatum. EGREGIVM } nobile. PORTENDIT } denunciat. PERPROPINQVA, } impendentia, cito futura. BENE *uerruncent* } bene uertant: subaudi dij. Auerruncare est auertere; & Auerruncus, qui mala auertit. SIGNVM *praepotens*, } Sol, qui ceterorum siderum dominus est. AVGVRATVM *est*, } significatum est. SVMMAM } praepotentem.

CICERO

AGE nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis, scribit Ponticus Heraclides, doctus uir, auditor, & discipulus Platonis, uisam esse uidere in somnijs simulacra deorum, quae ipsa Phalaridis domi consecrauisset: ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem uisum esse fundere: qui cum terram attigisset, referuescere uideretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. quod matris somnium immanis filij crudelitas comprobauit. Quid ego, quae magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dionysij Persicis libris proferam? nam, cum dormienti ei Sol ad pedes uisus esset, ter eum scribit frustra appetiuisse manibus, cum se conuoluens Sol elaberetur, & abiret: ei magos dixisse, quod genus sapientum, & doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione Solis, XXX annos Cyrum regnaturum esse, portendi. quod ita contigit. nam ad LXX peruenit, cum XL natus annos regnare coepisset. Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus praesentiens, atque diuinans: si quidem ad mortem proficiscens Ca-

lanus

lanus Indus cum adscenderet in rogum ardentem, O praeclarum discessum, inquit, e uita, cum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit. cumq. Alexāder eum rogaret, si quid uellet, ut diceret: Optime, inquit: propediem te uidebo quod ita contigit: nam Babylone paucis post diebus Alexāder est mortuus. Discedo parumper a somnijs, ad quae mox reuertar. Qua nocte templum Ephesiae Dianae deflagrauit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum, atque, ubi lucere coepisset, clamitasse magos, pestem, ac perniciem Asiae proxima nocte natam. Haec de Indis, & magis: redeamus ad somnia. Hannibalem Coelius scribit, columnam auream, quae esset in fano Iunonis Laciniae, auferre uellet, dubitaretq. utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebrauisse: cumq. solidam inuenisset, statuissetq. tollere, secundum quietem uisam esse ei Iunonem praedicere, ne id faceret, minitarique, si id fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene uideret, amitteret: idq. ab homine acuto non esse neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum esset bucculam curasse faciendam, & eam in summa columna collocauisse. hoc idem in Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est. is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est. Hannibalem, cum cepisset Saguntum, uisum esse in somnijs a Ioue in deorum concilium uocari: quo cum uenisset, Iouem imperasse, ut Italiae bellum inferret, ducemq. ei unum ex concilio datum: quo illum utentem, cum exercitu progredi coepisse: tum ei ducem illum praecepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumq. cupiditate respexisse: tum uisam belluam uastam, & immanem, circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, uirgulta, tecta peruertere: & eum admiratum quaesisse de deo, quidnam illud esset tale monstrum; & deum respondisse, uastitatem esse Italiae; praecepisseque, ut pergeret protinus; quid retro, atque a tergo fieret, ne laboraret. Apud Agathoclem scriptum in historia est, Hamilcarem Carthaginiensem, cum oppugnaret Syracusas, uisum esse audire uocem, se postridie cenaturum Syracusis: cum autem is dies illuxisset, magnam seditionem in castris eius inter Paenos, & Siculos milites esse factam: quod cum sensissent Syracusani, improuiso eos in castra irrupisse, Hamilcaremq. ab ijs uiuum esse sublatum. ita res somnium comprobauit. Plena exemplorum est historia, tum referta uita communis. At uero P. Decius ille, Q. filius, qui primus e Decijs consul fuit, cum esset tribunus mil. M. Valerio, & A. Cornelio cos. a Samnitibusq. premeretur noster exercitus; cum pericula proeliorum iniret audacius, moneretur que, ut cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus; sibi in somnijs uisum esse, cum in medijs hostibus uersaretur, occidere cum maxima gloria. & tum quidem incolumis exercitum obsidione liberauit. post triennium autem, cum consul esset, deuouit se, & in aciem Latinorum irrupit armatus. quo eius facto superati sunt, & deleti Latini. cuius mors ita gloriosa fuit, ut eandem concupisceret filius. Sed ueniamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum. Est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni, suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum, uidisse se in somnijs pulchritudine eximia feminam, quae se nomine appellans diceret Homericum quendam eiusmodi uersum:
Tertia te Pythiae tempestas laeta locabit.
quod ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus; qui uir, & quantus, in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia: quorum exitus mirabiles exstiterunt. mentiri Xenophontem, an delirare dicemus? quid, singulari uir ingenio, Aristoteles, & paene diuino, ipse ne errat, an alios uult errare, cum scribit Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras uenisse; quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur; in eo igitur oppido ita grauiter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei uisum esse in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore, ut breui conualesceret, paucisq. diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, & conualuisse Eudemum, & ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut; cum animus Eudemi ex corpore excesserit, tum domum reuertisse uideatur. Adiungamus philosophis doctissimum hominem, poetam quidem diuinum, Sophoclem: qui, cum ex aede Herculis patera aurea grauis surrepta esset, in somnijs uidit ipsum deum dicentem qui id fecisset. quod semel ille, iterumq. neglexit. ubi idem saepius, adscēdit in Ariopagum, detulit rem: Ariopagitae comprehendi iubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. is, quaestione adhibita, confessus est, pateramq. retulit. quo facto, fanum illud Indicis Herculis nominatum est.

EXPLANATIO

AD *externa* } ad peregrina, de quibus exempla ponere ceperamus. REDVNDARET } plena esset, Immanis filij feri, & crudelissimi Phalaridis, qui Agragantum Siculum tyrannide occupauit. PRINCIPI } primo: fuit enim alius Cyrus, quem Xenophon suis monumentis celebrauit. APPETIVISSE } tentasse capere. CALANVS } Calanus, inquit Suidas, e numero Brachmanum: sic enim appellant Indi sapientissimum uirum. VT *Herculi contigit* } in Oeta monte, COELIVS } Coelius Antipater Romanus historicus: de quo etiam in Bruto. IVNONIS *Laciniae* } Iunonis in Lacinio promontorio Lucaniae. ibi prope templum dicunt fuisse locum proceris abietibus saeptum. SOLIDA } tota aurea. SECVNDVM *quietem* } per somnum. BVCVLAM } imaginem uitulae. PERSECVTVS *est* } descripsit. CONCILIVM } consessum. VASTAM, } magnam.

magnam. IMMANEM } feram. PERVERTERE } prosternere. VASTITATEM } desolationem. PROTINVS } statim, sine intermissione. NE *laboraret* } non curaret. HAMILCAREM *Carthaginiensem* } Gisgonis filium. REFERTA } plena. PREMERETVR } obsideretur iniquitate loci, & hostili agmine. OCCIDERE } mori. DEVOVIT *se*, } morti se addixit, pro salute patriae. Hoc autem fuit ad Veserim Campaniae. IN *custodia publica*, } in carcere. TERTIA *te Phthiae &c.* } Achilles apud Homerum IX. Iliad. ita loquitur: Quod si Neptunus tribuerit secundam mihi nauigationem, tertio die fertilem Phthiam attingam. TERTIA *tempestas laeta*: } tertia dies iucunda. QVI *uir*, } quam praestans uir. CYRO *minore* } ad differentiam Cyri maioris, de quo paullo supra. NOBILIS, } celebris. AB *uxoris fratribus* } uide Plutarch. in Pelopida. IN *Ariopagum* } in senatum. Ariopagus erat locus publici consilij in summitate collis, & Ariopagitae senatores, & iudices. DETVLIT } aperuit, & seum fecit furem. QVAESTIONE } inquisitione. INDICIS } demonstratoris.

C I C E R O

SED quid ego Graecorum? nescio quo modo magis me nostra delectant. omnes hoc historici, Fabij, Gellij, sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi uotiui maximi primum fierent, ciuitas ad arma repente est excitata. itaque, ludis intermissis, instauratiui constituti sunt. qui ante quam fierent, cumq. iam populus consedisset; seruus per circum, cum uirgis caederetur, furcam ferens ductus est. exin cuidam rustico Romano dormienti uisus est uenire, qui diceret, praesulatorem sibi non placuisse ludis, idq. ab eodem iussum esse eum senatui nunciare; illum non ausum: iterum esse idem iussum, & monitum, ne uim suam experiri uellet; ne tum quidem esse ausum; exin filium eius esse mortuum: eandem in somnijs admonitionem fuisse tertiam; tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum; cumq. senatui somnium enarrauisset, pedibus suis saluum reuertisse. itaque, somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos, memoriae proditum est. C. uero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Coelium est, sibi in somnijs quaesturam petenti Tiberium fratrem uisum esse dicere, quam uellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. hoc, ante quam tribunus pl. Gracchus factus esset, & se audisse scribit Coelius, & dixisse multis. quo somnio quid inueniri potest certius? Quid? illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? unum de Simonide: qui cum ignotum quendam proiectum mortuum uidisset, eumq. humauisset, haberetq. in animo nauem conscendere, moneri uisus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affeceras; si nauigasset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse; perisse ceteros, qui tum nauigassent. Alterum ita traditum, clarum admodum somnium: cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, & Megaram uenissent, alterum ad cauponem diuertisse, ad hospitem alterum: qui ut cenati quiescerent, concubia nocte uisum esse in somnijs ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare ut subueniret, quod sibi a caupone interitus pararetur: eum primo perterritum somnio surrexisse: dein, cum se collegisset, idq. uisum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum uisum esse rogare, ut, quoniam sibi uiuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum a caupone esse coniectum, & supra stercus iniectum: petere, ut mane ad portam adesset, prius quam plaustrum ex oppido exiret: hoc uero eum somnio commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse; quaesisse ex eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, cauponem, re patefacta, poenas dedisse. Quid hoc somnio dici diuinius potest? Sed quid aut plura, aut uetera quaerimus? saepe tibi meum narraui: saepe ex te somnium audiui tuum: me, cum Asiae prouinciae praeessem, uidisse in quiete, cum tu equo aductus ad quandam magni fluminis ripam, prouectus subito, atque delapsus in flumen, nusquam apparuisses, me contremuisse timore perterritum: tum te repente laetum exstitisse, eodemq. equo aduersam adscendisse ripam, nosq. inter nos esse complexos. facilis coniectura huius somnij: mihiq. a peritis in Asia praedictum est, fore eos euentus rerum, qui acciderunt. uenio nunc ad tuum. Audiui equidem ex te ipso, sed mihi saepius Sallustius noster narrauit: cum in illa fuga, nobis gloriosa, patriae calamitosa, in uilla quadam campi Atinatis maneres, magnamq. partem noctis uigilasses, ad lucem denique arcte, & grauiter dormitare coepisse: itaque, quamquam iter instaret, te tamen silentium fieri iussisse, neque esse passum te excitari: cum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnium narrauisse: uisum tibi esse, cum in locis solis maestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te, quid tristis esses: cumq. tu te tua patria ui pulsum esse dixisses, prehendisse eum dextram tuam, & bono animo te iussisse esse, lictoriq. proximo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret; & dixisse, in eo tibi salutem fore. tum & se exclamasse Sallustius narrat, reditum tibi celerem, & gloriosum paratum, & te ipsum uisum somnio delectari. nam illud mihi ipsi celeriter nunciatum est: ut audiuisses, in monumento Marij de tuo reditu magnificentissimum illud S. C. esse factum, referente, optimo, & clarissimo uiro, consule, idq. frequentissimo theatro, incredibili clamore, & plausu comprobatum: dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse diuinius.

EXPLANATIO

LVDI *notini* ʒ Vide Dionysium Halicarnasseum. SERVVS ʒ Antonij uidelicet, ut scribit Lactantius. PER *circum* ʒ scilicet Flaminium, *in* quo tunc ludi celebrabantur. PRAESVLTOREM ʒ primum saltantem. DEBILEM *factum* ʒ Liuius inquit, Ingens uis morbi adorta est debilitate subita. QVAM *uellet* ʒ quam non uellet. EODEM *leto* ʒ eodem genere mortis, impetu scilicet populi. PROIECTVM ʒ expositum, & abiectum. CLARVM *admodum* ʒ ualde manifestum. ARCADES ʒ Arcadia est in Peloponneso. MEGARAM ʒ Megara urbs est media inter Peloponnesum, & Atticam regionem. AD *hospitem* ʒ amicum. CONCVBIA *nocte* ʒ noctis silentio: ea noctis parte, quae quieti data est: cum fere omnes cubarent. SE *collegisset*, ʒ animum timore solutum resumpsisset. VISVM ʒ quod ei apparuerat. ME, *cum Asiae* ʒ Enarrat Q. Cicero somnium suum, ut naturalem diuinationem confirmet. EXSTITISSE ʒ apparuisse. ADVERSAM ʒ oppositam. SALLVSTIVS *noster* ʒ subaudi, Libertus. GLORIOSA ʒ gloria digna: quia a pessimis uiris pulsi. PATRIAE *calamitosa* ʒ quia expulsi illius salutem tueri non pôteramus. CAMPI *Atinatis* ʒ agri Atinatis. Est autem Atina Campaniae opidum, quod adhuc retinet idem nomen. AD *lucem* ʒ prope auroram. ARCTE, ʒ profunde. INSTARET, ʒ necessarium esset. EXPERRECTVS *esses* ʒ a somno per te ipsum euigilasses. SIBI ʒ Sallustio liberto tuo. LAVREATIS ʒ lauro redimitis consulatus insignibus. LICTORI ʒ ministro. IN *monumentum suum* ʒ In aedem, in qua exstaret Marij memoria: Auctor est Val. Max. Senatusconsultum de restituendo Cicerone factum fuisse in aede Iouis Mariana. MAGNIFICENTISSIMVM ʒ gloriosissimum. CLARISSIMO *uiro* ʒ scilicet Lentulo Ciceronis amico. THEATRO ʒ populi conuentu, & spectaculo. PLAVSV ʒ laetus acclamationibus fauentis populi.

CICERO

AT multa falsa, immo obscura fortasse nobis. sed sint falsa quaedam: contra uera quid dicimus? quae quidem multo plura euenirent, si ad quietem integri iremus. nunc onusti cibo, & uino, perturbata, & confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. dicit enim: Cum dormientibus ea pars animi, quae mentis, & rationis particeps sit, sopita langueat; illa autem, in qua feritas quaedam sit, atque agrestis immanitas, cum sit immoderato obstupefacta potu, atque pastu, exsultare eam in somno, immoderateq. iactari. itaque huic omnia uisa obijciuntur a mente, ac ratione uacua: ut aut cum matre corpus miscere uideamur, aut cum quouis alio uel homine, uel deo, saepe bellua, atque etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaq. facere impure, atque taetre, cum temeritate, atque impudentia. at, qui salubri, & moderato cultu, atque uictu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis, & consilij est, agitata, & erecta, saturataq. bonarum cogitationum epulis, eaq. parte animi, quae uoluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti; quorum utrumque praestringere aciem mentis solet; siue deest naturae quippiam, siue abundat, atque effluit; illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata, atque restincta tum eueniet, duabus animi temerarijs partibus compressis, ut illa tertia pars rationis, & mentis eluceat, & se uegetam ad somniandum, acremq. praebeat: tum ei uisa quietis occurrent tranquilla, atque ueracia. Haec uerba ipsa Platonis expressi. Epicurum igitur audiemus potius? nam Carneades, concertationis studio, modo ait hoc, modo illud. at ille quid sentit? sentit autem nihil umquam elegans, nihil decorum. hunc ergo antepones Platoni, & Socrati? qui, ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos uincerent. iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationemq. afferat. ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba uescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quaerenti uera, contrariam. Cum ergo est somno seuocatus animus a societate, & contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura prouidet. iacet enim corpus dormientis, ut mortui: uiget autem, & uiuit animus. quod multo magis faciet post mortem, cum omnino ex corpore excesserit. itaque, appropinquante morte, multo est diuinior. nam et id ipsum uident, qui sunt morbo graui, & mortifero affecti, instare mortem. itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum: tumq. uel maxime laudi student: eosque, qui secus quam decuit uixerunt, peccatorum suorum tum maxime paenitet. Diuinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert, Rhodium quendam morientem sex aequales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. sed tribus modis censet deorum appulsu homines somniare: uno, quod prouidebat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur: altero, quod plenus aer sit immortalium animorum, in quibus tamquam insignitae notae ueritatis appareant: tertio, quod ipsi dij cum dormientibus colloquantur: idque, ut modo dixi, facilius euenit appropinquante morte, ut animi futura augurentur. ex quo & illud est Calani, de quo ante dixi; & Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denunciat. neque enim illud uerbum temere consuetudo approbauisset, si ea res nulla esset omnino.

Praesagibat animus frustra me ire, cum exirem domo. sagire enim, sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa scire uolunt, & sagaces dicti canes. is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur praesagire, id est futura ante sentire. inest igitur in animis praesagitio, extrinsecus iniecta, atque inclusa diuinitus. ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus diuino instinctu concitatur.

EXPLA-

EXPLANATIO

INTEGRI } sobrii, absque perturbationibus. POLITIA } in libris de rep. MENTIS } Intelligentiae. RATIONIS } recti discursus. FERITAS } ferinus sensus, quem inferius Rationem uacuam nominat. AGRESTIS *immanitas*, } indomita crudelitas. OBSTVPEFACTA } maxime affecta. cum, inquit, incaluerit potu, atque pastu. EXSVLTARE } laetitia gestire, iactari, & quasi fluctuare. RATIONE *uacua* } fatuitate irrationali, motu, siue ferino sensu. IMPVRE } obscene. TAETRE } crudeliter. SALVBRI } utili. CVLTV } exercitio. VICTV } cibo, & potu. AGITATA } commota, excitata. ENECTA } prostrata. PRAESTRINGERE } obtenebrare. EXSISTIT } inest. SEDATA } mitigata. TEMERARIIS } impetuosis. COMPRESSIS } confractis. VEGETAM } uiuacem. ACREM } robustam. QVIETIS } somni. TRANQVILLA } laeta, pacata. SENTIT } statuit. ELEGANS } ratione subnixum. DECORVM } pulchrum, philosopho dignum. VT } quamuis. MINVTOS } paruae auctoritatis. AFFECTIS } dispositis. SEVOCATVS } liberior factus. CONTAGIONE } pollutione. PROVIDET. } praesagit, prospicit, diuinat. DIVINIOR } purior. INSTARE } imminere. OCCVRRVNT } apparent. LAVDI *studient* } rebus laudandis incumbunt operam. AEQVALES } eiusdem aetatis. DEINCEPS } successiue. APPVLSV } inspiratione. COGNATIONE } naturali similitudine. TENEATVR } constet. INSIGNITAE } impressae. AVGVRENTVR. } diuinent. HOMERICI } ab Homero inducti XXII. Iliad. EA res } ipsa diuinatio, prouidentia, praesagitio. PRAESAGIBAT *animus* } carmen est Plauti in Aulularia fabula. SAGAE } peritae, sensum acutum habentes: proprie tamen Saga dicitur mulier perita sacrorum. SAGACES } odoratus acumine praesentientes. SAGIT } sentit, quasi canis, qui per olfactum inuestiget. OBLATA } oculis praesentata. PRAESAGITIO } praesensio. INEST *igitur &c.* } Ita uidetur dicere: In animis praesagitio inest, diuinitus inclusa: quae tamen est extrinseca, siue caelestis, sed spiritu ducta, ipsi animae iniecta est. ACRIVS } uehementius. FVROR } mentis concitatio, & feruor. A corpore, quod terrestris est, atque semper manentis naturae. ABSTRACTVS } auulsus. DIVINO *instinctu* } diuino impulsu.

CICERO

SED quid oculis rapere uisa est derepẽte ardẽtibus?
ubi illa paullo ante sapiens uirginali modestia?
Mater optuma, tum multo mulier melior,
Missa sum superstitiosis hariolationibus:
Neque me Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet.
Virgines uero aequales, patris mei meum factum pudet,
Optimi uiri. mea mater, tui me miseret, mei piget.
Optumam progeniem Priamo reperisti extra me. hoc dolet.
Me obesse, illos prodesse; me obstare, illos obsequi.

o poema tenerum, & moratum, atque molle. sed hoc minus ad rem: illud, quod uolumus, expressum est, ut uaticinari furor uera soleat.

Adest, adest fax obuoluta sanguine, atque incendio.
Multos annos latuit. ciues ferte opem, & restinguite.

deus inclusus corpore humano, iam non Cassandra loquitur.

Iamq. mari magno classis cita
Texitur, exitium examen rapit:
Aduenit, & fera ueliuolantibus
Nauibu' compleuit manu' litora.

tragoedias loqui uideor, & fabulas. at ex te ipso non commenticiam rem, sed factam, eiusdem generis audiui: C. Coponium ad te uenisse Dyrrhachium, cum praetorio imperio classi Rhodiae praeesset, cum primis hominem prudentem, atque doctum: cumq. dixisset, remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorum uaticinatũ, madefactum iri minus XXX diebus Graeciam sanguine; rapinas Dyrrhachij, & conscensionẽ in naues cum fuga, fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore; sed Rhodiorum classi propinquum reditum, ac domum itionem dari. tum neque te ipsum non esse commotum; Marcumq. Varronem, & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, uehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga uenisse Labienum: qui cum interitum exercitus nunciauisset, reliqua uaticinationis breui esse confecta. nam & ex horreis direptum, effusumq. frumentum uias omnes, angiportusq. constrauerat; & uos naues subito perterriti metu conscendistis; & noctu ad opidum respicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, uidebatis: postremo, a Rhodia classe deserti, uerum uatem fuisse sensistis. Exposui, quam breuissime potui, somnij, & furoris oracula, quae carere arte dixeram. quorum amborum generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet, animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos, & haustos. ex quo intelligitur, esse extra diuinum animum, humanus unde ducatur: humani autem animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae appetitum habeat, non esse ab actione corporis seiugatam: quae autem pars animi rationis, atque intelligentiae sit particeps, eam tum maxime uigere, cum plurimum absit a corpore. itaque ex ipsis exemplis uerarum uaticinationum, & somniorum Cratippus solet rationem concludere hoc modo. Si sine oculis non potest exstare officium, & munus oculorum; possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui uel semel ita est usus oculis, ut uera cerneret, is habet sensum oculorum uera cernentium. item igitur, si sine diuinatione non potest & officiũ, et munus diuinationis exstare; potest autem quis, cum diuinationem habeat, errare aliquando, nec uera cernere: satis est ad confirmandam

diuinationem, semel ita esse aliquid diuinatum, ut nihil fortuito cecidisse uideatur: sunt autem eius generis innumerabilia: esse igitur diuinationem confitendum est.

EXPLANATIO

SED *quid oculis*] Verba sunt Hecubae apud Pacuuium, de Cassandra filia ab Apolline concitata. ARDENTIBUS?] furore inflammatis SAPIENS] mentis solidae, integrae. VIRGINALI *modestia?*] pudore integritati uirginum congruo. Decet enim, ut uirgo semper metuat de aliquo casu turpi. MATER *optuma*] uerba sunt Cassandrae ad Hecubam OPTVMA] integerrima. MISSA *sum*] impulsa sum. SVPERSTITIOSIS *bariolationibus:*] religiosis & maximis impulsionibus. APOLLO] uaticinij deus. FATIS *fandis*] ad enunciandum futura. DEMENTEM] non integrae mentis. CIET.] concitat, impellit. VIRGINES *aequales patris mei optimi uiri &c.*] hoc est, Filias patris mei Priami optimi uiri, atque uirgines ut ego, pudet factum meum, quia scilicet uident me furentem. TVI *me miseret,*] cui annuncio miserrima. MEI *piget.*] quia, quasi non bonis moribus instituta, ea praedico matri, & meis omnibus, quae mihi etiam displicent. OPTVMAM] integerrimis moribus institutam. EXTRA *me*] praeter me unam. OBSTARE] praedicere aduersa. ILLOS] reliquam tuam progeniem. TENERVM] delicatum. MORATVM] honestis moribus plenum. SED *hoc*] sed hae poematis dotes. AD *rem*] ad propositam inquisitionem, an furor soleat uera uaticinari. ADEST, *adest*] Verba sunt Cassandrae uaticinantis de Paride aduehente Helenam. FAX *obuoluta sanguine, & incendio:*] lignum cruentum, & inflammatum, cuiusmodi Hecuba se parere somniauerat. EXAMEN] exercitus classe Graecorum aduectus. FERA *manus*] uis militum ferocium. FACTAM] ueram. EIVSDEM *generis*] scilicet uaticinij per furorem, & extasim. DYRRHACHIVM] urbs est Illyrica, quae etiam Epidamnus uocata est. COMMOTVM;] territum. Ex *Pharsalica fuga*] ex conflictu in agro Pharsalio. Est autem Pharsalus urbs Thessaliae: unde Pharsalius, Pharsalis, & Pharsalia. ANGIPORTVS] legit Nonius, Angiporta: *Angiportus:* angustus portus. CONSTRAVERAT:] repleuerat. ONERARIAS] quae oneribus tarde agi possunt. DESERTI,] destituti. ORACVLA] uaticinia. VNA *ratio*] unica caussa est. QVADAM *ex parte,*] scilicet, quoad rationem atque intelligentiam. In hanc sententiam Horatius animam appellat diuinae aurae particulam. HVMANI *autem animi.*] Ponit animam sensitiuam, dantem motus, & appetitum. SENSVM,] uim quinque sensuum. MOTVM,] corporeum, quem homo habet cum ceteris animantibus communem. SEIVGATAM] separatam, distinctam. VIGERE] uires proprias ostendere. ABSIT] separata sit. VATICINATIONVM,] praedictionum per furorem. RATIONEM] argumentum. EXSTARE;] esse, subsistere. FORTVITO] casu quodam.

CICERO

QVAE uero aut coniectura explicantur, aut euentis animaduersa, et notata sunt, ea genera diuinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur. in quo haruspices, augures, coniectoresq. numerantur. haec improbantur a Peripateticis, a Stoicis defenduntur. quorum alia sunt posita in monumentis, & disciplina; quod Etruscorum declarant & haruspicini, & fulgurales, & rituales libri, nostri etiam augurales: alia autem subito ex tempore coniectura explicantur, ut apud Homerum Calchas, qui ex passerum numero belli Troiani annos auguratus est: & ut in Sisennae scriptum historia uidemus, quod te inspectante factum est, ut, cum Sulla in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret. cum quidam C. Postumius haruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret; id cum Sulla fecißet, tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitum castra cepit. Facta coniectura etiam in Dionysio est paullo ante quam regnare coepit: qui cum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipse dimisißet in flumen; summersus equus uoraginibus non extitit: quem cum maxima contentione non potuisset extrahere, discessit, ut ait Philistus, aegre ferens. cum autem aliquantulum progressus esset, subito exaudiuit hinnitum, respexitque, & equum alacrem laetus adspexit, cuius in iuba examen apum consederat. quod ostentum habuit hanc uim, ut Dionysius paucis post diebus regnare coeperit. Quid? Lacedaemonijs paullo ante Leuctricam calamitatem quae significatio facta est, cum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisq. simulacrum multo sudore manauit? at eodem tempore Thebis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis ualuae clausae repagulis, subito se ipsae aperuerunt, armaque, quae fixa in parietibus fuerant, ea humi sunt inuenta. cumq. eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res diuina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere coepisse, ut nihil intermitterent: tum augures dixisse Boeotios, Thebanorum esse uictoriam; propterea quod auis illa uicta silere soleret, canere si uicisset. eademq. tempestate multis signis Lacedaemonijs Leuctricae pugnae calamitas denunciabatur. namque & Lysandri, qui Lacedaemoniorum clarissimus fuerat, statuae, quae Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis, & agrestibus: stellaeq. aureae, quae Delphis erant a Lacedaemonijs positae post naualem illam uictoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt; qua in pugna quia Castor, & Pollux cum Lacedaemoniorum classe uisi esse dicebantur, eorum insignia deorum stellae aureae, quas dixi, Delphis positae; paullo ante Leuctricam pugnam deciderût, neque repertae sunt. maximum uero illud portentum ijsdem Spartiatis fuit, quod, cum oraculum ab Ioue Dodonaeo petiuissent, de uictoria sciscitantes, legatiq. illud, in quo inerant sortes, collocauissent, simia, quam rex

Molosso-

Molosserum in delicijs habebat, & sortes ipsas, & cetera, quae erant ad sortem parata, disturbauit, & aliud alio dissipauit. tum ea, quae praeposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedaemonij esse, non de uictoria, cogitandum. Quid bello Punico secundo? non ne C. Flaminius, consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reip.? qui, exercitu lustrato, cum Arretium uersus castra mouisset, & contra Hannibalem legiones duceret, & ipse, & equus eius ante signum Iouis Statoris sine caussa repente concidit; nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, ut peritis uidebatur; ne committeret proelium. idem, cum tripudio auspicaretur, pullarius diem proelij committendi differebat. tum Flaminius ex eo quaesiuit, si ne postea quidē pulli pascerentur, quid faciendum censeret. cum ille quiescendum respondisset; Flaminius, Praeclara uero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur: itaque signa conuelli, & se sequi iussit. quo tempore, cum signifer primi hastati signum non posset mouere loco, nec quidquam proficeret, plures cum accederent: Flaminius, re nunciata, suo more neglexit: itaque tribus horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Coelius, eo ipso tempore, cum hoc calamitosum fieret proelium, tantos terraemotus in Liguribus, Gallia, compluribusq. insulis, totaq. in Italia factos esse, ut multa opido corruerint, multis locis labes facta sit, terraeq. desederint, fluminaq. in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit.

EXPLANATIO

QVAE *uero* } Transit Quinctus Cicero a naturali diuinatione ad artificialem. MONVMENTIS } libris. DISCIPLINA } scientia usu comparata. NOSTRI } ita dicit, quia in augurorum numero erat M. Tullius Cicero. Ex *tempore* } pro qualitate temporis. Ex *passerum numero* } quoniam, ut in secundo Iliad. canit Homerus, octo erant pulli, & mater nona. AVGVRATVS *est* } diuinauit. SISENNAE *historia* } Fuit hic ciuis Romanus & historiographus. TE *inspectante* } quoniam in bello sociali Cicero militauit sub Sulla consule. ANTE *praetorium* } ante militare tabernaculum Sullae, quod adhuc praetorium dicebatur praetoribus, qui initio bella gerere consueuerant. LEONTINVM } Leontij urbs Siciliae. VORAGINIBVS } aquarum uorticibus. PHILISTVS } historicus Syracusius. ALACREM } uigentem. VIM } significationem. LEVCTRICAM } Apud Leuctram Boeotiae opidum, ubi Lacedaemonij profligati fuere ab Epaminunda Thebanorum duce. CALLISTHENES } hic, auctore Suda, fuit ex Olyntho, quae est urbs Thraciae. REPAGVLIC } obicibus, seris, & pessulis. APVD *Lebadiam Trophonio res diuina fieret* } Lebadia opidum Boeotiae, ubi erat Iouis Trophonij oraculum, quod hiatus subterranei descensum haberet. Vide Titum Liuium quinto quinctae decadis libro, Strabonem in IX. Sudam, & alios. TEMPESTATE, } tempore. STABAT } erecta erat. AB *Ioue Dodonaeo* } Dodonaeus Iuppiter celebris a Dodona Epiri urbe. Pomponius Mela lib. II. In Epiro inquit, Dodonaei Iouis templum & fons, ideo sacer, quod, cum sit frigidus, & immersas faces sicut ceteri extinguat, ubi sine igni procul admouentur, accendit. SCISCITANTES, } quaerentes. SORTES, } In hoc loco Sortes ponuntur pro sententijs in pagella notatis, & in urnam coniectis, quae inde puerili manu educebantur, & in rem apte interdum cadebant, quasi numine, in cuius delubro siue luco id agebatur ita disponente, ut ipsa sors oraculum putaretur & fatum. AD *sortem* } ad sortilegij oraculum DISTVRBAVIT } cōfudit. ORACVLO, } templo siue luco, ubi responsa dabantur. CONSVL *iterum* } in secundo consulatu, LVSTRATO } expiato. SIGNVM } statuam. IOVIS *Statoris* } In X. ab V. C. apud Liuium legitur M. Atilium cos. cum aduersus Samnites atrox bellum esset, manus ad caelum tulisse, uoce clara, ita, ut exaudiretur, templum Ioui Statori uouisse, si constitisset a fuga Romana acies. Et in I. Romulum descripserat, ita dicentem: At tu Pater deum, hominumque, hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugamq. foedam siste: hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monumentum sit posteris tua praesenti ope seruatam Vrbem esse, uoueo. Quibus uerbis apparet, Iouem a militum firmitate & constantia Statoris nomen accepisse. SIGNIFER } ferens signum. PRIMI *hastati* } centurionis primi, qui primipilus, siue primus hastatus dicebatur. Vetus consuetudo tenuit, inquit Vegetius, ut ex primo principe legionis promoueretur centurio primi pili, qui non solum Aquilae praeerat, uerum etiam quattuor centurias, hoc est CD. milites gubernabat in prima acie. Hic, tamquam caput totius legionis, merita consequebatur, & commoda. NEC *quidquam proficeret* } & frustra id tentaret; CVM *accederent* } quamuis accederent, ut eum loco mouerent. COELIVS, } annalium scriptor. LABES } hiatus rima. DESEDERINT } in profundum delapsae sint.

CICERO

FIVNT *certe diuinationum coniecturae a peritis. Midae illi Phrygi, cum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserūt. ditissimum fore, praedictum est: quod euenit. At Platoni, cum in cunis paruulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suauitate orationis fore. ita futura eloquentia prouisa in infante est. Quid, amores, ac deliciae tuae, Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lanuuium totum mentiebatur? qui, cum esset in cunabulis, educaretur q. in Selonio, qui est campus agri Lanuuini: noctu lumine apposito experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatum serpētis amplexu. quo adspectu exterrita clamorem sustulit. pater autem Roscij ad haruspices retulit: qui responderūt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. atque hanc speciem Praxiteles caelauit argento, & noster expressit Archias uersibus. Quid igitur exspectamus? an, dum in foro nobiscum dij immorta-*

mortales, dum in uijs uersentur, dum domi, qui quidem ipsi se nobis non offerunt, uim autem suam longe, lateq. diffundunt: quam cum terrae cauernis includunt, tum hominum naturis implicant. nam terrae uis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. quid enim? non uidemus, quam sint uaria terrarum genera? ex quibus & mortifera quaedam pars est, ut & Ampsancti in Hirpinis, & in Asia Plutonia, quae uidemus: & sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae quae acuta ingenia gignãt, aliae quae retusa. quae omnia fiunt & ex caeli uarietate, & ex dispari adspiratione terrarum. Fit etiam saepe specie quadam, saepe uocum grauitate, & cantibus, ut pellantur animi uehementius; saepe etiam cura, & timore: qualis est illa,

Flexa anima tanquam lymphata, ut Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

Atque etiam illa concitatio declarat uim in animis diuinam. negat enim sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse: quod idem dicit Plato. quem, si placet, appelles furorem, dum modo is furor ita laudetur, ut in Phaedro Platonis laudatus est. Quid uestra oratio in caussis? quid ipsa actio? potest esse uehemens, & grauis, & copiosa, nisi est animus ipse commotior? equidem etiam in te saepe uidi; &, ut ad leniora ueniamus, in Aesopo, familiari tuo, tantum ardorem uultuum, atque motuum, ut eum uis quaedam abstraxisse a sensu mentis uideretur. Obijciuntur etiã saepe formae, quae reapse nullae sunt, speciem autem offerunt: quod contigisse Brẽno dicitur, eiusq. Gallicis copijs, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. tum enim ferunt ex oraculo haec fatam esse Pythiam:

Ego prouidebo rem istam, & albae uirgines.

ex quo factum, ut & uiderentur uirgines ferre arma contra, et niue Gallorum obrueretur exercitus. Aristoteles quidem eos etiam, qui ualetudinis uitio furerent, & melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens, atque diuinum. ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis. animi enim integri, non uitiosi corporis, est diuinatio. quam quidem esse reuera, hac Stoicorum ratione concluditur. Si sunt dij, neque ante declarant hominibus quae futura sunt: aut non diligunt homines: aut, quid euenturum sit, ignorant: aut existimant nihil interesse hominum, scire quid futurum sit: aut non censent esse suae maiestatis, praesignificare hominibus quae sunt futura: aut ea ne ipsi quidem dij significare possunt. at neque diligunt nos: sunt enim benefici, generiq; hominum amici: neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta, & designata sunt: neque nostra nihil interest scire ea, quae euentura sunt; erimus enim cautiores si sciemus: neque hoc alienum ducunt maiestate sua; nihil est enim beneficentia praestantius: neque non possunt futura praenoscere: non igitur sunt dij, nec significant futura. sunt autem dij: significant ergo: & non, si significant, nullas uias dãt nobis ad significationis scientiam; frustra enim significarent: nec, si dant uias, non est diuinatio: est igitur diuinatio. Hac ratione & Chrysippus, & Diogenes, & Antipater utitur.

EXPLANATIO

CONIECTVRAE} interpretationes, iudicia. ROSCIVS?} hic fuit Lanuuinus, histrionum maximus. NOBILIVS} celebrius. NOSTER *Archias*} familiaritate nobis coniunctus: pro quo etiam exstat oratio Ciceronis. DVM *uersentur,*} quousque uersentur. VIM} efficaciam. PYTHIAM, *naturae Sibyllam*} Delphis urbe sita in Parnasso Phocidis monte Boeotiae, quem orbis umbilicum Graeci dixere, fuit Pythij Apollinis templum toto orbe terrarum celeberrimum: ubi Pythia uates, Phoebas etiam dicta, responsa Apollinis dabat: de quo oraculo, praeter alios, Diodorus Siculus lib. XVI. Bibliothecae copiose disserit. Id oraculum primo ostensum est a capra, deinde redditum a pastoribus, demum a Pythia uirgine, tamdiu, quoad ab Echecrate una uiolata, statutum est, ut ab anu, in habitu tamen puellae, redderentur in tripode sedente. Haec itaque anus in sacris perita, & fatidica, qua diuinum consilium mortalibus patefaciebat, dicta est Sibylla: quasi θεοῦ βουλή, & a sciscitandis oraculis, dicta est Pythia, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι. IN *Hirpinis,*} Seruius in XI. Aeneidos, super illo,

Summe deum sancti custos Soractis Apollo:

Soractes, inquit, mons est Hirpinorum in uia Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolueretur, (nam manibus consecratus est) subito uenientes lupi exta rapuerunt: quos cum diu sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut iuxta stantes necaret. & inde orta pestilentia est, quia fuerant lupos secuti. de qua responsum fuit, posse sedari, si lupos imitarentur, hoc est si rapto uiuerent. quod postea quam factum est, dicti sunt populi Hirpini Sorani. nam Lupi, Sabinorum lingua Hirpi uocati. Sorani uero, a Dite. nam Ditis pater, eadem lingua Soranus dicitur. PLVTONIA, *quae uidemus*} Strabo de Hierapoli, dicit, Os Plutonium in quodam imminentis montis supercilio ita est commensuratum, ut hominem suscipere possit, mira profunditate. Si animal circumpositum uallum ingrediatur, statim moritur. nos passeres immisimus, qui subito exspirarunt; Galli Cybeleij accedunt impune, ut etiam usque ad os prodeant, introspiciant, & immergantur quousque possint spiritum continere. Hierapolis uero, Stephanus inquit, est urbs inter Phrygiam, & Lydiam, calidis aquis redundans: sic dicta, quoniam multa habet sacra. CAELI *uarietate*} aeris diuersitate. Idem in II. de nat. de. Licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo, atque concreto. FIT *etiam saepe*} Ponit alios modos, & caussas concitationis animorum. SPECIE *quadam*} aliqua apparente imagine, ut in lymphatis. VOCVM *gra*-

uitate,

uitate, & cantibus } ut in commotis Bacchi sacris. CVRA, *& timore* } ut in tumulis eorum, quos amamus. PELLANTVR } incitentur. CVRA } maerore animi. FLEXA *anima* } scripsi, Flexanima. Hic admonitus a filio meo sum, locum Varronis lib. VI. corrigi ex hoc loco posse, &, ubi legitur Flexanimat aquam lymphata, legendum, Flexanima tamquam lymphata. Probaui eius opinionem. Haec Paullus pater. *Flexanima*: commota. Versus est Pacuuij in Tragoedia. LYMPHATA } furens quasi nymphis exagitata, quas Prisci Lymphas dixere; hinc Lymphati nympharum numine correpti. Proditum est memoriae, Quicumque speciem quandam e fonte, id est, effigiem nymphae uidissent furendi finem non fecisse. Nymphas Oceani Tethyos filias, & fluuiorum matres esse crediderunt, eisque mel offerri solitum, quia floribus delectarentur, e quibus mel conficitur: e quorum opinione Virgil. illas flores colligentes, ait in his:

tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis, tibi candida Nais
Pallantes uiolas, & summa papauera carpens.

Mnaseas Patarensis Melissas Nymphas ait, mellis usum reperisse in Peloponneso ex fauo. Porphyrius, Veteres, inquit, Nymphas peculiari uocabulo Melissas appellabant, uidelicet, quod sint uoluptatis auctores in nobis. Nympha item pudendi pars est in mulieribus, quae ad uirilis interdum similitudinem excrescit, & atteritur, ut Iulius Pollux scribit. VT *Baccha* } id est, mulier Bacchico numine afflata, & commota. Moenades, inquit Iuuenalis, crinem rotant ululante Priapo. TVMVLTIS } funeralibus. SVVM } a se dilectum. CONCITATIO } furibunda commotio animi. MAGNVM } excellentem. PLATONIS } subaudi libro. In Phaedro Plato sic scripsit: Tertia uero a Musis occupatio, & furor, suscipiens puram intactamq. animam, suscitat illam, atque afflat. Qui autem sine furore Musarum poeticas ad fores accedit, sperans arte quadam se bonum poetam futurum, inanis ipse, atque eius poesis. LAVDATVS *est*. } uerba Platonis haec sunt: Maxima bona fiunt nobis per furorem diuino quodam munere concessum. Nam, & quae Delphis futura praedicit uates, & quae in Dodona sacerdotes furentes, multa, & magna commoda priuatim, & publicae Graecis hominibus attulerunt. ORATIO } eloquentia. ACTIO } gestus in pronunciando. VEHEMENS } inflammata. GRAVIS } urgens. COPIOSA } defluens torrentis more. COMMOTIOR? } praeter solitum commotus. AESOPO *familiari tuo*, } hic fuit histrio clarus. VIS *quaedam* } noua uirtus. A *sensu mentis* } a statu, siue firmitate mentis. OBIICIVNTVR } occurrunt oculis. Ponit alium furoris modum, & commotionis animorum. REAPSE } reuera. NVLLAE *sunt* } nullam habent firmitatem. SPECIEM } imaginem, adspectum, uisionem. NEFARIVM *bellum* } impium. Nefarium id dicitur, quod sacra polluit. Ex *oraculo?* ex Delphica cortina, & templo. Aliquando Oraculum ponitur pro diuino responso, ut paullo infra: Ab eius solo, in quo humatus est, oracula peterentur. PROVIDEBO } curabo. ALBAE *uirgines* } Trogus inquit, Dum omnes opem dei suppliciter implorant, iuuenem supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitesq. ei duas armatas uirgines, e propinquis Dianae Mineruaeq. aedibus occurrisse dixerunt templi antistites: nec oculis tantum hoc se perspexisse, sed audisse etiam stridorem arcus, ac strepitum armorum. Motu terrae portio montis abrupta, Gallorum strauit exercitum: dux ipse Brennus, cum dolorem uulnerum ferre non posset, pugione uitam finiuit. ALBAE } niueo amictu pellucentes, & diuino candore fulgentes, atque conspicuae. VIDERENTVR } ipsis Gallis irruentibus. NIVE } Insecuta deinde tempestas est, dicit Trogus, quae grandine, & frigore saucios absumpsit. OBRVERETVR } tegeretur, & suffocaretur. ARISTOTELES } in libro de praesensione per somnum. NEC *cardiacis, nec phreneticis*. } Cardiaci dicuntur qui laborant morbo cordis. Phrenetici, qui laborant morbo mentis. Celsus lib. III. agens de phrenesi dicit, Huic morbo praecipue contrarium est id genus, quod cardiacum a Graecis nominatur, quamuis saepe ad eum phreneticci transeant. siquidem mens in illis labat, in hoc constat. INTEGRI } sani, incorrupti. VITIOSI } aliquo uitio laborantis. Vitium corporis, inquit Cicero, est, cum partes corporis inter se dissident. STOICORVM *ratione* } argumentatione. SI *sunt dij*, } Deos esse, probatum est in tribus libris de natura deorum. ESSE *suae maiestatis* } pertinere ad diuinam excellentiam. NEQVE *non diligunt* } multum diligunt. NEQVE *nostra nihil interest* } multum est utile nobis. CAVTIORES } prudentiores in euitandis malis. NEQVE *non possunt* } facillime possunt. SIGNIFICANT } dant nobis signa, & notas rerum futurarum, ut caueamus.

CICERO

QVID est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quae disputaui, uerissima, si ratio mecum facit, si euenta, si populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiā nostri; si denique hoc semper ita putatum est; si summi philosophi, si poetae, si sapientissimi uiri, qui res publicas constituerunt, qui urbes condiderunt? an, dum bestiae loquantur, exspectamus; hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? Nec uero quidquam aliud affertur, cur ea, quae dico, diuinandi genera nulla sint: nisi quod difficile dictu uidetur, quae cuiusque diuinationis ratio, quae caussa sit. quid enim habet haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem? quid augur, cur a dextra coruus, a sinistra cornix faciat ratum? quid astrologus, cur stella Iouis, aut Veneris coniuncta cum Luna ad ortus puerorum salutaris sit, Saturni, Martis ue contraria? cur autem deus dormientes nos moneat, uigilantes negligat? quid deinde caussae sit, cur Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem

facere

facere non queat? cur fiat quidque, quaeris? recte omnino: sed non nunc id agitur: fiat, nec ne fiat, id quaeritur: ut si magnetem lapidē esse dicam, qui ferrum ad se alliciat, & trahat, rationem, cur id fiat, afferre nequeam, fieri omnino neges. quod idem facis in diuinatione: quam & cernimus ipsi, & audiuimus, & legimus, & a patribus accepimus: aeque ante philosophiam patefactam, quae nuper inuenta est, hac de re communis uita dubitauit: &, postea quam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate: excepi de antiquis, praeter Xenophanem, neminem: adiunxi ueterem Academiam, Peripateticos, Stoicos. unus dissentit Epicurus. Quid uero hoc turpius, quam quod idem nullam censet gratuitam esse uirtutem? quis autem est, quem non moueat clarissimis monumentis testata, consignataq. antiquitas? Calchantem augurem scribit Homerus longe optimum, eumq. ducem classis fuisse: at illum auspiciorum credo scientia, non locorum. Amphilochus, & Mopsus Arginorum reges fuerunt, sed ijdem augures, ijq. urbes in ora maritima Ciliciae Graecas condiderunt. atque etiam ante hos Amphiaraus, & Tiresias, non humiles, et obscuri, neque eorum similes, ut apud Ennium est, . Qui sui quaestus caussa fictas suscitant sententias; sed clari, & praestantes uiri, qui auibus, & signis admoniti futura dicebant. quorum de altero etiam apud inferos Homerus ait, solum sapere, ceteros umbrarum uagari modo. Amphiaraum autem sic honorauit fama Graeciae, deus ut haberetur, atque ut ab eius solo, in quo est humatus, oracula peteretur. Quid? Asiae Rex Priamus, non ne & Helenum filium, & Cassandram filiam diuinantes habebat, alterum augurijs, alteram mentis incitatione diuina? quo in genere Martios quosdam fratres, nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse scriptum uidemus. Quid? Polyidum Corinthium, non ne Homerus & alijs multis, & filio ad Troiam proficiscēti mortem praedixisse cōmemorat? omnino apud ueteres, qui rerum potiebantur, ijdem auguria tenebant. ut enim sapere, sic diuinare regale ducebant, ut testis est nostra ciuitas, in qua & reges, augures, & postea priuati eodem sacerdotio praediti remp. religionum auctoritate rexerunt. eaq. diuinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est: siquidem & in Gallia Druydes sunt, e quibus ipse Diuitiacum Aeduum, hospitem tuum, laudatoremq. cognoui; qui & naturae rationem, quam physiologiam Graeci appellant, notam esse sibi profitebatur; & partim augurijs, partim coniectura, quae essent futura, dicebat: & in Persis augurantur, & diuinant magi, qui congregantur in fano commentandi caussa, atque inter se colloquendi; quod etiam idem uos quondam facere nonis solebatis. nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam, scientiamq. perceperit. Licet autum uidere et genera quaedam, et nationes huic scientiae deditas. Telmessus in Caria est: qua in urbe excellit haruspicum disciplina. itemq. Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Clutidarum haruspicinae nobilitate praestātes. In Syria Chaldaei cognitione astrorum, sollertiaq. ingeniorum antecellunt. Etruria autem de caelo tacta scientissime animaduertit; eademq. interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris, atque portentis. quocirca bene apud maiores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decreuit, ut de principum filijs sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur; ne ars tanta, propter tenuitatem hominum, a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atque quaestum. Phryges autem, & Pisidae, & Cilices, & Arabum natio auium significationibus plurimum obtemperant. quod idem factitatum in Vmbria accepimus.

EXPLANATIO

QVIN *sint ea* } scilicet diuinationum genera. SI *ratio* } repetitione capitum, concludit praesensionis ueritatem. RATIO } Stoica argumentatio. EVENTA } exitus rerum prouisarum. BARBARI } rudes habentes mores. AVCTORITATE } iudicio. RATIO } origo. QVID } quam caussam. BONIS } propitijs. DIRIMAT } separet. PROFERAT } prorogandum esse ostendat. RATVM } certum. RECTE *omnino:* } subaudi, quaeris. MAGNETEM. } De eo Lucretius,

Quod superest, agere incipiam, quo foedere fiat
Naturae, lapis hic ut ferrum ducere possit,
Quem magneta uocant patrio de nomine Graij,
Magnetum quia sit patrijs in finibus ortus:
Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
Saepe ex anellis reddit pendentibus ex se.

PHILOSOPHIAM } scilicet Academicam, quae omnia in dubium reuocat. NVPER } non multo ante. admodum enim recens est Academica philosophia comparatione priscae De Academica Cic. ita scribit in I. de nat. de. Haec ratio contra omnia disserendi nullamq. rem aperte iudicandi profecta a Socrate, repetita ab Arcesilae, confirmata a Carneade, usq. ad nostram uiguit aetatem. NEQVE *communis uita* } & nemo. DIXI *de Pythagora &c.* } id egit Cicero in principio primi libri de nat. de. QVID *uero hoc turpius,* } Eleuat auctoritatem Epicuri, dicentis in deo non esse gratiam. tollit quod est praestantissimum, iuuare scilicet, atque prodesse. Qui dat beneficia, inquit Seneca, Deum imitatur: qui repetit, feneratores. MONVMENTIS } historicis libris, & poeticis. TESTATA } testimonijs probata. CONSIGNATA } quasi signo impresso roborata: translatio a dictis testium, obsignatisq. tabellis. AMPHILOCHVS, *& Mopsus Arginorum reges fuerunt* } Thucydides lib. II. hist. Amphilochum scribit Amphiarai filium post bellum Troianum cum domum reuersus esset, Argos exosum domicilium condidisse in sinu. Ambraciota urbem, quam de nomine primae urbis,

&

& suo Argos Amphilochium appellauit. Mopsus urbs est Ciliciae, ut auctor est Plinius. Eam Cicero in Epistolis Mopsuestiam uocat. Stephanus dicit, Mopsuestia urbs ad Pyramum fluuium. Eustathius Libyci Dionysij interpres inquit, Mallus urbs Ciliciae dicta a Mallis id est coronis capillorum, quas rapiens alicunde Corus, ubi urbs condebatur, deposuit: inde Mopsus, & Amphilochus uates nomen indidere. Amphilochi oraculum in Mallo Ciliciae urbe Pausanias sua ipsius aetate cetera omnia ait superate. AMPHIARAVS } Argiuus uates pro deo cultus post mortem, qui & oracula reddebat. nam post purgationem, & perfectis sacrificiis iis deis, quorum in ara nomina sculpta fuerant, & mactato ariete, cuius pellis substernebatur, ubi incubantes captabant somnia, ex quibus interpretatis futura praenoscebant. TIRESIAS, } Hunc Eurymi Thebani filium, ferunt cum in Cyllenio monte uirga percussisset duos concumbentes dracones, mutatum in mulieris figuram, & post temporis seriem in eodem loco percussis eisdem serpentibus restitutum in pristinam naturam. Vtrumque igitur sexum expertus, cum arbiter adhibitus esset a Ioue, & Iunone, de amoris qualitate; & respondisset, uirum habere tres uncias amoris, nouem uero feminam; ab irata Iunone manu auersa excaecatum. Iouem uero ob id fecisse, ut septem aetates uiueret, uatesq. praeter ceteros mortales esset. ALTERO } Tiresia. de quo Homerus in X. Odyss. SOLO } terra, in qua absorptus est in bello Thebano. Ponitur & Solum pro solio, hoc est, regia sede, quae solium dicitur a soliditate. ORACVLA } responsa tamquam a numine. Ponitur interdum oraculum pro loco, ubi redduntur oracula: ut paullo supra: Ferunt ex oraculo haec fatam esse Pythiam. POLYIDVM *Corinthium*, } Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Polybum Corinthium, ex Homeri loco, quem Cicero significat, qui est lib. I I I, Iliados, his uerbis:

Ἦν δέ τις Εὐχήνωρ Πολυΐδου μάντιος υἱὸς,
Ἀφνειός τ' ἀγαθός τε, Κορινθόθι οἰκία ναίων,
Ὅς ῥ' εὖ εἰδὼς κῆρ' ὀλοὴν ἐπὶ νηὸς ἔβαινε,
Πολλάκι γάρ οἱ ἔειπε γέρων ἀγαθὸς Πολύϊδος,
Νούσῳ ὑπ' ἀργαλέῃ φθίσθαι οἷς ἐν μεγάροισιν,
Ἢ μετ' Ἀχαιῶν νηυσὶν ὑπὸ Τρώεσσι δαμῆναι.

Sic & lib. I ale leguntur uates uominatur. Haec Paullus Pater. POLYIDVM: } Latine Multiscium diceres. APVD *ueteres, qui rerum potiebantur, &c.* } Plato in Alcibiade, Imbui Persarum regum filios ait Magia, ut ad mundanae reip. imaginem suam & ipsi remp. administrare, distribuereq. condiscant. TENEBANT } calebant. AVCTORITATE } consilio. RATIO } ars. DRVYDES, } Ita Galli sacerdotes suos uocabant, quia e glandiferis arboribus, praecipue uero robore, uiscum illud demetebant, quo nihil habebant religiosius: quia tamquam praestantissimum numen uenena omnia pelleret, & animalium sterilitatem. Roborum eligunt lucos, inquit Plinius, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt: ut inde appellari quoque interpretatione Graeca possint Dryidae uideri. Plinianae lectioni consentiunt, qui Nymphas, Dryades a Graecis dictas uolunt, quae in glandiferis arboribus uitam haberent: & Hamadryades, quae sint una cum ipsis arboribus natae. Ad uitam conferre, quae de Dryadibus, & Hamadryadibus commenti sunt poetae, nemo mirabitur, qui in quodam epigrammate Virgiliano legerit:

Phoenix reparabilis ales:
Quem uos perpetuo decies praeuertitis aeuo,
Nymphae Hamadryades, quarum longissima uita est.

aut in Plutarchi lib. de cessatione orac. Phoenix,

Iouis alma propago,
Quem decies uestro Nymphae praeuertitis aeuo.

Vtcumque haec sint, Graeci, qui priscos homines uictum, & inde fortitudinem, seu uites ex glandibus comparasse dixere, quorumq. linguam Druydes in sacris usos esse constat; glandiferas arbores communi nomine uocarunt, eatq. fortitudinis elogium fecere: quamquam Latini Roboris nomine fortitudinem, & unicam tantum speciem ex omnibus glandiferis intelligunt. HOSPITEM *tuum* } amicum externum. MAGI } ita Persae suos nominant sacerdotes. FANO } In templo fanum dicitur a φάνω, hoc est a uisione. VOS } Romani augures, quorum e numero erat M. Cicero. NONIS } singulis mensibus. Romani singulos menses in kalendas & nonas diuidebant. DISCIPLINAM, } naturalem, ex cognitione rerum occultarum, ut herbarum, lapidum, similium. erat enim eo tempore laudabilis, non, ut nunc, detestabilis ex malorum spirituum consuetudine. itaque tres Magi Reges optima mente praediti Christo nato munera obtulerunt. Apollonium Tyaneum fuisse Magum, seu philosophum, ut Pythagorici, aut Hironymus ad Paullum. CERTAS } hereditario iure addictas. IAMIDARVM } Cecinit Pindarus ex Apolline, & Euadne natum infantem, quem expositum duo dracones inter uiolas nutriuerint, unde Iamus appellatus sit, quoniam ἴα Graeci uiolas appellent, eundemque uaticinio clarum posteris suis Iamidibus tale donum reliquisse. GLVTIDARVM, } Herodotus, & Pausanias hanc familiam Clytidas uocant. FLOREBAT } de fructuosis, & utilibus cogitaret. DECREVIT } statuit. DE *principium filijs sex singulis Etruriae populis* } Valerius Maximus non sex, sed decem fuisse tradit, qui singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur. Haec Paullus pater. PRINCIPIVM } nobilium, optimatum. POPVLIS: } Duodecim fuere Etruriae populi, totidemq. Lucumones iuxta duodenarium numerum urbium, quas primum coluere, quarum nomina Hadria, Mantua, Felsina, Clusium, Perusia, Arretium, Populonia, Vetulonia, Tarquinij fanum, Volturnae, vel Tuscanienses. IN *disciplinam* } ut erudirentur. TENVITATEM } deminutionem fortunarum. AVCTORITATE } dignitate. ABDVCERETVR } transferretur.

CICERO

AC mihi quidem uidentur ex locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, diuinationum opportunitates esse ductae. ut enim Aegyptij, ut Babylonij, in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi caeli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt: Etrusci autem, quod religione imbuti studiosius, & crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt; quodq. propter aeris crassitudinem de caelo apud eos multa fiebant; & quod ob eandem caussam multa inusitata partim ex caelo, alia ex terra oriebantur, quaedam etiam ex hominum, pecudum ue conceptu, & satu; ostentorum exercitatissimi interpretes extiterunt. quorum quidem uim, ut tu soles dicere, uerba ipsa prudenter a maioribus posita declarant. quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos, & montes hieme, & aestate peragrantes, propterea facilius cãtus auium, & uolatus notauerunt. Eademq. & Pisidiae caussa fuit, & huic nostrae Umbriae. tum Caria tota, praecipueq. Telmesses, quos ante dixi, quod agros uberrimos maximeq. fertiles incolunt, in quibus multa propter fecunditatem fingi, gigniq. possunt, in ostentis animaduertendis diligentes fuerunt. Quis uero non uidet, in optima quaque rep. plurimũ auspicia, & reliqua diuinandi genera ualuisse? quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur praedictione diuina? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis, quo maius erat certamen, & discrimen salutis. omitto nostros, qui nihil in bello, sine extis agunt, nihil sine auspicijs domi habent. auspicia externa uideamus. nam & Athenienses omnibus semper publicis consilijs diuinos quosdam sacerdotes, quos Mantes uocant, adhibuerunt: & Lacedaemonij regibus suis augurem assessorem dederunt: itemq. Senibus, sic enim consilium publicum appellant, augurem interesse uoluerunt: idemq. de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum temp. temperauit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmauit. quas cum uellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione. atque etiam qui praeerant Lacedaemonijs, non contenti uigilantibus curis, in Pasitheae fano, quod est in agro propter urbem, somniandi caussa excubabant; quia uera quietis oracula ducebant. Ad nostra iam redeo. Quoties senatus decemuiros ad libros ire iussit? nam & cum duo uisi soles essent, & cum tres lunae, & cum faces; & cum sol nocte uisus esset; & cum ex caelo fremitus auditus, & cum caelum discessisse uisum est, atque in eo animaduersi globi. delata etiam ad senatum labes agri Priuernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaq. maximis terraemotibus conquassata esset. quibus portentis magna populo R. bella, perniciosaeq. seditiones denunciabantur. inq. his omnibus responsa haruspicum cum Sibyllae uersibus congruebant. Quid, cum Cumis Apollo sudauit, Capuae Victoria? quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? quid, quod fluuius atratus sanguine fluxit? quid, cum saepe lapidum, sanguinis non numquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber defluxit? quid, cum in Capitolio ictus centaurus ex caelo est? in Auentino portae, & homines? Tusculi aedes Castoris, & Pollucis, Romaeq. Pietatis? nonne & haruspices ea responderunt, quae euenerunt; & in Sibyllae libris eaedem repertae praedictiones sunt? quoties senatus decemuiros ad libros ire iussit? quantis in rebus, quamq. saepe responsis haruspicum paruit? Caeciliae, Q. filiae, somnio modo, Marsico bello, templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum. quod quidem somnium, Sisenna cum disputasset, mirifice ad uerbum cum re conuenisse, tum insolenter, credo ab Epicuro aliquo inductus, disputat somnijs credi non oportere. idem contra ostenta nihil disputat; exponitque, initio belli Marsici & deorum simulacra sudauisse, & sanguinem fluxisse, & discessisse caelum, & ex occulto auditas esse uoces, quae pericula belli nunciarent; & Lanuuij clypeos, quod haruspicibus tristissimum uisum esset, a muribus esse derosos.

EXPLANATIO

OPPORTVNITATES } aptitudines. DVCTAE } deriuatae. VT *enim Aegyptij, ut Babylonij,* } Vt Aegyptij, ut Babylonij, libentius legerem, uel, Etenim Aegyptij, & Babylonij. Haec Paullus pater. IN *camporum aequoribus* } in aequatis, & complanatis campis, quos Aequora ideo appellare uidetur, quia Nilo exundante quotannis irrigabantur in aestate. RELIGIONE *imbuti* } sacrificijs assueti. VIM } significationem. TV *soles dicere,* } ut patet in II. de nat. de. FINGI, } conformari. MANTES } uates, a uerbo μαντεύομαι uaticinor Latine: inde μαντεῖον uaticinandi locus, & fatis fandis idoneus. REGIBVS *suis* } duo enim erant, & domi forisq. id ius habebant, quod Romani consules. ASSESSOREM } consiliarium. SENIBVS } senatoribus remp. regentibus, & gubernantibus. Idem in Catone maiore dicit, Apud Lacedaemonios hi, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur senes: & maiores nostri summum consilium appellauerunt Senatum. TEMPERAVIT } modificauit. AVCTORITATE } sententia. VIGILANTIBVS *curis* } solerti commentatione. PASITHEAE } Pasithea, inquit Suidas nomen deae. Papinius, in Thebaide, Pasitheam e Gratijs maximam agnoscit his uerbis:

Nam hoc Pasithea blandarum prima sororum.

Pasitheam undique diuinam quidam interpretantur, & Cybelen esse autumant deorum omnium matrem, illudq. afferunt Catulli: Trepidantem cum recepit dea Pasithea sinu. SOMNIANDI *caussa excubabant*; } Videtur esse legendum, Incubabant: quo uerbo & Virgilius, de Latino rege loquens, in simili sententia lib. *vii.* usus est, cum inquit: Pellibus incubuit stratis, somnosq. petiuit. Incubabant enim, ut somnos caperent. at Excubare contrarium significat. Haec Paullus pater. QVIETIS } somni. AD *libros* } ad carmina Sibyllae. DISCESSISSE } hiatum fecisse. GLOBI } rotunditates, quas Graeci *σφαίρας* uocant. DELATA } nunciata. LABES } hiatus depressio. DESEDISSET } deorsum sedisset. CONGRVEBANT } conueniebant. ANDROGYNI } habentis utrumque sexum. Liuius, agens de portentis, dicit, Satis constabat, Sinuessae natum ambiguo inter marem, & feminam sexu infantem, quos Androgynos uulgus Graeco sermone ad duplicanda uerba faciliore appellat. ATRATVS } nomen est parui fluminis non longe ab urbe, ut Spinon, & Nodinus, quorum appellationes mutatae sunt. MODO } paucis ante annis. RESTITVTVM } instauratum apud Lanuuium. DISPVTASSET } rationibus affirmauisset. CVM *re* } cum euentu rei per somnium uisae. INSOLENTER } temere, pueriliter. OSTENTA } signa, quae uigilantes cernere possunt.

C I C E R O

*Q*VID, *quod in annalibus habemus, Veienti bello, cum lacus Albanus praeter modum creuisset, Veientem quendam ad nos, hominem nobilem, profugisse, eumq. dixisse, ex fatis, quae Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret; &, si lacus emissus lapsu, & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo R. sin autem ita esset eductus, ut ad mare peruenire non posset, tum salutare nostris fore. ex quo illa admirabilis a maioribus Albanae aquae facta deductio est. Cum autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur, non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere: in iisdem enim fatis scriptum Veientes habere, fore ut breui a Gallis Roma caperetur. quod quidem sexennio post Veios captos factum esse uidemus. Saepe etiam & in proelijs Fauni audici, & in rebus turbidis ueridicae uoces ex occulto missae esse dicuntur. cuius generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. nam non multo ante urbem captam exaudita uox est a luco Vestae, qui a Palatij radice in Nouam uiam deuexus est; ut muri, & portae reficerentur: futurum esse, nisi prouisum esset, ut Roma caperetur. quod neglectum cum caueri poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum est. ara enim Aio loquenti, quam saeptam uidemus, ex aduersus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, cum terraemotus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, uocem ab aede Iunonis ex arce exstitisse: quocirca Iunonem illam appellatam Monetam. Haec igitur, & a dijs significata, & a nostris maioribus iudicata, contemnimus? Neque solum deorum uoces Pythagorei obseruauerunt, sed etiam hominum: quae uocant omnia. quae maiores nostri, quia ualere censebant, iccirco omnibus rebus agendis, Quod bonum, faustum, felix, fortunatum esset, praefabantur: rebusq. diuinis, quae publice fierent, ut fauerent linguis, imperabatur: inq. ferijs imperandis, ut litibus, & iurgijs se abstinerent. itemq. in lustranda colonia, ab eo, qui eam deduceret, & cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. quod idem in delectu consules obseruant, ut primus miles fiat bono nomine. quae quidem a te scis & consule, & imperatore summa religione esse seruata. Praerogatiuom etiam maiores omen iustorum comitiorum esse uoluerunt. atque ego exempla ominum nota proferam. L. Paullus, consul iterum, cum ei, bellum ut cum rege Perse gereret, obtigisset; ut ea ipsa die domum ad uesperum redijt, filiolam suam Tertiam, quae tum erat admodum parua, osculans animaduertit tristiculam: quid est, inquit, mea Tertia, quid tristis es? mi pater; inquit, Persa perijt. tum ille arctius puellam complexus, Accipio omen, inquit, mea filia. erat autem mortua catella eo nomine. L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audiui, cum diceret, Caeciliam Metelli, cum uellet sororis suae filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi caussa; quod fieri more ueterum solebat: cum uirgo staret, & Caecilia in sella sederet, neque diu ulla uox exstitisset, puellam defatigatam petijsse a matertera, ut sibi concederet paullisper, ut in eius sella requiesceret; illam autem dixisse, Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes. quod omen res consecuta est: ipsa enim breui mortua est, uirgo autem nupsit cui Caecilia nupta fuerat. Haec posse contemni, uel etiam rideri, praeclare intelligo: sed ipsum est, deos non putare, quae ab ijs significantur, contemnere. Quid de auguribus loquar? tuae partes sunt tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi P. Claudius augur consuli nunciauit, addubitato salutis augurio, bellum domesticum triste, ac turbulentum fore: quod paucis post mensibus exortum, paucioribus est a te diebus oppressum. cui quidem auguri uehementer assentior. solus enim multorum annorum memoria, non decantandi augurij, sed diuinandi tenuit disciplinam. quem irridebant collegae tui, eumq. tum Pisidam, cum Soranum augurem esse dicebant. quibus nulla uidebatur in auguriis, aut auspicijs praesensio, aut scientia ueritatis futurae, sapienter, aiebant, ad opinionem imperitorum esse fictas religiones. quod longe secus est. neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus praefuit; nec in ipso Romulo haec calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudinis religionis simulacra fingerent. sed difficultas, laborq. discendi disertam negligentiam reddidit. malunt enim differere, nihil esse in auspicijs, quam, quid sit, ediscere.*

EXPLANATIO

CVM *laeus Albanus* } In unum omnium curae uersae sunt, inquit Liuius, quod lacus in Albano monte sine ullis caelestibus aquis, caussa ue alia, quae rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam creuit. Quidnam eo dij portenderet prodigio, missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum. REDVNDARET } excresceret. Romani, desperata ope humana, inquit Liuius, fata, & deos exspectant, cum legati a Delphis uenerunt sortem oraculi afferentes, congruentem responso captiui uatis: Romane aquam Albanam caue lacu contineri: caue in mare manare suo flumine sinas: emissam per agros dissipatamq. riuis, exstingues. tum tu insiste audax hostium muris, memor quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi his, quae nunc panduntur, fatis uictoriam datam. Bello perfecto uictor donum amplum ad mea templa portato, sacraq. patria, quorum omissa cura est, instaurata ut assolet facito. TVRBIDIS } periculosis. DEVEXVS } deuergens, & accliuis. SVE *plena* } sue grauida. MONETAM } a Moneo uidelicet uerbo. NEQVE *solum* } Iam agit de ominibus magna cura quondam obseruatis. PRAEFABANTVR } praefando enunciabant. ad malum omen excludendum. FERIIS *imperandis* } cum a magistratibus uoce praeconis imperabantur feriae. LVSTRANDA } recensenda, & expianda. DEDVCERET } alio duceret ad habitandum. DELECTV } electione militum. BONO } fausto, laeto, honesto. IMPERATORE } quoniam M.Cicero proconsul in Asia exercitui praefuit, hostesq. repressit: unde triumphum aliquando sperauit. PRAEROGATIVAM } id est tributa, quae in electione magistratuum prima daret suffragium, & uocem. IVSTORVM } legitimorum. OMEN } uocem significatiuam FLAMINEM } sacerdotem. EXSTITISSET } exiuisset. MATERTERA } soror matris, quasi mater altera. SED *ipsum est &c.* } Idem est, inquit, signa deorum contemnere, & putare non esse deos. TVAE *partes* } tua cura, munus tuum. TIBI *P. Claudius* } Puto legendum, Ap. Claudius: qui fuit P.Clodij, Ciceronis inimici, frater, augur peritissimus, qui etiam de augurali scientia libros edidit, Ciceroniq. inscripsit, ut ex ep. 9. lib. III. ad Appium colligitur. & augurales Appij libros nominat Festus. Haec Paullus pater. ADDVBITATO } non pure celebrato. TRISTE } luctuosum. TVRBVLENTVM } saeuum CVI } Appio Claudio. MVLTORVM *annorum memoria* } id est, longo annorum spatio, & recordatione. DECANTANDI } enunciandi ad fastum, atque iactantiam. DISCIPLINAM } artem. COLLEGAE *tui* } ceteri augures. PISIDAM } imitatorem Pisidarum & Soranorum. qui populi adhuc retinent nomen in extremo Latio. QVIBVS } nimirum collegis tuis. SAPIENTER *esse fictas* } a sapientibus esse fictas. AD *opinionem imperitorum* } subaudi decipiendam. LONGE } ualde. CALLIDITAS } astuta fictio. ESSE *potuit* } quoniam eo tempore simplicissima erant ingenia. SIMVLACRA } fictiones. DISERTAM } eloquentem. DISSERERE } disputando affirmare. NIHIL } nullam ueritatem. QVID *sit* } quam habeat in se ueritatem.

C I C E R O

QVID est illo auspicio diuinius, quod apud te in Mario est? ut utar te potissimum auctore.

Hic Iouis altisoni subito pennata satelles
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, et uaria grauiter ceruice micantem.
Quem se intorquentem lanians, rostroq. cruentans,
Iam satiata animos, iam duros ulta dolores,
Abijcit efflantem, & laceratum affligit in unda,
Seq. obitu a Solis nitidos conuertit ad ortus.
Hanc ubi praepetibus pennis, lapsuq. uolantem
Conspexit Marius, diuini numinis augur,
Faustaq. signa suae laudis, reditusq. notauit;
Partibus intonuit caeli pater ipse sinistris.
Sic aquilae clarum firmauit Iuppiter omen.

Atque ille Romuli auguratus, pastoralis, non urbanus fuit; nec fictus ad opiniones imperitorum, sed a certis acceptus, & posteris traditus. itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam simul auspicio, augurioque.
Hinc Remus auspicio se deuouet, atque secundam
Solus auem seruans. at Romulu' pulcher in alto
Quaerit Auentino, seruat genus altiuolantum.
Certabant, urbem Romam ue, Remam ue uocarent.
Omnis cura uiris, uter esset induperator.
Exspectant, ueluti, consul cum mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis ex faucibu' currus:
Sic exspectabat populus, atque ore timebat
Rebus, utri magni uictoria sit data regni.
Interea Sol albu' recessit in infera noctis.
Exin candida se radijs dedit icta foras lux:
Et simul ex alto longe pulcherrima praepes
Laeua uolauit auis; simul aureus exoritur Sol.
Cedunt ter quattuor de caelo corpora sancta
Auium, praepetibus sese pulchrisq. locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna, solumque.

Sed, unde huc digressa est, eodem redeat oratio. Si nihil queam disputare, quamobrem quidque fiat: & tantum modo fieri ea, quae commemoraui, doceam: parum ne Epicuro, Carneadi ne respondeam? quid, si etiã ratio exstat artificiosae praesensionis facilis, diuinae autem paullo obscurior? quae enim extis, quae fulguribus, quae portentis, quae astris praesentiuntur, haec notata sunt obseruatione diuturna. Affert autem uetustas omnibus in rebus longinqua obseruatione incredibilem scientiam: quae potest esse etiam sine motu, atque impulsu deorum, cum, quid ex quoque eueniat, & quid quamque rem significet, cre-

bra

bra animaduersione perspectum est. Altera diuinatio est naturalis, ut ante dixi: quae physica disputandi subtilitate referenda est ad naturã deorum: a qua, ut doctissimis, sapientissimisq. placuit, haustos animos, & delibatos habemus: cumq. omnia completa sint, & referta aeterno sensu, et mente diuina, necesse est cognatione diuinorum animorum animos humanos commoueri. sed uigilantes animi uitae necessitatibus seruiunt, disiunguntq. se a societate diuina, uinclis corporis impediti.

EXPLANATIO

DIVINIVS } uerius, praestantius. IN *Morio* } libello de augurijs, qui Marij appellatione inscribebatur. eius meminit idem M. Cicero in principio suarum Legum. AVCTORE. } duce, doctore. HIC } tunc. PENNATA *satelles* } aquila ministrans Ioui fulmina. Negant, inquit Plinius, solam hanc alitem fulmine exanimatam, ideo armigeram Iouis consuetudo iudicauit. ARBORIS } nimirum quercus, quae Mariana ideirco dicta, quoniam eius in Mario meminisset Cicero, augurijq. principium posuisset, quod Mario fugienti uisum est, & intellectum. SVBIGIT } calcat, premit. VARIA } uersicolori, & maculoso collo. GRAVITER } moleste, & cum dolore MICANTEM. } motus cientem. INTORQVENTEM } obliquantem, ac replicantem. ANIMOS } irae, impetus, & tumores. DVROS } acerbos. EFFLANTEM } moribundum. AFFLIGIT } impingit, illidit. NITIDOS } radiantes. PRAEPETIBVS } sublimius uolantibus, prosperis, & felicibus. Nigidius Figulus in lib. primo augurij priuati ita dicit, Discrepat dextra sinisttae, praepes inferae. NOTAVIT } obseruauit. PARTIBVS *sinistris* } rationem sinistri fulminis lege apud Dionysium lib. II. PASTORALIS } rudis, simplex, citra malitiam. VRBANVS } ciuilis. CERTIS } grauibus, & fide dignis. APVD *Ennium* } In primo scilicet annali. FRATRE } Remo. DEVOVET } deputat. SECVNDAM } prosperam, & felicem. PVLCHER } regiae dignitatis, & indolis. ALTO *Auentino* } Aliter Liuius. dicit enim, Palatinum Romulus, Auentinum Remus ad inaugurandum templa capiunt. CERNENS *genus altiuolantum* } circumspiciens aues augurio secundas, & regni auctores, & duces. VIRIS } uirorum studijs, fauoribusque. INDVPERATOR } princeps, & dux illius coetus, & condendae urbis. CARCERIS *oras*, } Circi extremitates, ubi equi repagulis quibusdam tamquam carceribus includuntur, emittunturque, ut lustrent metas, oblectent populi studia, & contendant ad palmam. QVAM *mox* } quam cito. PICTIS *ex faucibus* } ex repagulis pictis. ORE *timebat* } uultu timorem ostendendo. ALBVS } candore conspicuus. IN *infera noctis* } sub terram, cuius umbra noctem efficit. EXIN } deinde. CANDIDA } splendida. ICTA } percussa radijs Solis. Ex *alto* } ex septemtrionali parte caeli, quae nobis semper est sublimis. Anctor est Dionysius augures e caelo seruantes ad Solis ortum respicere, quibus in sinistra sit borealis axis, & in sinistra australis. felices ergo erant aues, quae ex alto apparebant. PRAEPES } prosperi augurij. CEDVNT } uolant. TER *quattuor* } Duodecim. Tot uultures Romulo a sinistra parte apparuerint. dicuntur cum sex tantum Remo apparuerunt. SANCTA } ueneranda. AVIVM } Anapaestus est dactylo contrarius. duas enim syllabas habet breues, & ultimam longam. PRAEPETIBVS, *pulchrisque* } felicibus, & honestis. PRIORA, } primas partes in augurio duodecim uulturum. REGNI *scamna, solumque.* } regni subsellia, & solium, ita a soliditate nuncupatum. SED, *unde huc digressa* } Reuertamur, inquit Q. Cicero, ad caussam diuinationis. DISPVTARE } disputando, afferre. TANTVMMODO *doceam* } solum ostendam, ita esse nulla reddita ratione. PARVM *ne* } ac si dicat, multum quidem responderem. RATIO } caussa FACILIS, } aperta, & plana. DIVINAE } subaudi praesensionis, hoc est, uaticinij, & somnij. OBSCVRIOR } remotior, & profundior. MOTV, } concitatione. QVID *ex quoque* } quid e re quaque soleat euenire, & sic ab effectibus adscenditur ad caussas. ALTERA *autem* } Tenebat nunc caussam naturalis diuinationis, quae tota pendet a ui, & natura diuina. HAVSTOS } acceptos. DELIBATOS } degustatos. AETERNO *sensu* } prouidentia diuina contracta ad sensibilia corpora. COGNATIONE } affinitate quadam naturalis qualitatis. COMMOVERI. } impelli ad diuinationem. SED *uigilantes* } Respondet tacitae obiectioni, cur non omnes humani animi, nec semper diuinent, si diuini sunt. SOCIETATE } commercio.

CICERO

RARVM est quoddam genus eorum, qui se a corpore auocent, & ad diuinarum rerum cognitiones cura omni, studioq. rapiantur. horum sunt auguria non diuini impetus, sed rationis humanae. nam & natura futura praesentiunt, ut aquarum fluxiones, ut deflagrationem futuram aliquando caeli, atque terrarum: alij autem in rep. exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt: quos prudentes possumus dicere, id est prouidentes, diuinos nullo modo possumus, non plus, quam Milesium Thalem; qui, ut obiurgatores suos conuinceret, ostenderetq. etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, ante quam florere coepisset, in agro Milesio coemisse dicitur. animaduerterat fortasse quadam scientia, olearum ubertatem fore. & quidem idem primus defectionem Solis, quae Astyage regnante facta est, praedixisse fertur. Multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt: sed nullam eorum diuinationem uoco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedaemonij sunt, ut urbem, & tecta linquerent, armatiq. in agro excubarẽt, quod terraemotus instaret, tum, cum & urbs tota corruit, & ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis auulsa est. Ne Pherecides quidem ille Pythagorae magister potius diuinus

nus habebitur, quam physicus: qui cum uidisset haustam aquam de iugi puteo, terraemotus dixit instare. Nec uero umquam animus hominis naturaliter diuinat, nisi cum ita solutus est, & uacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore: quod aut uatibus contingit, aut dormientibus. itaque ea duo genera a Dicaearcho probantur, &, ut dixi, a Cratippo nostro: si propterea, quod ea proficiscuntur a natura; sint summa sane, modo ne sola: sin autem nihil esse in obseruatione putant; multa tollunt, quibus uitae ratio continetur. sed, quoniam dant aliquid, idq. non paruum, uaticinationes cũ somnijs: nihil est, quod cum his magnopere pugnemus, praesertim cum sint, qui omnino nullam diuinationem probent. Ergo & ij, quorum animi, spretis corporibus, euolant, atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati, atque incitati cernunt illa profecto, quae uaticinantes praenunciant: multisq. rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent, ut ij, qui sono quodam uocum, et Phrygijs cantibus incitantur: multos nemora, siluaeque, multos amnes, aut maria commouent: quorum furibunda mens uidet ante multo, quae futura sunt. quo de genere illa sunt,

Eheu uidete: iudicauit iudicium inclytum
Inter deas tres aliquis: quo iudicio Lacedaemonia
Mulier furiarum una adueniet.

eodem enim modo multa a uaticinantibus saepe praedicta sunt, neque solum uerbis, sed etiam
Versibu', quos olim Fauni, uatesq. canebant.

Similiter Martius, & Publicius uates cecinisse dicuntur. quo ex genere Apollinis operta prolata sunt. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracula funderent. Atque haec quidem uatum ratio est: nec dissimilis sane somniorum. nam, quae uigilantibus accidunt uatibus, eadem nobis dormientibus. uiget enim animus in somnijs, liberq. sensibus ab omni impeditione curarũ, iacente, et mortuo paene corpore, quia uixit ab omni aeternitate, uersatusq. est cum innumerabilibus animis, omnia, quae in natura rerum sunt, uidet, si modo temperatis escis, modicisq. potationibus ita est affectus, ut, sopito corpore, ipse uigilet. haec somniantis est diuinatio. Hic magna quaedam exoritur, neque ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio, eodemq. modo & oculorum, & uaticinationũ: sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum. nam ut aurum, & argentum, aes, ferrum frustra natura diuina genuisset, nisi eadem docuisset, quemadmodum ad eorum uenas perueniretur: nec fruges terrae, baccas ue arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus, & condiciones tradidisset; materia deinde quid iuuaret, nisi confectionis eius fabricã haberemus? sic cum omni utilitate, quam dij hominibus dederunt, ars aliqua coniuncta est, per quã illa utilitas percipi possit. isẽ igitur somnijs, uaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum.

EXPLANATIO

AVOCENT ʒ remoueant. HORVM ʒ talium hominum. AVGVRIA ʒ praesagitione. SOLONE ʒ de hoc uide Laertium. DIVINOS ʒ uates. MILESIVM *Thalem;* ʒ Arist. lib. 1. Polit. Sed Plinius lib. XIIX. cap. 28. hoc tribuit Democrito. COMMODVM ʒ utile, ac placitum. SCIENTIA ʒ naturi inuestigatione. GVBERNATORES ʒ nauium moderatores. EXCVBARENT ʒ pernoctarent. INSTARET ʒ immineret. PHYSICVS: ʒ naturae indagator. IVGI *puteo* ʒ perenni, semperq. scatente, INSTARE. ʒ impendere. NEC *uero* ʒ Ponit nunc proprietatem naturalis diuinationis, qua somniantes utuntur, aut uates. NATVRALITER ʒ naturali impulsu citra artem aliquam. NIHIL *sit* ʒ in nullo communicet. VATIBVS ʒ diuino afflatu praedicentibus futura. PROBANTVR, ʒ tenentur tamquam uera. NOSTRO: ʒ familiaritate nobis iuncto. SINT *summa,* ʒ primum locum habeant. MODO *ne sola:* ʒ dummodo inquit, non excludantur cetera, quae arte constant. NIHIL *esse in obseruatione* ʒ nullam esse ueritatem in artificiosa diuinatione, quae obseruationibus regitur. DANT *aliquid* ʒ concedunt aliquam esse diuinationem uaticinantium scilicet, & somniantium. CVM *his* ʒ Cratippo, & Dicaearcho. NVLLAM *diuinationem probent* ʒ eiusmodi sunt Epicurei. EVOLANT ʒ libere, & celeriter exeunt. ARDORE *quodam* ʒ ardenti cupidine. INCITATI ʒ stimulati. MVLTISQ. *rebus inflammantur* ʒ uarijsq. modis commouentur. INFLAMMANTVR ʒ suprema ui aguntur, & commouentur. CORPORIBVS *non inhaerent* ʒ a terrestri mole sunt abstracti. PHRYGIIS ʒ Cybeleijs. Arrianus auctor est, Phrygas esse ditissimos, antiquissimosq. omnium hominum, & furibundos propter Cybelem. FVRIBVNDA ʒ furore commota. EHEV *uidete:* ʒ Vaticinium est Cassandrae furentis apud Ennium tragicum. INTER *deas tres* ʒ Palladem, Iunonem, & Venerem, cui Paris aureum pomum adiudicauit. LACEDAEMONIA *mulier* ʒ Laconica Helena. VERSIBVS, ʒ Ennij uersus, Varro lib. VI. & in libro de claris oratoribus. APOLLINIS *operta* ʒ arcana abdita Oraculi Apollinei. CREDO *etiam* ʒ Ponit aliam caussam naturalis diuinationis. ANHELITVS ʒ afflatus. ORACVLA ʒ deorum sententias. RATIO ʒ caussa. NAM *quae* ʒ subaudi praesensiones. VIXIT ʒ uitam accepit. AB *omni aeternitate* ʒ ab uniuerso caelo. IN *natura* ʒ in essentia. HIC ʒ in hac parte. EXPLANATORES ʒ interpretes. VENAS ʒ meatus. translatio. CONDICIONES ʒ modum bene disponendi. MATERIA ʒ subiectum formarum, arte inducendarum. FABRICAM ʒ artem.

CICERO

QVo *modo autem aut uates, aut somniantes ea uideant, quae nusquam etiam tunc sint, magna quaestio est. sed, explorata si sint ea, quae ante quaeri debeant; sint haec, quae quaerimus, faciliora. conti-*

net enim totam hanc quaestionem ea ratio, quae est de natura deorum, quae ne secundo libro est explicata diluncide. quam si obtinemus, stabit illud quidem, quod locũ hunc continet, de quo agimus, esse deos, & eorũ prouidentia mundũ administrari, eosdemq. cõsulere rebus humanis, nec solum uniuersis, uerum etiam singulis. haec si tenemus, quae mihi quidem non uidentur posse conuelli: profecto hominibus a dijs futura significari necesse est. sed distinguendum uidetur, quonam modo. Non placet Stoicis, singulis iecorum fissis, aut auium cantibus interesse deum: neque enim decorum est, nec dijs dignum, nec fieri ullo pacto potest: sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis, alia in auibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium uisis, alia in furentium uocibus. ea quibus bene percepta sunt, ij non saepe falluntur. male coniecta, maleq. interpretata, falsa sunt, non rerum uitio, sed interpretum inscitia. hoc autem posito, atque concesso, esse quandam uim diuinam, hominum uitam continentem: non difficile est, quae fieri certe uidemus, ea qua ratione fiant, suspicari. nam & ad hostiam diligendam potest dux esse uis quaedam sentiens, quae est toto confusa mundo: & tum, ipsam cum immolare uelis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid, aut supersit. paruis enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit. quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod paullo ante interitum Caesaris contigit. qui cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, & cum purpurea ueste processit; in extis bouis optimi cor non fuit. num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? qua ille rei nouitate perculsus, cum Spurina diceret, timendum esse, ne & consilium, & uita deficeret: earum enim rerum utrumque a corde proficisci: postero die caput in iecore non fuit. quae quidem illi portendebatur a dijs immortalibus, ut uideret interitum, non ut caueret. Cum igitur eae partes in extis non reperiuntur, sine quibus uictima illa uiuere nequisset: intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quae absint, interijsse. Eademq. efficit in auibus diuina mens; ut tum huc, tum illuc uolent alites; tum in hac, tum in illa parte se occultent; tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. nam, si omne animal, ut uult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino; membraque, quo uult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit; eaq. ante efficit paene, quam cogitat: quanto id deo est facilius, cuius numini parent omnia? idemq. mittit & signa nobis eius generis: qualia permulta historia tradidit: quale scriptum illud uidemus: si Luna paullo ante Solis ortum defecisset in signo leonis, fore ut armis Darius, & Persae ab Alexandro, & Macedonibus proelio uincerentur, Dariusq. moreretur: et si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam, & adulterium domi: & si mulier leonem peperisse uisa esset, fore, ut ab exteris gentibus uinceretur ea resp. in qua id cõtigisset. Eiusdem generis etiam illud est, quod scribit Herodotus, Croesi filium, cum esset infans, locutum: quo ostento regnum patris, & domum funditus concidisse. Caput arsisse Ser. Tullio dormienti, quae historia non prodidit?

EXPLANATIO

EXPLORATA *si sint* } certam habeant essentiam. QVAERI } uestigari. EA *ratio* } ea cognitio. OBTINEMVS } defendimus, & conseruamus. HVNC *locum* } hanc quaestionem de diuinatione. SI *tenemus* } si defendimus. CONVELLI } ex animo eradicari. NECESSE *est* } nimirum, quia, nisi id facerent, non consulerent hominibus. FISSIS } rimis. DECORVM *est* } conuenit maiestati diuinae. NEC *fieri ullo modo potest:* } ut scilicet conueniat diuinae maiestati, minimis quibusque rebus interesse ad hoc ut per ea hominibus significet, quae futura sunt. PRAECVRRERENT } praeuenirent, antecederent. EXTIS } uisceribus, intestinis. VISIS } imaginibus. VOCIBVS } enunciationibus. EA } signa. NON *saepe falluntur* } raro aberrant a ueritate, quam praecurrunt signa. VITIO, } culpa CONTINENTEM: } regentem, & conseruantem. VIS *sentiens*, } quam mundi animam Stoici opinati sunt. CONFVSA } commista. TOTO *mundo:* } uniuersae naturae. NATVRA } uis ipsa sentiens in uniuersa natura. AFFINGIT } addit. ARGVMENTO } indicio. NVM *censes* } ac si dicat, Impossibile est tale animal esse sine corde. PERCVLSVS, } commotus, conterritus. CONSILIVM, } uirtus. VTRVMQVE } consilium, & uitam. A *corde proficisci* } a corde pendere. quia calor uitalis qui pascitur sanguine subtracto corde sanguinis fonte exstinguitur, & cessat animalis motus. Cor, inquit Arist. sanguinolentum est. motus etiam laetitiae, ac tristitiae denique omnium sensuum hinc oriri uidentur. VIDERET } praenosceret. OSCINES } aues oris cantu augurantes. NAM, *si omne animal* } similitudine ostendit hoc esse diuinae menti factu facillimum. PRONO } decliui. OBLIQVO } flexo. PORRIGIT } extendit. NVMINI } imperio. INFANS, } mutus. Erat Croeso, inquit Herodotus, filius habilis cetera, sed mutus. QVAE *historia* } quasi dicat, Omnia litterarum monumenta id testantur.

CICERO

VT igitur, qui se tradet ita quieti, praeparato animo tum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa, & uera cernit in somnijs: sic castus animus, purusq. uigilantis, & ad astrorum, & ad auium, reliquorumq. signorum, & ad extorum ueritatem est paratior. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus, quodq. ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur, esse diuinum quiddam, quod Daemonion appellat, cui semper ipse paruerit, numquam impellenti, saepe reuocanti. &

Socrates quidem, quo quem auctorem meliorem quaerimus? Xenophonti consulenti, sequeretur ne Cyrum, postea quam exposuit, quae sibi uidebantur, Et nostrum quidem, inquit, humanum est consilium; sed de rebus, & obscuris, & incertis ad Apollinem censeo referendum; ad quem etiam Athenienses publice de maioribus rebus semper retulerunt. Scriptum est item, cum Critonis, sui familiaris, oculum alligatum uidisset, quaesiuisse quid esset: cum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum recidisse; tum Socrates; Non enim paruisti mihi reuocãti, cum uterer, qua soleo, praesagitione diuina. Idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset Lachete praetore, fugeretq. cum ipso Lachete: ut uentum est in triuium, eadem, qua ceteri, fugere noluit. quibus quaerentibus, cur non eadem uia pergeret; deterreri a deo dixit. tum quidem ij, qui alia uia fugerant, in hostium equitatum inciderunt. Permulta collecta sunt ab Antipatro, quae mirabiliter a Socrate diuinata sunt: quae praetermittam: tibi enim nota sunt, mihi ad commemorandum non necessaria. Illud tamen eius philosophi magnificum, ac paene diuinum, quod, cum impijs sententijs damnatus esset, aequissimo animo se dixit mori: neque enim domo egredienti, neque illud suggestum, in quo caussam dixerat, adscendenti, signum sibi ullum, quod consuesset, a deo quasi mali alicuius impendentis datum. Equidem sic arbitror, etiam si multa fallant eos, qui aut arte, aut coniectura diuinare uideantur, esse tamen diuinationem: homines autem, ut in ceteris artibus, sic in hac posse falli. potest accidere, ut aliquod signum, dubie datum, pro certo sit acceptũ: potest aliquod latuisse, aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est, non modo plura, sed pauciora diuinae praesensa, & praedicta reperiri. quin etiam hoc non dubitans dixerim: si unum aliquid ita sit praedictum, praesensumque, ut, cum euenerit, ita cadat ut praedictum sit, neque in eo quidquam casu, & fortuito factum esse appareat, esse certe diuinationem, idq. esse omnibus confitendum. Quocirca primum mihi uidetur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura uis omnis diuinandi, ratioq. repetenda. fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. fatum autem id appello, quod Graeci εἱμαρμένην, id est, ordinem, seriẽq. caussarum, cum caussa caussae nexa rem ex se gignat. ea est ex omni aeternitate fluens ueritas sempiterna. quod cum ita sit; nihil est factum, quod non futurum fuerit; eodemq. modo nihil est futurum, cuius non caussas id ipsum efficientes natura contineat. ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, caussa aeterna rerum, cur & ea, quae praeterierunt, facta sint, & quae instant, fiant, & quae sequuntur, futura sint. ita fit, ut & obseruatione notari possit, quae res quamque caussam plerumque consequatur, etiam si non semper: nam id quidem difficile est affirmare. easdemq. caussas, uerisimile est, rerum futurarum cerni ab ijs, qui aut per furorem eas, aut in quiete uideant. Praeterea, cum fato omnia fiant, id quod alio loco ostendetur: si quis modo talis possit esse, qui colligationem caussarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallet. qui enim teneat caussas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quae futura sint. quod cum facere nemo, nisi deus, possit; relinquendum est homini, ut signis quibusdam, consequentia declarantibus, futura praesentiat. non enim illa, quae futura sunt, subito exsistunt; sed est, quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil noui efficientis, & primum quidque replicantis. quod & ij uident, quibus naturalis diuinatio data est: & ij, quibus cursus rerum obseruando notatus est. qui etsi caussas ipsas non cernunt, signa tamen caussarum, & notas cernunt: ad quas adhibita memoria, & diligentia, ex monumentis superiorum efficitur ea diuinatio, quae artificiosa dicitur, extorum, fulgurum, ostentorum, signorumq. caelestium.

EXPLANATIO

CASTVS } immaculatus. PVRVS } citra uitium. VERITATEM } ueram intelligentiam. Sic Q. Cicero comprobat utramque diuinationem. DE Socrate } Xenophon in lib. 1. ἀπομνημ. &c. circa finem, & lib. III. αὐτῶν. circa initium. DAEMONION appellat, } uim intellectiuam. Idem Cicero in Timaeo sic scribit: Daemonas appellant Graeci, nostri, ut opinor, Lares, si modo hoc recte conuersum uideri potest. At Lares sunt dij domestici scilicet familiarum custodes. hinc & Lar familiaris, ab antiquis, teste Plauto, in canis figuram efformabatur. Plutarchus in probl. cur, inquit, Laribus, quos proprie Praestites uocant, canis assistit, ipsi autem canum uestibus uestiuntur. Sunt, qui Laris nomine focum, & uniuersam domum uocauere. IMPELLENTI } hortanti ad aliquid agendum. AVCTOREM } ducem. AD Apollinem referendum } hoc est petendum esse consilium Apollinis. ADDVCTVM, } attractum. DELIVM } Liuius agens de bello Macedonico sic scribit. Templum est Apollinis Delium imminens mari, & fano lucoque, ea religione, & eo iure, quo sancta sunt templa, quae ἄσυλα Graeci appellant. AEQVISSIMO } pacatissimo. Socrates in Apologia sic loquitur: Diuina quaedam uox mihi adest, quae agere quippiam aliquando prohibet, ad agendum uero prouocat nunquam. Vos iudices bene de morte sperare debetis, idque unum cogitare uerum esse, uiro uidelicet bono nil mali accidere posse, neque uiuenti, neque uita defuncto. mihi, laboribus morte liberari, bonum est: & ideo diuinum illud signum mihi non obstitit. SVGGESTVM } pulpitum. CONIECTVRA } iudicio, quod signis nititur. PRO certo } pro uero, & infallibili. IPSVM } scilicet, signum datum. DIVINAE praesensa, } diuinitus praecognita. CADAT } eueniat. CASV } qui naturam sequitur. FORTVITO } hoc est fortuna, quae mentem sequitur, ut in physicis aperit philosophus. REPETENDA } requirenda. FATO } Fatum, dicebat Chrysippus auctore Gellio, est sempiterna quaedam, & indeclinabilis series rerum, & catena uoluens

se se, & implicans per aeternos consequentiae ordines, e quibus apta, connexaq. est. εἱμαρμένην } ita dicitur, quoniam genita ordine quodam comprehenduntur. μάρπτω Graece, Comprehendo Latine. SERIEM } contextum quendam. FLVENS } emanans FVTVRVM *fuerit*; } debuerit in lucem prodire ex caussis, in quibus quasi tenebris latebat. SVPERSTITIOSE } praeter naturae rationem. PHYSICE } secundum rationem naturae. CAVSSA } scilicet efficiens. CVR } a qua. INSTANT, } praesentia sunt. QVAE *res* } quis effectus. PLERVMQVE } saepius. ID } quod scilicet semper consequatur. VERISIMILE *est*, } ordinem uerborum, & sententiam secuti, sic emendauimus; cum antea Verisimiles, legeretur. Haec Paullus pater. FVROREM } afflatum diuinum. QVIETE } somno. ALIO *loco* } alio libello, quem scilicet de fato composuit Cicero. COLLIGATIONEM } nexum, ac seriem quandam ad producendos effectus. TENEAT } intelligat. CONSEQVENTIA } euenientia. EXSISTVNT } se ostendunt. EXPLICATIO } euolutio. TRADVCTIO } cursus. NIHIL *noui* } quia earundem causarum ijdem exsistunt effectus. REPLICANTIS } iterum inuoluentis. QVOD } quam explicationem, & replicationem. NATVRALIS *diuinatio* } quae fit per furorem, & somnium. CAVSSAS } uim rerum efficientem. Ex *monumentis* } obseruationum historijs.

CICERO

NOn est igitur ut mirandum sit, ea praesentiri a diuinantibus, quae nusquam fiat: sunt enim omnia, sed tempore absint. atque, ut in seminibus uis inest earum rerum, quae ex ijs progignuntur: sic in caussis conditae sunt res futurae, quas esse futuras, aut concitata mens, aut soluta somno cernit, aut ratio, aut coniectura praesentit. atque ut ij, qui Solis, & Lunae, reliquorumq. siderum ortus, obitus, motusq. cognorant, quo quidque tempore eorum futurum sit, multo ante praedicunt: sic, qui cursum rerum, euentorumq. consequentiam diuturnitate pertractata notauerunt, aut semper, aut, si id difficile est, plerumque, quod si ne id quidem conceditur, non numquam certe, quid futurum sit, intelligunt. Atque haec quidem, & quaedam huiusmodi argumẽta, cur sit diuinatio, ducuntur a fato. A natura autem alia quaedam ratio est: quae docet, quanta sit animi uis seiuncta a corporis sensibus: quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisque sentiat; ex quo fit, ut homines, etiam cum taciti optent aliquid, aut uoueant, haut dubitent, quin dij illud exaudiant: sic animi hominum, cum aut somno soluti uacant corpore, aut mente permoti per se ipsi liberi incitati mouentur, cernunt ea, quae permisti cum corpore animi uidere non possunt. Atque hanc quidem rationem naturae difficile est fortasse traducere ad id genus diuinationis, quod ex arte profectum dicimus. sed tamen id quoque rimatur, quantum potest, Posidonius, cum esse censet in natura signa quaedam rerum futurarum. ut enim Ceos accepimus ortum caniculae diligenter quotannis solere seruare, coniecturamq. capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubris ne, an pestilens annus futurus sit: nam, si obscurior quasi caliginosa stella exstiterit, pingue, & concretum esse caelum, ut eius adspiratio grauis, & pestilens futura sit: sin illustris, & perlucida stella apparuit, significari caelum esse tenue, purumque, & propterea salubre. Democritus autem censet sapienter instituisse ueteres, ut hostiarium immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu, atque colore tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipi, non numquam etiam quae sit uel sterilitas agrorum, uel fertilitas futura. quae si a natura profecta obseruatio, atque usus agnouit; multa afferre potuit dies, quae animaduertendo notarentur: ut ille Pacuuianus, qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognoscere uideatur.

-Nam istis, qui linguam auium intelligunt,
Plusq. ex alieno iecore sapiunt, quam ex suo,
Magis audiendum, quam auscultandum, censeo.

cur quaeso? cum ipse, paucis interpositis uersibus, dicas satis luculente:

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit, recipitq. in sese omnia, omniumq. idem est pater,
Indidemq. eadem, quae oriuntur, de integro, atque eodem occidunt.

Quid est igitur, cur, cum domus sit omnium una, eaq. communis, cumq. animi hominum semper fuerint, futuriq. sint, cur ij, quid ex quoque eueniat, & quid quamque rem significet, perspicere non possint?

Haec habui, inquit, de diuinatione quae dicerem. nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quaestus caussa hariolentur, ne psychomantia quidẽ, quibus Appius, amicus tuus, uti solebat; agnoscere.

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non haruspices Vicanos, non de circo astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium:
Non enim sunt ij, aut scientia, aut arte diuini,
Sed superstitiosi uates, impudentesq. harioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant uiã:
Quibus diuitias pollicentur; ab ijs drachmam ipsi petunt:
De his diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cetera.

atque haec quidem Ennius; qui paucis ante uersibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur quid agat humanum genus. ego autem, qui & curare arbitror, & monere etiam, ac multa praedicere, leuitate, uanitate, malitia exclusa diuinationem probo. Quae cum dixisset Quinctus, Praeclare tu quidem, inquam, paratus.

Desunt pauca quaedam.

EXPLANATIO

NON *est igitur* } Docet ea esse in suis caussis, quae nondum exstant, aut apparent. NVSQVAM *sint*: } nondum appareant. SVNT *omnia*, } habent esse in proprijs caussis. TEMPORE } spatio temporis, & condicione. VIS } caussa efficiens, & procreans. CONCITATA } inspirata, & commota. SOLVTA } libera, non occupata circa corporeos sensus. RATIO } ars usu effecta. CONIECTVRA } opinabile iudicium. EVENTORVM } effectuum. DIVTVRNITATE } longo temporis usu. NONNVMQVAM } aliquando, interdum. DVCVNTVR } originantur. A *natura* } a naturali proprietate rerum, quarum principium obtinet anima. ALIA *ratio* } alius modus. MENTE *permotis*. } furentibus, & uaticinantibus. SENTIVNT } cognoscunt. VOVEANT } numinibus promittant. SOLVTI *corpore* } non occupati circa corpus. VACANT } uacui sunt, nihil agunt. PERMISTI *cum corpore animi*. } Nihil muto, neque mutandum censeo: fuit tamen, cum dictionem, Animi, crederem abundare. Haec Paullus pater. PERMISTI *cum corpore*: } occupati circa corpus. RATIONEM *naturae* } modum naturalis diuinationis. TRADVCERE } accommodare. RIMATVR, } subtiliter inquirit. VT *enim Ceos* } Particulae, Vt, non uideo, quid respondeat. omnino in Ciceronis scriptis non nulla deprehenduntur, quae non est, quo referantur: sed, utrum id scriptoris, an librariorum uitio sit assignandum, ignoro. hic quidem unius litterae mutatione restitui poterit, Etenim Ceos. Haec Paullus pater. *Ceos*: incolentes Ceam insulam in mari Aegaeo prope Euboeam. EXSTITERIT } apparuerit. PINGVE } crassum. CONCRETVM } densum. ADSPIRATIO } afflatus. GRAVIS } onerosa, noxia. Purum, defaecatum, liquidum. HABITV } qualitate. A *natura* } a naturalibus qualitatibus. VSVS } experientia. MVLTA } scilicet signa. DIES, } tempus. IN *Chryse* } id est tragoedia de Chryse olim sacerdote Apollinis Sminthei. eius meminit Homerus in Iliad. NAM *istis, qui linguam auium intelligunt*, } Si legatur, Linguas, erit integer senarius, omissa collisione in primo pede. *Istis*: auguribus. ALIENO *iecore sapiunt* } praesentiunt ex inspectione iecoris alieni. QVAM *suo*, } quam proprio iecore. Plato uult animae partem quandam, quam agreste animal nominat, ex iecore, cui quasi praesepi alligata est, praesensionem capere. MAGIS *audiendum, quam auscultandum* } magis praestandum esse auditum, quam obsequium. CVR *quaeso*? } Verba sunt Q. Ciceronis. LVCVLENTE: } splendide, aperte. OMNIA *animat*, } Non fit collisio, ut sit dactylus, & anapaestus. OMNIA *animat*: } omnibus animam infundit. AVGET } uegetat. CREAT } producit. SEPELIT } in se cadentia condit. PATER } procreator. INDIDEMQ. *eadem, quae oriuntur, de integro* } Videtur ita legendum, & distinguendum: Indidemq. eadem oriuntur de integro. Versus est octonarius catalecticus. *Indidemque*: & similiter inde. *De integro*: denuo. EODEM *occidunt* } recidunt in idem. QVID *est igitur, cur*, }. Cur fortasse delendum, cum sit infra, Cur ij. aut memoriae uitio idem a Cicerone relatum putemus. qua de te alibi diximus, adducta exemplorum copia. *Quid est igitur &c.* } Concludit Q. Cicero animos posse cognoscere signa rerum futurarum, & notas. VNA *domus* } commune quoddam domicilium. Caelum intelligit quod ambit, & complectitur omnia. EX *quoque* } quacumque re. HAEC *habuit, inquit* } Verba M. Ciceronis haec sunt, de Q. fratre. TESTABOR, } affirmabo. SORTILEGOS } eos, qui per sortes uaticinantur. HARIOLENTVR } annuncient fata. PSYCHOMANTIA } diuinationes per animam ab inferis euocatam. AGNOSCERE } approbare, confirmare. NON *habeo denique nauci Marsum augurem* } scripsi, ut uersum: cui deesse puto primos duos pedes. NON *habeo*: } Ennianum est carmen. NON *habeo nauci*: } nec minimi facio. VICANOS } circumforaneos. NON *de circo astrologos*, } cum hos esse octonarios catalecticos, plane constet; distribui uersus in suos pedes commode non possunt, nisi Astrollogos, L. litera geminata, legamus, ut Relligio, Relliquiae, Rellatum: ut in Andria Terentij,

Vt pernoscatis, ecquid spei sit relliquum. Et in Phormione,

Quod ab ipso allatum est, sibi esse id rellatum putet.

ISIACOS } Isidis sacerdotes, qui diuinationem profitentur. INTERPRETES } In dimensione abijcitur ultima littera, S: ut sit dactylus terprete': ut illud,

Affixus scopulis tu dabi' supplicium.

SOMNIVM } hoc est, somniorum. NON *enim sunt ij aut scientia, aut arte diuini*. } Hic octonarius esse non potest; cum tamen & superiores omnes, & sequentes octonarij sint. quocirca, ut cum reliquis congruat libenter mutarem ordinem uerborum, si per antiquos libros liceret: ut ita legeretur:

Non enim sunt hi diuini aut arte, aut scientia.

In sequenti uersu tribrachum esse necesse est pro trocheo, in uerbo Harioli. SVPERSTITIOSI } uanj. QVIBVS *diuitias* } Quibu' di-anapaestus. AB *ijs* } anapaestus. DRACHMAM. } Genus nummi minimum. DE *his diuitijs* } quas alijs pollicentur. DEDVCANT } detrahant, auferant. LEVITATE } inconstantia. VANITATE } mendacio. MALITIA } deceptione. PRAECLARE *paratus* } optime instructus, subaudi, aduenisti.



IN M. TVLLII CICERONIS DE DIVINATIONE LIBRVM II.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

In hoc secundo de diuinatione M. Cicero, Academicum agens, argumenta Stoicorum confutat argumentis, & exempla exemplis, ut, diuinatione omni in dubium reuocata, cuique liberum sit de ea arbitrari, quidquid uerisimile uideatur. Ad legentium tamen animos demerendos nonnulla praefatur, & praeterea ostendit, cur ad hanc philosophicam scriptionem fuerit impulsus.

CICERO



VAERENTI mihi, multumq. & diu cogitanti, quanam re possem prodesse quamplurimis, ne quando intermitterem consulere reip. nullu maior occurrebut, quã si optimarum artium uias traderem meis ciuibus: quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. nã & cohortati sumus, ut maxime potuimus, ud philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius: &, quod genus philosophandi minime urrogans, maximeq. & constuus, & eleguus arbitraremur, quattuor Academicis libris ostendimus. cumq. fundamentum esset philosophiue positum in finibus bonorum, et malorum, perpurgutus est is locus a nobis quinque libris; ut, quid a quoque, & quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationum, res ad beute uiuendum maxime necessarias uperuerunt. primus enim est de contemnendu morte, secundus de tolerando dolore, de uegritudiue lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbutionibus: quinctus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrut: docet enim, ud beate uiuendum uirtutem se ipsa contentam. quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt de naturu deorum: in quibus omnis eius loci quaestio continetur: quae ut plene esset, cumulateq. perfecta, de diuinatione ingressi sumus his libris scribere. quibus, ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satis factum toti huic quaestioni. atque his libris annumerandi sunt sex de rep. quos tunc scripsimus, cum gubernacula reip. tenebamus: magnus locus, philosophiaeq. proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto, totaq. Peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam, quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur: ceteris item multum profuturam puto. Interiectus etiam est nuper is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus. In primisque, quoniam philosophia uir bonus efficitur, & fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. Cumq. Aristoteles, itemq. Theophrastus, excellentes uiri cum subtilitate, tum copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta coniũxerint; nostri quoque oratorij libri in eundem numerum referendi uidentur. ita tres erunt de Oratore, quartus Brutus, quinctus Orator. Adhuc haec erant: ad reliqua acri tendebamus animo, sic parati, ut, nisi quae caussa grauior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui nõ Latinis litteris illustratus pateret. quod enim munus reip. afferre maius, melius ue possumus, quam si docemus, atque erudimus iuuentutem? his praesertim moribus,

atque temporibus: quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenãda, atque coercenda sit. nec uero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad haec studia conuertãt. pauci utinam: quorum tamen in rep. late patere poterit industria. equidem etiam ex ijs fructum capio laboris mei, qui iam aetate prouecti in nostris libris acquiescunt: quorum studio legendi meum scribendi studium uehemẽtius in dies incitatur: quos quidem plures, quam rebar, esse cognoui. magnificum illud etiã, Romanisq. hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant. quod assequar profecto, si instituta perfecero.

EXPLANATIO



CONSVLERE } prouidere. VIAS } formulas. PERPVRGATVS } declaratus, illustratus. *A quoque* } a cuiusque sectae philosopho. BEATE } tranquille. RELIQVIS } metu, spe, libidine. EDITIS, } inuulgatis. QVAESTIO } inquisitio. INGRESSI *sumus* } coepimus. VT *est in animo* } ut nobis proposuimus. His *libris* } philosophicis. MAGNVS *locus*, } ampla, & multiplex materia. FAMILIA } disciplina. VBERRIME. } copiosissime. PHILOSOPHIA } philosophicis institutis. CATO *noster* } Librum ediderat Cicero Catonis nomine inscriptum, in quo Vticensem Catonem laudauerat. HORVM *librorum* } qui sunt de philosophia. CVMQVE *Aristoteles &c.* } Profitetur Cicero se in arte dicendi imitatorem fuisse summorum philosophorum. SVBTILITATE } sententiarum acumine. COPIA } ubertate orationis. REFERENDI } adnumerandi philosophicis libris. AD *reliqua* } quae supererant, illustranda. ACRI } prompto. NVLLVM *locum* } nullam partem. PATERET } esset expositus. His *moribus* } deprauatis scilicet, ob disciplinae publicae deprauationem. TEMPORIBVS: } condicionibus temporũ. PROLAPSA } dissoluta. OPIBVS } auxilijs. REFRENANDA, *atque coercenda sit* } ut redeat ad officij formulam. AD *haec studia* } ad has exercitationes philosophicas. LATE *patere poterit industria.* } multum prodesse poterit labor: non enim reip. procurationem impedit philosophia. ACQVIESCVNT } delectantur. STVDIO } cura. IN *dies* } quotidie magis. QVOS } aetate prouectos, & legendi studiosos. ASSEQVAR } efficiam. INSTITVTA } mihi proposita.

CICERO

AC mihi quidem explicandae philosophiae caussam attulit grauis casus ciuitatis; cum in armis ciuilibus nec tueri meo more remp. nec nihil agere poteram; nec, quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. dabunt igitur mihi ueniam mei ciues, uel gratiam potius habebũt, quod, cum esset in unius potestate resp. neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini, aut tẽporibus iratus; neque ita porro aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae paeniteret. id enim ipsum a Platone, philosophiaq. didiceram, naturales esse conuersiones quasdam rerump. ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. quod cum accidisset nostrae reip. tum pristinis orbati muneribus haec studia renouare coepimus; ut & animus molestijs hac potissimum re leuaretur, & prodessemus ciuibus nostris qua re cumque possemus. in libris enim sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro reip. procuratione substitutam putabamus. nunc, quoniam de rep. consuli coepti sumus, scribenda est opera reip. uel omnis potius in ea cogitatio, & cura ponenda: tantum huic studio relinquendum, quantum uacabit a publico officio, & munere. Sed haec alias pluribus; nunc ad institutam disputationẽ reuertamur. Nam, cum de diuinatione Quintus frater ea disseruisset, quae superiore libro scripta sunt; satisq. ambulatum uideretur; tum in bibliotheca, quae in Lyceo est, assedimus. atque ego, Accurate tu quidem, inquam, Quinte, et Stoice Stoicorum sententiam defendisti: quodq. me maxime delectat, plurimis nostris exemplis usus es, & ijs quidem claris, & illustribus. dicendum est mihi igitur ad ea, quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut affirmem, quaeram omnia, dubitans plerumque, & mihi ipsi diffidens. si enim aliquid certi haberem, quod dicerẽ; ego ipse diuinarem, qui esse diuinationem nego. Etenim me mouet illud, quod in primis Carneades quaerere solebat, quarumnam rerum diuinatio esset, earum ne, quae sensibus perciperentur? at eas quidem cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. numquid ergo in ijs rebus est, quod prouisione, aut permotione mentis magis, quam natura ipsa, sentiamus? aut nescio qui ille diuinus, si oculis captus sit, ut Tiresias fuit; possit, quae alba sint, quae nigra, dicere? aut, si surdus sit, uarietates uocum, aut modos noscere? ad nullam igitur earum rerum, quae sensu accipiuntur, diuinatio adhibetur. Atqui ne in ijs quidem rebus, quae arte tractãtur, diuinatione opus est. etenim ad aegros non uates, aut hariolos, sed medicos solemus adducere. nec uero, qui tibijs, aut fidibus uti uolunt, ab haruspicibus accipiunt earum tractationem, sed a musicis. eadem in litteris ratio est, reliquisq. rebus, quarum est disciplina. num censes eos, qui diuinare dicuntur, posse respondere, Sol maior ne, quam terra, sit; an tantus, quantus uideatur? Lunaq. suo lumine, an Solis utatur? Sol, Luna quem motum habeant? quem quinque stellae, quae errare dicuntur? nec haec, qui diuini habentur, profitentur se esse dicturos: nec eorum, quae in geometria describuntur, quae uera, quae falsa sint: sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum. De illis uero rebus, quae in philosophia uersantur, numquid est, quod quisquam diuinorum aut respondere

soleat,

soleat, aut consuli, quid bonum sit, quid malum, quid neutrum? suat enim haec propria philosophorum. Quid de officio? num quis haruspicem consuluit, quemadmodum sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis uiuendum? quemadmodum atendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? ad sapientes haec, non ad diuinos, referri soleat. Quid, quae a physicis, aut dialecticis tractantar, num quis eorum diuinare potest, unus ne mū dus sit, an plures? quae sint initia rerum, ex quibus nascuntar omnia? physicorum est ista prudentia. Quomodo autem mentientem, quem ψευδόμενον uocant, dissoluas? aut quemadmodum soriti resistas? quem, si necesse sit Latino aerbo, liceat acerualem appellare: sed nihil opus est: ut enim ipsa philosophia, & multa uerba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est. ergo haec quoque dialectici dicēt, non diuini.

EXPLANATIO

GRAVIS *casus* } acerbissimum infortunium. IN *armis* } in discordijs, & dissensionibus. NEC *nihil* } nec minimum quid. ME *dignum* } dignitate mea. ABDIDI } abscondi, quasi timore ductus. HOMINI, } Caesari dominanti. TEMPORIBVS } temporum condicionibus. ADMIRATVS } tamquam rem praeclaram, & ualde optandam. FORTVNAM } condicionem. A *Platone* } in octauo de rep. A *principibus tenerentur* } gubernarentur ab optimatibus, & nobilibus. A *populis* } Haec gubernatio popularis dicitur. A *singulis* } idest regibus, aut tyrannis. Haec gubernatio Monarchia dicitur a Graecis. HAEC *studia* } philosophica. IN *libris* } in quibus publica negocia scribebantur. SENTENTIAM *dicebamus*, } iudicium nostrum aperiebamus. CONCIONABAMVR, } orationes habebamus. PROCVRATIONE } administratione. NVNC } post Caesaris necem. CONSVLI } rogari sententiam. OPERA } industria. HVIC *studio* } philosophico. VACABIT } uacuum tempus erit. LYCEO } gymnasio, quod ad imitationem Aristotelis ea sppellatione honestarat Cicero. NIHIL *ut affirmem*, } Academicorum enim id proprium est. DIFFIDENS } anceps, & dubius. ETENIM } Rationem affert suae ambiguitatis. NATVRA } naturalibus sensibus. OCVLIS *captus* } caecus. MODOS } concentus. ARTE } disciplina, & regula. FIDIBVS } chordatis instrumentis musicis, ut lyra, & cithara. IN *litteris* } in litterarum scientia. RATIO } respectus. QVINQVE *stellae* } Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius. CONSVLI } sententiam rogari. NEVTRVM? } quod indifferens est ad bonum, & malum. OFFICIO? } actione honesta. VTENDVM *pecunia?* } ita, ut honestum afferat lucrum. HONORE? } dignitate. IMPERIO? } exercitus gubernatione. SAPIENTES } peritos, & prudentes. PHYSICIS, } naturae interpretibus. INITIA } elementa. PRVDENTIA } cognitio. MENTIENTEM, *dissoluas?* } fallaciter argumentantem confutes eius scilicet nodos explicando. SORITI *resistas?* } aceruali argumento repugnes negando additamenta. TRITVS } usitatus.

CICERO

QVID? cum quaeritur, qui sit optimus reip. status, quae leges, qui mores aut utiles, aut inutiles, haruspices ne ex Etruria accersentur, an principes statuent, et delecti uiri, periti rerum ciuilium? Quod si nec earum rerum, quae subiectae sensibus sunt, ulla diuinatio est; nec earum, quae artibus continentur; nec earum, quae in philosophia disseruntur; nec earum, quae in rep. uersantur: quarum rerum sit, nihil prorsus intelligo. nam aut omnium debet esse: aut aliqua ei materia danda est, in qua uersari possit. sed nec omnium diuinatio est, ut ratio docuit; nec locus, nec materia inuenitur, cui diuinationem praeficere possimus: uide igitur, ne nulla sit diuinatio. est quidem Graecus uulgaris in hanc sententiam uersus:

Bene qui coniiciet, uatem hunc perhibeto optimum.

num igitur, aut quae tempestas impendeat, uates melius coniiciet, quam gubernator; aut morbi naturam acutius, quam medicus; aut belli administrationem prudentius, quam imperator, coniectura assequetur? Sed animaduerti, Quincte, te caute, & ab ijs coniecturis, quae haberent artem, atque prudentiam, & ab ijs rebus, quae sensibus, aut artificijs perciperentur, abducere diuinationem, eamq. ita definire, diuinationem esse earum rerum praedictionem, & praesensionem, quae essent fortuitae. Primum eodem reuolueris. nam & medici, & gubernatoris, & imperatoris praesensio est rerum fortuitarum. num igitur aut haruspex, aut augur, aut uates quis, aut somnians melius coniecerit, aut ex morbo euasurum aegrotum, aut ex periculo nauem, aut ex insidijs exercitum, quam medicus, quam gubernator, quam imperator? Atqui ne illa quidem diuinantis esse dicebas, uentos, aut imbres impendentes quibusdam praesentire signis: in quo nostra quaedam Aratea memoriter a te pronunciata sunt. etsi haec ipsa fortuita sunt: plerumque enim, non semper eueniunt. Quae est igitur, aut ubi uersatur fortuitarum rerum praesensio? quam diuinationem uocas. quae enim praesentiri aut arte, aut ratione, aut usu, aut coniectura possunt, ea non diuinis tribuenda putas, sed peritis. ita relinquitur, ut ea fortuita diuinari possint, quae nulla nec arte, nec sapientia prouideri possunt: ut si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset naufragio esse periturum, diuinasset profecto: nulla enim arte alia, nec sapientia id scire potuisset. talium ergo rerum, quae in fortuna positae sunt, praesensio diuinatio est. potest ne igitur earum rerum, quae nihil habent rationis, quare futurae sint, ulla esse praesensio? quid est enim aliud sors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, ut

uel

uel non cadere, atque euenire, uel aliter cadere, atque euenire potuerit? quo modo ergo id, quod temere fit, caeco casu, & uolubilitate fortunae, praesentiri, & praedici potest? medicus morbũ ingrauescẽtẽ ratione prouidet, insidias imperator, tempestates gubernator: tamen hi ipsi saepe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur: ut agricola, cũ florem oleae uidet, baccam quoque se uisurum putat: non sine ratione ille quidem: sed non numquam tamen fallitur. quod si falluntur ij, qui nihil sine aliqua probabili coniectura, ac ratione dicunt: quid existimandum est de coniectura eorum, qui extis, aut auibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somnijs futura praesentiunt?

EXPLANATIO

STATVS} condicio. MORES} consuetudines, ritus. PRINCIPES} nobiles. DELECTI} eximij, egregij. QVOD *si*} A sufficienti enumeratione partium concludit diuinationem esse nullam. NAM *aut omnium*} Rationem affert suae conclusionis. PRAEFICERE} praeponere. BENE *qui coniiciet, &c.*} Μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς. CONIICIET:} signis praenoscet. IMPENDEAT} immineat. GVBERNATOR,} nauis rector usu edoctus. NATVRAM} genus. ASSEQVATVR?} intelliget. CAVTE} circumspecte. ARTIFICIIS} formulis artium. ABDVCERE} amouere. EODEM} ad eandem ambiguitatem. FORTVITARVM,} plerumque, non semper euenientium. DIVINANTIS *esse*} ad diuinationem pertinere. NOSTRA *quaedam Aratea*} nostra quaedam carmina ad Arati imitationem scripta. AVT *ubi*} aut in qua materia subiecta. PERITIS.} callentibus. M. MARCELLVM} Hic M. Marcellus nepos fuit eius Marcelli, qui bello Punico secundo expugnauit Syracusas, & naufragio ad ipsam Africam perijt paullo ante coeptum bellum Punicum tertium. POTEST *ne igitur*} Negat Cicero etiam hanc partem rerum fortuitarum pertinere posse ad diuinationem. RATIONIS} caussae, a qua pendeant. FORS} exitus aliquis inopinatus. CAECO} improuido, & bruto lapsu. VOLVBILITATE} inconstantia. RATIONE} medici peritia. INSIDIAS} hostiles dolos. TEMPESTATES} uentorum, impetus & fluctuum procellas. PROBABILI *coniectura*} uerisimili iudicio. EXTIS} extorum inspectione. OSTENTIS} monstris. ORACVLIS} furoribus, & uaticinijs.

CICERO

NONDVM dico, quam haec signa nulla sint, fissum iecoris, corui cantus, uolatus aquilae, stellae traiectio, uoces furentium, sortes, somnia: de quibus singulis dicam suo loco; nunc de uniuersis. Qui potest prouideri, quidquam futurum esse, quod neque caussam habet ullam, neque notam cur futurum sit? Solis defectiones, itemq. Lunae praedicuntur in multos annos ab ijs, qui siderum cursus, & motus numeris persequuntur. ea enim praedicunt, quae naturae necessitas perfectura est. uident ex constantissimo motu Lunae, quando illa e regione Solis facta incurrit in umbram terrae, quae est meta noctis, ut eã obscurari necesse sit; quandoq. eadem Luna subiecta Soli, atque opposita nostris oculis, eius lumen obscuret: quo in signo quaeque errantium stellarum, quoque tempore futura sit; qui exortus quoque die signi alicuius, aut qui occasus futurus sit. haec qui ante dicunt, quam rationem sequantur uides: qui thesaurum inuenturum, aut hereditatem uenturam dicunt, quid sequuntur? aut in qua rerum natura inest, id futurum? quod si ea, quae sunt eiusdem generis, habent aliquam talem necessitatem: quid est tandem, quod casu fieri, aut forte fortuna putemus? nihil enim est tam contrarium rationi, & constantiae, quam fortuna: ut mihi ne in deum quidem cadere uideatur, ut sciat quid casu, & fortuito futurum sit. si enim scit, certe illud eueniet. sin certe eueniet, nulla fortuna est. est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est praesensio. aut, si negas esse fortunam, & omnia, quae fiunt, quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita dicis esse fataliter: muta definitionem diuinationis, quam dicebas praesensionem esse rerum fortuitarum. si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil euenire, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit esse futurum rato tempore: quae potest esse fortuna? qua sublata, qui locus est diuinationi? quae a te fortuitarum rerum est dicta praesensio. Quamquam dicebas, omnia, quae fierent, futura ne essent, fato contineri. anile sane, & plenum superstitionis fati nomen ipsum: sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur. de quo alias: nunc quod necesse est. Si omnia fato: quid mihi diuinatio prodest? quod enim is, qui diuinat, praedicit, id uero futurum est: ut ne illud quidem sciam quale sit, quod Deiotarum, familiarem nostrum, ex itinere aquila reuocauit. qui nisi reuertisset, in eo conclaui ei cubandum fuisset, quod proxima nocte corruit. ruina igitur oppressus esset. at id neque, si fatum fuerat, effugisset; nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. quid ergo adiuuat diuinatio? aut quid est, quod me moueant aut sortes, aut exta, aut ulla praedictio? si enim fatum fuit, classes populi R. bello Punico primo alteram naufragio, alteram a Poenis depressam interire: etiam si tripudium solistimum pulli fecissent, L. Iunio, & P. Clodio cos. classes tamen interissent. sin, cum auspicijs obtemperatum esset, interiturae classes non fuerunt: non interierunt fato. uultis autem omnia fato: nulla igitur est diuinatio. Quod si fatum fuit, bello Punico secundo exercitum populi R. ad lacum Thrasimenum interire: num id mutari potuit, si Flaminius consul ijs signis, ijsq. auspicijs, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? certe potuit. aut igitur non fato interijt exercitus; mutari enim fata non possunt: aut, si fato, quod certe nobis ita dicendum est; etiam si obtemperasset auspicijs, idem euenturum fuisset.

ubi

ubi est igitur diuinatio ista Stiocorum? quae, si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest, ut cautiores simus. quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud, quod futurum est. sin autem id potest flecti: nullum est fatum, ita ne diuinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum est. nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat.

EXPLANATIO

NVLLA *sint*, } nihil significent. QVI } quo modo, qua ratione. NOTAM } signum NVMERIS *persequuntur.* } Mathematica numerorum supputatione obseruant. NATVRAE *necessitas, &c.* } naturalis condicio siderum necessario perfectura est. CONSTANTISSIMO } inuariabili. E *regione* } ad oppositam regionem. META *noctis* } ueluti figura metae, constituere noctem. OBSCVRET: } obtenebret. QVO *in signo* } ex duodecim figuratis in circulo, qui ob id Signifer dicitur. QVID *sequuntur?* } Astrologi, inquit, caussas habent certas, & inuariabiles: qui uero thesauri inuentionem praedicant, nullam penitus. IN *qua rerum natura* } in qua parte rerum naturalium. EIVSDEM *generis,* } eiusdem naturae, cuius thesaurum, & hereditas. TALEM *necessitatem* } similem caussam necessario producentem. FORTE *fortuna* } fortuito euentu. RATIONI, *& constantiae,* } caussae inuariabili. CERTE } immutabiliter. NVLLA *fortuna est* } quia ipsius natura inconstans est, & caeca. EST *autem fortuna* } hoc est fortuiti euentus, ut patet omnium fore nationum consensu, & ipsa fortunae appellatione, quae non esset, si res ipsa e rerum natura tolleretur. Ex *omni aeternitate* } ex quo fuit suprema natura, & diuina prouidentia. FATALITER } necessitate quadam. SI *enim* } ostendit caussam, cur mutare debeat definitionem diuinationis. AB *omni aeternitate* } a suprema & sempiterna caussarum caussa. omnia infallibiliter prouidente, quam fatum uocant. CERTVM } statutum. RATO } statuto. QVAE *potest esse* } quasi dicat, nulla potest esse. ANILE } uanum, & nullum. Ita Iuuenalis de fortuna,

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, deam, caeloq. locamus.

SVPERSTITIONIS } inanis religionis. DE *quo alias:* } nimirum in libro de Fato. QVID *mihi diuinatio prodest?* } Diuinorum uanitatem ridet Phauorinus apud Gellium, nec esse consulendos monet his uerbis, Aut aduersa inquit euentura dicunt, aut prospera. si dicunt prospera, & fallunt, miser fies frustra exspectando. si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser fies frustra timendo. si uera respondent, eaq. sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam e fato fias. si felicia promittunt, eaq. euentura sunt, tum plane duo erunt incommoda, & exspectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam defloraueri: nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras praesagientibus. Haec ille. VERO *futurum est* } firmiter, infallibiliter, futurum est. QVALE } cuius qualitatis. CVBANDVM } iacendum, & pernoctandum. FATVM } constans & inuariabile. MOVEANT } conturbent. NVLLA } nullius momenti. VOBIS } Stoicis. VBI *est igitur &c.* } nulla est, inquit, subiecta materia, in qua uersetur haec diuinatio. CAVTIORES } prudentiores in declinandis impendentibus periculis. FLECTI } declinari. NE *diuinatio quidem,* } subaudi, est. PROCVRATIONE } depulsione, remedio. Hactenus non esse diuinationem asseuerauit.

CICERO

ATQVE ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. quae enim uita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos euentus senectutis esset habiturus? abeamus a fabulis: propiora uideamus. Clarissimorum hominum nostrae ciuitatis grauissimos exitus in Consolatione collegimus. quid igitur? ut omittamus superiores, M. ne Crasso putas utile fuisse, tum, cum maximis opibus, fortunisq. florebat, scire, sibi, interfecto Publio filio, exercituq. deleto, trans Euphratem cum ignominia, & dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium censes, tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria, laetaturum fuisse, si sciret se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu, post mortem uero ea consecutura, quae sine lacrymis non possumus dicere? Quid uero Caesarem putamus? si diuinasset fore, ut in eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeiana, ante ipsius Pompeij simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis ciuibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum, sed ne seruorum quidem quisquam accederet; quo cruciatu animi uitam acturum fuisse? certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia. Nam illud quidem dici, praesertim a Stoicis, nullo modo potest: non isset ad arma Pompeius: non transisset Crassus Euphratem: non suscepisset bellum ciuile Caesar. Non igitur fatales exitus habuerunt. uultis autem euenire omnia fato: nihil ergo profuisset illis diuinare: atque etiam omnem fructum uitae superioris perdidissent. quid enim posset ijs esse laetum, exitus suos cogitantibus? ita, quoquo se uerterint Stoici, iaceat necesse est omnis eorum sollertia. si enim, quod euenturum est, uel hoc, uel illo modo potest euenire: fortuna ualet plurimum: quae autem fortuita sunt, certa esse non possunt. sin autem certum est, quid quaque de re, quoq. tempore futurum sit: quid est, quod me adiuuent haruspices, cum res tristissimas portendi dixerint? Addunt ad extremum, omnia leuius casura, rebus diuinis procuratis. si enim

nihil

nihil fit extra fatum, nihil leuari re diuina potest. hoc sentit Homerus, cum querentem Iouem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra factum eripere non posset. hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam uersus:

Quod fore paratum est, id summũ exsuperat Iouem.

totum omnino: fatum etiam Atellanio uersu iure mihi esse irrisum uidetur. sed in rebus tam seueris non est iocandi locus. concludatur ergo ratio. Si enim prouideri nihil potest futurum esse eorum, quae casu fiunt, quia esse certa non possunt: diuinatio nulla est. sin autem iccirco possunt prouideri, quia certa sunt, & fatalia: rursus diuinatio nulla est: eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas. Sed haec fuerit nobis tanquam leuis armaturae prima orationis excursio: nunc comminus agamus: experiamur itaque, si possumus cornua commouere disputationis tuae. Duo enim genera diuinandi esse dicebas, unum artificiosum, alterum naturale: artificiosum constare partim ex coniectura, partim ex obseruatione diuturna: naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex diuinitate, unde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus. Artificiosae diuinationis illa fere genera ponebas, extispicum, eorumque, qui ex fulguribus, ostentisq. praedicerent, tum augurum, eorumque, qui signis, aut ominibus uterentur: omneq. genus coniecturale in hoc fere genere ponebas. illud autem naturale, aut concitatione mentis edi, & quasi fundi uidebatur, aut animo per somnum sensibus, & curis uacuo prouideri. duxisti autem diuinationem omnem a tribus rebus, a deo, a fato, a natura. sed tamen, cum explicare nihil posses, pugnasti commenticiorum exemplum mirifica copia. de quo primo hoc libet dicere.

EXPLANATIO

ATQVE *ego* } ostendit M. Cicero, diuinationem, etiam si esset fore damnosam. QVAE *uita* } quam anxia uita. PROPIORA } recentiora. GRAVISSIMOS } acerbissimos. OPIBVS, *fortunisque* } diuitijs, & clientelis. TRIBVS *triumphis* } uidelicet, Europaeo, Libyco, & Asiatico. EA, *quae sine lacrymis &c.* } uidelicet oppressionem reip. interitum libertatis, & legum, Caesaream denique tyrannidem. SENATV } senatorum coetu. COOPTASSET } elegisset, substituendo in aliorum locum. POMPEIANA, } a Cn. Pompeio dedicata Victoriae. ORNATIS } honestatis, & in primis Bruto, qui Caesaris filius habebatur. NAM *illud* } Remouet Cicero Stoicorum obiectionem, asserentium necessitatem fatalem, & praesensionem rerum futurarum. NON *igitur &c.* } Inconueniens est, inquit, dicere aliquid caueri posse, quod necessario sit futurum. DIVINARS: } praenoscere. FRVCTVM } oblectationem. IACEAT } cesset. SOLLERTIA. } callida argumentatio. ADIVVENT } subleuent, dicentes posse leuius reddi imminens malum. TRISTISSIMAS } infelicissimas. LSVIVS } tolerabilius. Vnde Seneca, Quae multo ante prouisa sunt, languidius incurrunt. PROCVRATIS } celebratis. NIHIL *leuari* } nullum imminens malum leuius reddi. HOMERVS } XV. Iliados. ubi Iouem sic loquentem inducit: Heu mihi quoniam fatale est dilectissimum Sarpedonem a Patroclo Menoetiade superari. ATELLANIO } Satyrico. Atellanae dictae sunt Latinae Satyrae, ab Atella Oscorum ciuitate, in qua primum coeptae. SSVERIS } grauibus, & serijs. RATIO } argumentatio contra Stoicos. COMMINVS } propius. CORNVA } duas robustissimas acies, uidelicet naturalem, & artificialem diuinationem: quas Cicero cornua uocat, translatione a re militari sumpta, in qua robustissimae uires exercitus nunc Cornua, nunc Alae dicuntur. CONIECTVRA } obseruatione signorum. ANIMVS } uniuscuiusque hominis. ARRIPERET } celeriter ad se raperet. EXCIPSRET } in se conciperet. EXTRINSSCVS *ex diuinitate* } ab aethere extrinsecus ambiente omnem animam. HAVSTOS, *aut libatos haberemus* } toto pectore conciperemus. quasi potum, aut cibum aliquem: Aetheris naturam ad diuinandi scientiam conferre, testificatus est Hiarchas Indus, quem Apollonio Thianaeo ita dixisse ferunt: Mirari nemo debet, o Apolloni, te diuinandi scientiam consecutum, cum tantum aetheris in anima geras. OMINIBVS } uocibus humanis, in signum acceptis. HOC *genere* } artificiosae diuinationis. CONCITATIONE } feruore. EDI } emitti. FVNDI } liquefieri, & extendi. Id uerbum a metallariis usurpatum est, quo & liquefactionem igni factam, & liquefacti metalli extensionem innuunt. ANIMO *sensibus, & curis uacuo* } abstracto a corporea mole, in qua uigent sensus, & soliciti sumus. DVXISTI } originasti. EXPLICARE } rationibus confirmare. COMMENTICIORVM } fictorum.

CICERO

HOC *ego philosophi non arbitror, testibus uti; qui aut casu ueri, aut malitia falsi, fictiq. esse possunt. argumentis, & rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere, non euentis, ijs praesertim, quibus mihi liceat non credere. ut ordiar ab haruspicina, quam ego reip. caussa, communisq. religionis colendam censeo: sed soli sumus: licet uerum exquirere sine inuidia, mihi praesertim de plerisque dubitanti: inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi igitur cuiquam potest; ea, quae significari dicuntur extis, cognita esse ab haruspicibus obseruatione diuturna? ecquam diuturna ista fuit? aut quam longinquo tempore obseruari potuit? aut quo modo est collata inter ipsos, quae pars inimici, quae pars familiaris esset; quod fissum periculum, quod commodum aliquod ostenderet? an haec inter se haruspices Etrusci, Elij, Aegyptij, Poeni contulerunt? at id, praeterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest. alios enim alio more uidemus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam. & certe, si est in extis aliqua uis, quae declaret futura: necesse est eam aut cum rerum natura esse coniunctam, aut conforma-*

conformari quodam modo numine deorum, uiq. diuina. cum rerum natura tanta, tamq. praeslara, in omnes partes, motusq. diffusa, quid habere potest commune, non disam gallinaceum fel, (sunt enim, qui uel argutissima haec exta esse disant) sed tauri opimi iesur, aut sor, aut pulmo quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit? Democritus tamen non insite nugatur, ut physicus: quo genere nihil arrogantius.

Quod est ante pedes, nemo spectat: saeli scrutantur plagas.

uerum is tamen habitu extorum, & calore deslarari censet, hoc dumtaxat, pabuli genus, & earum rerum, quas terra prosreet, uel ubertatem, uel tenuitatem: salubritatem etiam, aut pestilentiam extis significari putat. O mortalem beatum: cui certo scio ludum numquam defuisse. hunccine hominem tantis delectatum esse nugis, ut non uideret, tum futurum id uerisimile, si omnium pesudum exta eodem tempore in eundem habitum se, coloremq. conuerterent? sed, si eadem hora aliae pesudis iesur nitidum, atque plenum est, aliae horridum, & exsile: quid est, quod deslarari possit habitu extorum, & colore? an hoc eiusdem modi est, quale Pherecydeum illud, quod est a te dictum? qui, cum aquam uidisset ex puteo haustam, terrae motum dixit futurum. parum, sredo, impudenter, quod, sum factus esset motus, disere audent, quae uis id effecerit: etiam ne, futurum esse, aquae iugis colore praesentiunt? Multa istiusmodi dicuntur in ssbolis: sed, credere omnia, uide ne non sit necesse. uerum sint sane ista Demosritea uera. quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid eiusmodi, ab haruspice inspectis extis, audiuimus? ab aqua, aut ab igni perisula monent: tum hereditates, tum damna denunciant: fissum familiare, & uitale tractant: caput iecoris ex omni parte diligentissime sonsiderant: si uero id non est inuentum, nihil putant ascidere potuisse tristius. haec obseruari certe non potuerunt, ut supra dasui. sunt igitur artis inuenta, non uetustatis; si est ars ulla rerum insognitarum. Cum rerum autem natura quam sognationem habent? quae ut una sonsensu iuncta sit, & sontineus; quod uideo physicis placuisse, eisq. maxime, qui omne, quod esset, unum esse dixerunt: quid habsre mundus potest cum thesauri inuentione soniunctum? si enim extis pesuniae mihi amplifisatio ostenditur, idq. fit natura: primum exta sunt coniuncta mundo; deinde meum lucrum natura rerum continetur. non ne pudet physicos haec disere? ut enim iam sit aliqua in natura rerum cognatio, quam esse consedo: (multa enim Stoisi solligunt: nam & musculorum iesuscula bruma disuntur augeri, & puleium aridum floressere ipso brumali die, & inflatas rumpi uesisulas, & semina malorum, quae in his medijs inslusa sint, in contrarias partes se uertere: iam ner uos in fidibus alijs pulsis resonare alios; ostreisq. & consshilijs omnibus contingere, ut cum Luna cressant pariter, pariterq. decrescant; arboresq. ut hiemali tempore, sum Luna simul senescentes, quia tum exsissatae sint, tempestiue saedi putentur. quid de fretis, aut de marinis aestibus plura disam? quorum accessus, & recessus Lunae motu gubernantur. sexcenta liset eiusmodi proferri, ut distantium rerum sognatio naturalis appareat) demus hos: nihil enim huic disputationi aduersatur: num etiam, si fissum suiusdammodi fuerit in iecore, lucrum ostenditur? qua ex cognatione naturae, & quasi soncentu, atque consensu, quam συμπάθειαν Graesi appellant, conuenire potest, aut fissum iecoris cum lucello meo, aut meus quaestisulus cum saelo, terra, rerumq. natura? soncedam hoc ipsum, si uis: etsi magnam iacturam caussae fesero, si ullam esse sonuenientiam naturae cum extis consessero: sed tamen, eo sonsesso, qui euenit, ut is, qui impetrire uelit conuenientem hostiam rebus suis immolet? hos erat, quod ego non rebar posse dissolui. at quam sestiue dissoluitur.

EXPLANATIO

VT *ordiar ab haruspicina.* } in specie se de diuinatione disputaturum dicitur Cicero. REIP. *saussa* } publici commodi gratia. COLENDAM } exercendam. SOLI *sumus:* } non est, a quibus cauere debeamus. SINE *inuidia* } sine offensione imperitorum. DE *plerisque dubitanti:* } Academice philosophanti. COLLATA } communicata. QVAE *pars inimisi esset* } quid pertineret ad inimicum, siue inimicitiam significaret. QVOD *fissum* } quae sima scilicet in iecore. FINGI } rationabiliter imaginari. VNAM } similem. VIS } efficacia. CONFORMARI *quodammodo* } componi, si ita dicere licet. NVMINE } maiestate, essentia. VI } efficacia, potestate. RERVM *natura* } sensibilium generatio. TANTA } tam ampla. PRAECLARA } excelsa, illustris. IN *omnes partes, motusq.* } in uniuersum ambitum mobilem. DIFFVSA } extenta. ARGVTISSIMA } significandis rebus aptissima. NATVRALE } proprium. NON *inscite nugatur* } impudenter loquitur. QVO *genere* } hominum scilicet in physicis nugantium. NIHIL *arrogantius* } non inuenitur aliud impudentius, cum aperte mentiantur, & tamen naturae interpretationem sibi uindicent. QVOD *est ante pedes, &c.* } Taxat Democriti uanitatem uetusto carmine, quale ancilla respondisse dicitur Thaleti in foueam delapso, dum caeli templa suspiceret. Socrates certe laudandus, qui de caelo ad urbes philosophiam deuocauit. IS } Democritus. HABITV } qualitate, dispositione, ut pinguedine, ac macie. GENVS } naturam. TENVITATEM: } exsilitatem. LVDVM } risum. Ita Iuuenalis.

Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus.

HVNCCINE *&c.* } Non decuit, inquit Cicero, talem, tantumq. uirum in nugis contriuisse curas. HABITVM } naturae qualitatem. PLENVM } pingue. HORRIDVM } male coloratum. EXSILE: } macie confectum extenuatum, & rimosum. PARVM *impudenter* } cum aliqua impudentia. AQVAE *iugis colore praesentiunt?* }

ac si dicat M. Cicero, Absurdum est aquae perpetuo scatentis colore praesagiri motum terrae. In *scholis:*} in umbratili philosophantium dissertatione. Ista *Democritea* } quae Democriti haruspicinam aemulari uidentur. Ea} Nihil tale, inquit Cicero, ab haruspicibus exquirimus, aut enunciatum audiuimus, ex colore extorum, quale ipsi ex coloribus aquae enunciant, quasi haruspicum aemulatores. Ab *aqua* } hydromantici. Ab *igni* } Pyromantici. Movent:} praedicant. Fissum *familiare* } iecoris rimam propitiam. Tractant } tractantes considerant. Caput *iecoris* } principaliorem partem iecoris. Ita in primo de diuin. Postero die caput in iecore non fuit. Non *potuerunt* } longo scilicet tempore, Si *est ars ulla* } Academicum agit, omnia in dubium reuocans, & iure optimo reuocat, cum res incognitae artificiali formula non comprehendantur. Cum *rerum natura* } cum particularibus naturalis. Quae *ut uno consensu iuncta sit &c.* } Quamuis inquit unaquaeq. res naturalis iungatur, & contineatur unica natura communi, in qua omnes consentiunt, & fiunt unum, quod priscis nam itae interpretibus placuit, qui etiam id unum ex omnibus mundum uocauere, non tamen uideo quomodo hic mundus consentiat, & communicet cum inuentione thesauri. Meum *lucrum* } inuentio thesauri. Ut *enim* } quamuis enim. Cognatio } coniunctio, communicatio. Musculorum } paruorum murium. Brumali *die*, } primo die hiemis. Plinius, Miretur, inquit, hoc, qui non meminerit ipso brumali, die pulegium in carnarijs florere. adeo nihil esse occultum natura uoluit. Iam *neruos &c.* } Neruias, in fidibus, alias digitis pelli, alias sonare, satis superq. compertum est. Pulsis } tactis plectro, aut digitis. Senescentes, } arescentes. Tempestive } opportune. Distantium } separatarum. Cognatio } coniunctio, communicatio. Demus *hoc* } concedamus esse naturalem cognationem. Cuiusdam *modi* } id est, tale, aut non tale. Num *etiam lucrum ostenditur* } ac si dicat id fieri non potest cognatione naturae. Συμπάθειαν } Sympathia, componitur a σύν, id est, Cum, & πάσχω, id est, patior Latine: cui contraria est ἀντιπάθεια. Sympathia a Cicerone consensus transfertur, quoniam compassio dura est Latinorum auribus appellatio. Convenire } consentire. Lucello *meo* } paruo meo lucro. Quaesticulus } exiguus quaestus. Rerum *natura* } qualitate, ac genere. Causae } disputationi. Qui *euenit*, } quomodo euenit. Impetrire. } Vetustum uerbum, quo haruspices utebantur, pro impetrare, obtinere. Rebus *suis* } quas scilicet obtinere uelit. Hoc *erat* } Stoicorum, inquit, ratio haec erat: nimirum cognatio, consensus naturae, coniunctio, & nodus quidam naturalis, qui etsi mihi aliquando uisus est indissolubilis, facile tamen dissoluitur.

CICERO

Pudet me nō tui quidem, cuius etiam memoriam admiror, sed Chrysippi, Antipatri, Posidonij, qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum a te, ad hostiam deligēdam ducem esse uim quandam sentientem, atque diuinam, quae toto confusa mundo sit. Illud uero multo etiam melius, quod & a te usurpatum est, & dicitur ab illis: cum immolare quispiam uelit, tum fieri extorum mutationem, ut aut absit aliquid, aut supersit: deorum enim numini parere omnia. Haec, mihi iam crede, ne aniculae quidem existimant. an censes, eundem uitulum si alius delegerit, sine capite iecur inuenturum; si alius, cum capite? haec decessio capitis, aut accessio subito ne fieri potest, ut se exta ad immolantis fortunam accommodent? non perspicitis, aleam quandam inesse hostijs deligendis, praesertim cū res ipsa doceat? cum enim tristissima exta sine capite fuerunt, quibus nihil uidetur esse dirius: proxima hostia litatur saepe pulcherrime. ubi illae minae superiorū extorum? aut quae tam subita facta est deorum tanta placatio? Sed affers, in tauri opimi extis immolante Caesare cor non fuisse; id quia non potuerit accidere, ut sine corde uictima illa uiueret, indicandum esse, tum interisse cor, cum immolaretur. Qui fit, ut alterum intelligat, sine corde non potuisse bouem uiuere: alterum, non uideas, cor subito non potuisse nescio quo auolare? ego enim possum uel nescire, quae uis sit cordis ad uiuendum: uel suspicari, contactum aliquo morbo bouis exsile, et exiguum et uietum cor, & dissimile cordis fuisse. tu uero quid habes, quare putes, si paullo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? an, quod aspexit uestitu purpureo excordem Caesarem, ipse corde priuatus est? urbem philosophiae, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. nam, dum haruspicinam ueram esse uultis, physiologiam totam peruertitis. Caput est in iecore, cor in extis: iam abscedet, simul ac molam, & uinum insperseris. deus id eripiet, uis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo omnium interitus, atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat. quis hoc physicus dixit umquam? haruspices dicunt. his igitur, quam physicis, potius credendum existimas? Quid, cum pluribus dijs immolatur, qui tandem euenit, ut litetur alijs; alijs non litetur? quae autem inconstantia deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, saepe etiam inter proximos, ut Apollinis exta bona sint, Dianae non bona? quid est tam perspicuum, quam, cum fortuito hostiae adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia?

EXPLANATIO

Memoriam } quam recensendis Stoicorum rationibus, & magna exemplorum copia ostendisti. Sentientem, } nimirum per naturae consensum. Quae *toto confusa mundo sit.* } & proinde omnia sentiat. Numini } potentiae. Haec } quae de duce deligente hostiam dicta sunt, & de mutatione extorum.

rum. Anicvlae } uetulae delirantes, ac superstitiosae. Alivs } unus quispiam alterius condicionis. *Si alius cum capite?* } ac si dicat non est credendum, ut exta se accommodent ad condicionem illius, qui hostiam deligit. Aleam } sortem quandam. Ipsa *res* } experientia. Dirivs: } infelicius. Dirum dicitur, quasi ira deorum. Proxima *hostia litatur* } altera hostia proxime, confestimq. litatur ab eodem scilicet, qui primam litatus est. Pvlcherrime } felicissime. Svperiorvm *extorum?* } quae portendebantur per exta prioris hostiae. Opimi } pinguis, bonae habitudinis, ut mirum fuerit cor non habuisse. Qvi *fit* } quomodo euenit. Ego *enim* } qui Academicam gero personam. Exsile } tenue. Exigvvm } paruum. Vietvm } uitiatum, uiribus priuatum, languidum. Qvid *habes*, } qua ratione duceris. An *quod adspexit* } Iocatur Satyrice, Caesarem taxans. Pvrpvreo } Regio, & Pontificio. Excordem } sine prudentia: quoniam, dum in patria libera imperare uoluit, nobilissimos ciues in suam necem irritauit. Vrbem *philosophiae*, } Translatione sumpta a re militari, in qua urbes interdum deseruntur, ut paruae quaedam munitiones defendantur, ostendit M. Cicero, Stoicos, dum extorum uim defendunt, deserere omnes formulas philosophiae, & illius dignitati aduersari. Nam } ostendit exemplo, quod per translationem enunciauerat. Physiologiam } rationem rerum naturalium. Pervertitis. } deprauans ea asserendo, quae naturae ratio non admittit. Simvl *ac* } cum primum. Molam, } farinam ita a Molendo dictam, quam sale adspergebant, sacrificantes. hinc Virgilius salsas fruges appellauit, quibus uictimarum capita oblinebantur. Devs } efficacia diuina. Conficiet } consumet. Avt *exedet* } quasi animal. Natvra } naturalis. Qvis *hoc physicus &c.* } quasi dicat, Per uiam naturae non conceditur aliquid ex nihilo oriri, & in nihilum recidere. Qvi *euenit*, } quo modo euenit. Litetvr *alijs* } sacrificio placentur dij nonnulli. Inconstantia } uolubilitas. Dissensio } discordia. Proximos, } coniunctissimos genere. Qvid *est tam perspicuum* } Negat M. Cicero exta hostiarum non se accommodare ad condicionem alicuius, quia adducantur ex delectione cuius deus ipse sit dux. nam hostiae ipsae fortuito adducuntur.

C I C E R O

At enim id ipsum habet aliquid diuini, quae cuique hostia obtingat, tamquam in sortibus quae cui ducatur. Mox de sortibus. quamquam tu quidem non hostiarum casum confirmans sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum. An, cum in Aequimelium misimus qui afferat agnum, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnum non casu, sed duce deo seruus deducitur? nam, si casum in eo quoque dicis esse, quasi sortem quandam cum deorum uoluntate coniunctam: doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. non enim ignoras, quam ista derideant. & quidem illi facilius facere possunt: deos enim ipsos, iocandi caussa, induxit Epicurus perlucidos, & perflabiles, & habitantes, tamquam inter duos lucos, sic inter duos mundos propter metum ruinarum; eosq. habere putat eadem membra, quae nos, nec ullum usum habere membrorum. ergo is, circuitione quadam deos tollens, recte non dubitat diuinationem tollere. sed non, ut hic sibi constat, item Stoici. illius enim deus nihil habens nec sui, nec alieni negotij, non potest hominibus diuinationem impertire: uester autem deus potest non impertire, ut nihilo minus mundum regat, et hominibus consulat. cur igitur uos inducitis in eas captiones, quas numquam explicetis? ita enim, cum magis properant, concludere solent. si dij sunt, est diuinatio. sunt autem dii, est ergo diuinatio. multo est probabilius: non est autem diuinatio, non sunt ergo dij. uide, quam temere committant, ut, si nulla sit diuinatio, nulli sint dij. diuinatio enim perspicue tollitur, deos esse, retinendum est. Atque, hac extispicum diuinatione sublata, omnis haruspicina sublata est: ostenta enim sequuntur, & fulgura: ualet autem in fulguribus obseruatio diuturna: in ostentis ratio, plerumque coniectura adhibetur. Quid est igitur, quod obseruatum sit in fulgure? caelum in XVI partes diuiserunt Etrusci. facile id quidem fuit, quattuor, quas nos habemus, duplicare, post idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte uenisset. Primum, id quid interest? deinde, quid significat? nonne perspicuum est, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua, iactusq. fulminum extimuissent, credidisse, ea efficere rerum omnium praepotentem Iouem? itaque in nostris commentarijs scriptum habemus: Ioue tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. hoc fortasse reip. caussa constitutum est: comitiorum enim non habendorum caussas esse uoluerunt. itaque comitiorum solum uitium est fulmen, quod idem omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuerit. de auspicijs alio loco: nunc de fulguribus. Quid igitur minus a physicis dici debet, quam quidquam certi significari rebus incertis? non enim te puto esse eum, qui Ioui fulmen fabricatos esse Cyclopas in Aetna putes. nam esset mirabile, quo modo Iuppiter toties iaceret, cum unum haberet. Nec uero fulminibus homines, quid aut faciendum esset, aut cauendum, moueret. placet enim Stoicis, eos anhelitus terrae, qui frigidi sint, cum fluere coeperint, uentos esse: cum autem se in nubem induerint, eiusq. tenuissimam quamque partem coeperint diuidere, atque disrumpere, idq. crebrius facere, & uehementius, tum et fulgura, & tonitrua exsistere: si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Quod igitur ui naturae, nulla constantia, nullo rato tempore uidemus effici, ex eo significationem rerum consequentium quaerimus? scilicet, si ista Iuppiter significaret, tam multa frustra fulmina emitteret. quid enim proficit, cum in medium mare fulmen iecit? quid, cum in altissimos montes? quod plerumque fit. quid, cum in desertas solitudines? quid, cum in earum gentium oras, in qui-

bus haec ne obseruantur quidem? At inuentum est caput in Tiberi. Quasi ego artem aliquam istorum esse negem. diuinationem nego. caeli enim distributio, quam ante dixi, & certarum rerum notatio docet, unde fulmen uenerit, quo concesserit: quid significet autem, nulla ratio docet. Sed urget me meis uersibus:

Nam pater altitonans, stellanti nixus olympo,
Ipse suas arces, atque inclyta templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
tum statua Nattae, tum simulacra deorum, Romulusque, & Remus cum altrice bellua, ui fulminis icti, conciderunt, deq. his rebus haruspicum exstiterunt responsa uerissima.

EXPLANATIO

AT *enim* } Haec est altera Stoicorum ratio, qua Haruspicinam defendere nitebantur: inquiunt enim, haruspices praedicere posse ex uictimis etiam sorte adductis. nam deus ipse director est sortium, & proinde eligit eiusmodi uictimas, in quorum extis appareant signa, ex quibus ipsi ex arte praedicunt. SED *infirmas collatione hostiarum* } nimirum quia nec in sortibus magis inuenitur ueritas, ut mox de sortibus ostenderur. AEQVIMELIVM } Forum erat Romae rerum uenalium. Scribit Liuius in eo foro fuisse domum Spurij Melij damnati, eo quod regnum affectasset. IS } talis. REBVS } negotijs, quae obtinere, aut inquirere uelim. SORTEM *quandam* } quoddam accidens, aleam quandam. NOSTROS } nobis familiares, & amicos. Ironice loquitur. EPICVREIS } deos, & diuinationem tollentibus. FACVLTATEM } opportunitatem, ansam. FACILIVS } minori nota. IOCANDI *caussa*, } ad uoluptatem. PERLVCIDOS } transparentes. PERFLABILES } facile mobiles. DVOS *lucos* } Quod luci numinibus sacrati essent, non modo genuum historia, uerum sacra declarat. Scribit Tacitus, Germanos ueteres alia nulla deorum templa habuisse, quam lucos, nemoraq. deorum suorum nominibus appellata. Notat & Seruius Manes, & heroum animas, qui Lares uitales dicerentur, lucos tenere. hinc & Virgilius in VI. dicit:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Nec aliter lucos umquam posuit Poeta, sine consecratione.

CIRCVITIONE } flexu quodam uerborum, & ambitu. non enim audebat aperte propter metum Atheniensium, qui impios plectebant. RECTE } conuenienter: consequitur enim, ut, si deus non est, nec diuinatio, quae a deo nomen mutuata est. ILLIVS *enim &c.* } Ratio constantiae Epicuri, & Stoicorum inconstantiae. NEGOTII, } curae, laboris. IMPERTIRE: } distribuere. VESTER *deus* } deus a uobis Stoicis inductus. Quinctus enim Cicero, ad quem sermo dirigitur, Stoicorum partes tutatus est. INDVCITIS } Duo uerba, quae sequuntur, Captiones, & Explicetis, facile me adducunt, ut legendum putem, Induitis: qua ratione item in Verrem dixit, induere se in laqueos: Et Lucr. lib. IV. Ac nos in fraudem induimus frustra nimis ipsi. Haec Paullus pater. IN *eas captiones &c.* } in eiusmodi uiscum, retia, laqueos, ex quibus explicare uos non possitis. CVM *magis properant*, } cum potioribus, ualidissimisq. eorum argumentis nituntur. PROBABILIVS } uerosimilius. COMMITTANT, } errent. PERSPICVE } euidenter. RETINENDVM *est.* } sentiendum, & retinendum est. OMNIS *haruspicina* } quae non solum praedicit quid ostendant exta, sed & fulgura interpretatur. QVATTVOR, *quas non habemus*, } ortum solis, occasum, septemtrionem, & meridiem. QVID *interest?* } Nihil, inquit, id facit ad confirmandam haruspicinam, & praedictionem fulminum. QVID *significat?* } Nihil, inquit, significant fulmen undecumq. ueniat. PRAEPOTENTEM } summa potentia praeditum. COMMENTARIIS } auguralibus libris. erat enim M. Cicero de augurum numero. NEFAS } illicitum, impium, contra religionem. HOC *fortasse* } Explicat Cicero rationem huius instituti. CAVSSAS *esse noluerunt* } ut scilicet optimates aliquo praetextu differre possent plebis uota. SOLVM *uitium* } non, solum uitium; sed, comitiorum soluum: cum ceteris in rebus non sit uitium, si modo sinistrum sit. EVM, } talis opinionis. CYCLOPAS } hi finguntur Vulcani ministri in Aetna Siciliae monte, Aeolijsq. insulis, ubi ignis est perpetuus, elaborantes Ioui fulmen, & deorum arma. unde Virgil. lib. IIX

Ferrum exercebant uasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Sunt, qui pro Pyracmone Harpen nominent. Pyracmon multus ignis interpretatur, Harpes uero rapiens. Certe ignem, nisi ad se aerem rapiat, exstingui compertum habemus. Brontes autem tonus interpretatur. & Steropes fulgur, & splendor, qui fulmina antecedit. Cyclopes communi nomine dicti sunt ab oculo circulari, quem unicum omnes in fronte habebant. PLACET *enim Stoicis*, } Explicat naturalem caussam fulminum ex Stoicorum sententia. ANHELITVS } exhalationes. FLVERE } exhalare. DISRVMPERE } ui frangere. FVLGVRA, } coruscationes. TONITRVA } strepitus. CONFLICTV } collisu, & attritu. CONSEQVENTIVM } futurarum. SCILICET, } Certe. ironiam sapit. ORAS } regiones. CAPVT } Sumani dei. ISTORVM } fulminalium interpretum. CAELI *enim* } Docet possibile esse sciri, a qua parte caeli fulmen descenderit, & quo tacta impulerit. NVLLA *ratio* } nulla ars, & disciplina. ALTRICE *bellua*, } lupa ubera praebente.

CICERO

MIRABILE *autem illud, quod eo ipso tempore, quo fieret indicium coniurationis in senatu, signum Iouis biennio post, quam erat locatum, in Capitolio collocabatur. tu igitur animum induces (sic*

enim

enim meců agebas) caussam istă & contra facta tua, et cŏtra scripta defenderes? Frater es: eo uereor. uerů quid tibi hic tandě nocet? res ne, quae talis est; an ego, qui uerum explicari uolo? itaque nihil contra dico; a te rationem totius haruspicinae peto. sed te mirificam in latebram coniecisti. quod enim intelligeres fore, ut premerem te, cum ex te caussam uniuscuiusque diuinationis exquirerem; multa uerba fecisti; te, cum res uideres, rationem, caussamq. non quaerere; quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere. Quasi ego aut fieri concederem; aut esset philosophi, caussam, cur quidque fieret, non quaerere. Et eo quidem loco & prognostica nostra pronunciabas, & genera herbarum, scammoneam, aristolochiamq. radicem: quarum caussam ignorares, uim, & effectum uideres. Dissimile totum. nam & prognosticorum caussas persecuti sunt & Boethus Stoicus, qui est a te nominatus, & noster etiam Posidonius: &, si caussae non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsae obseruari, animaduertiq. possunt. Nattae uero statua, aut aera legum de caelo tacta quid habent obseruatum, ac uetustum? Pinarij Nattae nobiles. a nobilitate igitur periculum. hoc tamen callide Iuppiter cogitauit. Romulus lactens fulmine ictus. ubi igitur periculů ostenditur, ei, quam ille condidit. quă scite per notas nos certiores facit Iuppiter? At eodem tempore signum Iouis collocabatur, quo coniuratio indicabatur. & tu scilicet mauis numine deorum id factum, quam casu, arbitrari? & redemptor, qui columnam illam de Cotta, & de Torquato conduxerat faciendam, non inertia, aut inopia tardior fuit, sed a dijs immortalibus ad istam horam reseruatus est? non equidem plane despero ista esse uera, sed nescio, & discere a te uolo. nam, cum mihi quaedam casu uiderentur sic euenire, ut praedicta essent a diuinantibus: dixisti multa de casu; ut, uenerium iaci posse casu, quattuor talis iactis; quadringentis, centum uenerios non posse casu consistere. Primum nescio, cur non possint: sed non pugno: abundas enim similibus: habes & respersionem pigmentorum, & rostrum suis, & alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci. Quasi non potuerit id euenire casu, & non in omni marmore necesse sit inesse uel Praxitelia capita. illa enim ipsa efficiuntur detractione: nec quidquam illuc affertur a Praxitele: sed, cum multa sunt detracta, & ad lineamenta oris peruentum est; tum intelligas, illud, quod iam expolitum sit, intus fuisse. potest igitur tale aliquid etiam sua sponte in lapicidinis Chiorum exstitisse. Sed sit hoc fictum. quid? in nubibus numquid animaduertisti leonis formam, aut hippocentauri? potest igitur, quod modo negabas, ueritatem casus imitari. Sed, quoniam de extis, & fulguribus satis est disputatum; ostenta restant, ut tota haruspicina sit pertractata. Mulae partus prolatus est a te: res mirabilis, propterea quia non saepe fit: sed, si fieri non potuisset, facta non esset. atque hoc contra omnia ostenta ualeat, numquam, quod fieri non potuerit, esse factum; sin potuerit, non esse mirandum, caussarum enim ignoratio in re noua mirationem facit, eadem ignoratio si in rebus usitatis est, non miramur. nam, qui mulam peperisse miratur; is, quo modo equa pariat, aut omnino quae natura partum animantis faciat, ignorat: sed, quod crebro uidet, non miratur, etiam si, cur fiat, nescit: quod autem non uidit, id si euenerit, ostentum esse censet. utrum igitur, cum concepit mula, an cum peperit, ostentum est? conceptio contra naturam fortasse, sed partus prope necessarius. Sed, quid plura? ortum uideamus haruspicinae: sic facillime, quid habeat auctoritatis, iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, exstitisse repente, & eum affatus esse, qui arabat. is autem Tages, ut in libris est Etruscorů, puerili specie dicitur ui sus, sed senili fuisse prudentia. eius adspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremq. maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamq. breui tempore in eum locum Etruriam conuenisse: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius uerba exceperint. litterisq. mandauerint: omnem autem orationem fuisse eam, qua haruspicinae disciplina contineretur: eam postea creuisse rebus nouis cognoscendis, et ad eadem illa principia referendis. Haec accepimus ab ipsis: haec scripta cŏseruant. hunc fontem habent disciplinae, num ergo opus est ad haec refellenda Carneade? num Epicuro? est ne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam, an hominem? si deum, cur se contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adspiceret? quid? idem non ne poterat deus hominibus disciplinam superiore ex loco tradere? si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppressus uiuere? unde porro illa potuit, quae docebat alios, ipse didicisse?

EXPLANATIO

LOCATVM } pretio datum architectis, ut signum illud ita collocarent. CAVSSAM *istam* } de hac re disputationem. EO *uereor* } quia frater es, in dubium reuoco, non contradico. HIC } in hac parte. TALIS } non facile cognoscibilis. NIHIL *contra dico;* } quia frater es. A *te rationem peto.* } quia uerum explicari uolo. QVOD } quoniam. VNIVSCVIVSQVE } naturalis, & artificialis. AD *rem* } ad utilitatem. QVASI *ego* } Ita enunciabas, inquit M. Cicero, tamquam ego concederem talia fieri eo modo ut dicitis, aut ego statuerem caussam non esse quaerendam. PERSECVTI *sunt* } indagarunt. AERA *legum* } duodecim aereae tabulae, quibus insculptae erant leges. QVID *habent obseruatum,* } Quasi dicat, nihil. quoniam alias id non acciderat. VETVSTVM? } ab antiquis obseruatum. Hoc *tamen &c.* } Commentum hoc deridet Academicus. LACTENS } ubera suggens. QVAM *scite* } ironice hoc dicitur. PER *notas* } per signa. ET *tu scilicet* } ironiam sapit hic sermo. REDEMPTOR } ipse architectus, qui columnam statuendam conduxerat, unde Redemptores etiam caussarum dicuntur, & litium. Idem in Ep. ad Att. Redemptori tuo dimidium pecuniae curaui.

INO-

INOPIA } defectu potentiae, & pecuniae. AD *istam horam* } ad istam temporis opportunitatem. NON *plane despero &c.* } sibi ipsi blanditur M. Cicero, ut qui uellet deorum curam auspicatissimum effecisse suum consulatum. PIGMENTORVM } colorum temperatorum. VEL *Praxitelia* } etiam Praxitelis arte scalpta. ILLA *ipsa* } capita scalpta. EFFICIVNTVR } formantur. DETRACTIONE } ablatione scilicet quadam partium lapidearum. INTVS } in natura ipsius marmoris. SVA *sponte* } propria natura. HOC } de Panisci capite. QVOD *modo negabas* } paulloante. RESTANT, } superstites pertractanda. IN *re noua* } in re insolita, & rara. QVAE *natura* } uis naturalis sanguinis, uidelicet menstrui, & seminis, uicem coaguli in conceptu praebentis. ORTVM } principium, & originem. TARQVINIENSI } ubi est Tarquinij, siue Tarchonis opidum. In Etruria eius uestigia adhuc exstant, corruptaq. appellatio, inter Tuscanellam, & Cornetum, olim Grauiscas ab aere graui ac pestilenti. ALTIVS } profundius. EXSTITISSE } apparuisse. DISCIPLINA } arte, ac ratione. FONTEM } originem. DISCIPLINAE } haruspicinae artis. EXARATVM } arando refossum, & inuentum. CONTRA *naturam* } contra proprietatem naturae non diuinae solum, sed etiam humanae. SVPERIORE *ex loco* } ex loco eminenti, conueniente diuino fastigio.

CICERO

SED ego insipientior, quam illi ipsi, qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem: uetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum uidisset. quota enim quaeque res euenit praedicta ab his? aut, si euenit quippiam, quid afferri potest, cur non casu id euenerit? Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti pugnare placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. an tu, inquit, carunculae uitulinae mauis, quam imperatori ueteri, credere? quid? ipse Caesar, cum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, non ne transmisit? quod ni fecisset, unum in locum omnes aduersariorum copiae conuenissent. Quid ego haruspicum responsa commemorem, (possum quidem innumerabilia) quae aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios? hoc ciuili bello dij immortales quam multa luserunt? quae nobis in Graeciam Roma responsa haruspicum missa sunt? quae dicta Pompeio, etenim ille admodū extis, et ostentis mouebatur: non lubet cōmemorare, nec uero necesse est, tibi praesertim, qui interfuisti: uides tamen omnia fere contra, ac dicta sunt, euenisse. Sed haec hactenus: nunc ad ostenta ueniamus. Multa me consule, a me ipso scripta, recitasti: multa ante Marsicum bellum, a Sisenna collecta, attulisti: multa ante Lacedaemoniorum malam pugnam in Leuctris, a Callisthene commemorata, dixisti. de quibus dicam equidem singulis, quoad uidebitur; sed dicendum etiam est de uniuersis. Quae est enim ista a dijs profecta significatio, & quasi denunciatio calamitatum? quid autem ea uolunt dij immortales primum significantes, quae sine interpretibus non possumus intelligere; deinde ea, quae cauere nequeamus? ad hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis impendentes calamitates praedicant, quas illi effugere nullo modo possint: ut medici, quamquam saepe intelligunt, tamen numquam aegris dicunt, illo morbo eos esse morituros. omnis enim praedictio mali tum probatur, cum ad praedictionem cautio adiungitur. quid igitur aut ostenta, aut eorum interpretes, uel Lacedaemonios olim, uel nuper nostros adiuuerunt? quae si signa deorum putanda sunt, cur tam obscura fuerunt? si enim, ut intelligeremus, quid esset euenturum: aperte declarari oportebat, aut ne occulte quidem, si ea sciri nolebant. Iam uero coniectura omnis, in qua nititur diuinatio, ingenijs hominum in multas, ac diuersas, aut etiam contrarias partes saepe deducitur. ut enim in caussis iudicialibus alia est coniectura accusatoris, alia defensoris, & tamen utriusque credibilis: sic in omnibus ijs rebus, quae coniectura inuestigari solent, anceps reperitur oratio. quas autem res tum natura, tum casus affert non numquam, etiam errorem creat similitudo; magna stultitia est, earum rerum deos facere effectores, caussas rerum nō quaerere. Tu uates Boeotios credis Lebadiae uidisse ex gallorum gallinaceorum cantu uictoriam esse Thebanorum; quia galli uicti silere solent, canere uictores. hoc igitur per gallinas Iuppiter tantae ciuitati signum dabat? an illae aues, nisi cum uicerint, canere non solent? at tum canebant, nec uicerant. id enim inquies, ostentum. magnum uero: quasi pisces, non galli, cecinerint. quod autem est tempus, quo illi non cantent, uel nocturnum, uel diurnum? quod si uictores alacritate, & quasi laetitia ad canendum excitantur: potuit accidisse alia quoque laetitia, qua ad cantum mouerentur. Democritus quidem optimis uerbis caussam explicat, cur ante lucem galli canant: depulso enim de pectore, & in omne corpus diuiso, & modificato cibo, cantus edere quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius, fauent faucibus russis: cātu, plausuq. premunt alas. cum igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte, quid in mentem uenit Callistheni dicere deos gallis signum dedisse cantandi? cum id uel natura, uel casus efficere potuisset.

EXPLANATIO

SCITVM } prudens dictum in deliramenta haruspicum. QVOTA } quasi dicat, Ferme nulla. A *summo haruspice* } Spurina. LVSERVNT? } iocati sunt. CONTRA *ac* } contra quam. ANTE *Marsicum bellum,* } quod Sociale dictum est, atque Italicum. MALAM } infelicem. QVOAD *uidebitur;* } subaudi, sufficere ad propositum, ne modum excedat oratio. DE *uniuersis* } hoc est, de ostentis in genere. sic in genere

egit

egit de diuinatione ipsa, deinde ad partes descendit. QVAE *est* ʒ cuius naturae. CAVERE ʒ declinare aliquo consilio. PROBATVR ʒ commendatur, laudatur. CAVTIO ʒ modus cauendi. CONIECTVRA ʒ opinabile iudicium ex circumstantijs. NITITVR ʒ fundatur. ANCEPS *oratio.* ʒ ambigua interpretatio. QVASI *pisces* ʒ ostentum, inquit, esset, si pisces cecinissent, & non galli natura canori. OPTIMIS *uerbis* ʒ probabilibus rationibus. QVIETE ʒ dormitione. FAVENT *faucibus* ʒ silent parcendo faucibus, per quas cantus emittitur. SVA *sponte*, ʒ propria natura.

C I C E R O

SANGVINEM pluisse, senatui nunciatum est, atratum fluuium fluxisse sanguine, deorum sudasse simulacra: num censes his nuncijs Thalem, aut Anaxagoram, aut quemquam physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis, nec sudor nisi e corpore est. sed & decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse, & humor allapsus extrinsecus, ut in tectorijs uidemus austro, sudorem imitari. Atque haec in bello plura, & maiora uidentur timentibus: eadem non tam animaduertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu, & periculo cum creduntur facilius, tum finguntur impunius. nos autem ita leues, atque inconsiderati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus. Ante uero Marsicum bellum, quod clypeos Lanuuij, ut a te est dictum, mures rasissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi uero quidquam intersit, mures, diem & noctem aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint. nam, si ista sequimur: quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserint, de rep. debui pertimescere: aut, si Epicuri de uoluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore. An uero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa, aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. quidquid enim oritur, qualecumque est, caussam habeat a natura necesse est: ut, etiam si praeter consuetudinem exstiterit, praeter naturam tamen non possit exsistere. Caussam igitur inuestigato in re noua, atque admirabili, si poteris: si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine caussa: eumq. errorem, quem tibi rei nouitas attulerit, naturae ratione depellito. ita te nec terrae fremitus, nec caeli discessus, nec lapideus, aut sanguineus imber, nec traiectia stellae, nec faces uisae terrebunt. quorum omnium caussas si a Chrysippo quaeram; ipse ille, diuinationis auctor, numquam illa dicet facta fortuito, naturalemq. rationem omnium reddet. nihil enim fieri sine caussa potest: nec quidquam fit, quod fieri non potest: nec, si id factum est, quod fieri potuit, portentum debet uideri: nulla igitur portēta sunt. nā, si, quod raro fit, id portentum putandum est: sapientem esse portentū est. saepius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur; nec id, quod non potuerit fieri, factum umquam esse; nec, quod potuerit, id portentum esse; ita omnino nullum esse portentum. quod etiam coniector quidam, & interpres portentorum non inscite dicitur ei respondisse, qui cum ad eum retulisset quasi ostentum, quod anguis domi uectem circumuectus fuisset, tum esset, inquit, ostentum, si anguem uectis circumplicasset. hoc ille responso satis aperte declarauit nihil habendum esse portentum, quod fieri posset. C. Gracchus ad M. Pomponium scipsit; duobus anguibus domi comprehensis, haruspices a patre conuocatos. qui magis anguibus, quam lacertis, quam muribus? quia sunt haec quotidiana, angues non item. quasi uero referat, quod fieri potest, quam id saepe fiat. ego tamen miror, si emissio feminae anguis mortem afferebat Ti. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae, cur alterutram emiserit. nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. at mors insecuta Gracchum est. caussa quidem, credo, aliqua morbi grauioris, non emissione serpentis. neque enim tanta est infelicitas haruspicum, ut ne casu quidem umquam fiat, quod futurum illi esse dixerint. Nam illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum Calchantem dixisti ex passerum numero belli Troiani annos auguratum: de cuius coniectura sic apud Homerum, ut nos otiosi conuertimus, loquitur Agamemnon:

E X P L A N A T I O

CONTAGIONE ʒ corruptione, ac uitio, quod aquae fluore terra contrahit. TECTORIIS ʒ parietibus incrustatis. AVSTRO ʒ uentus est calidus, & humidus, a meridiano cardine spirans. Quattuor cardinales uentos Pontanus eleganti hoc disticho complexus est,

A summo Boreas, Auster imo spirat Olympo,
Occasum insedit Zephyrus, uenit Eurus ab ortu.

IMPVNIVS. ʒ & ideo licentiosius, nemine contradicente. DIEM *& noctem* ʒ semper. SCVTA, *an cribra* ʒ Scutum est circularis testudo, quam, miles laeua protendens in bello ictus excipit aduersarij. Cribrum uero circularis est fascia lignea subditam habens pellem extensam perforatam, & clauibus illi inhaerentem, quo instrumento circulariter moto uillici granum iniectum coagitando expurgant a sordibus. POLITIAM ʒ libros de ciuili gubernatione. ANNONAM *in macello cariorem fore* ʒ eo anno carnem in carnificina apotheca cariorem fore. PORTENTOSA ʒ significantia aliquod praesagium, quia acciderint praeter usitatum naturae ordinem. CAVSSAM ʒ efficientem, scilicet uim. EXPLORATVM ʒ certum. TRAIECTIO ʒ transitus. AVCTOR ʒ assertor. SAPIENTEM *esse* ʒ perfectum esse, & omnes numeros habere ut uolunt Stoici. CONIECTOR ʒ

iector } interpres. Non *inscite* } sapienter. Circumvectus } circumuolutus. A *patre* } Tib. Graccho. Qui *magis* } cur magis. Alterutram } e duobus unam. Auguratum: } subaudi, fuisse. Loquitur *Agamemnon:* } *μνημονικὸν ἁμάρτημα.* non enim Agamemnon, sed Vlixes haec loquitur apud Homerum ἐν τῷ β.

CICERO

Ferte uiri, & duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus
Scire ratos ne habeant, an uanos pectoris orsus:
Namque omnes memori portentum mẽte retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut uestita est classibus Aulis,
Quae Priamo cladem, & Troiae, pestemq. ferebant;
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris diuum placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani specie, tortuq. draconem
Terribilem, Iouis ut pulsu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine saeptos
Corripuit pullos: quos cum consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore uolabat:
Cui ferus immani laniauit uiscera morsu.
Hunc, ubi tam teneros uolucres, matremq. peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro formauit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum
Vidimus in medijs diuum uersarier aris.
Tum Calchas haec est fidenti uoce locutus:
Quidnam torpentes subito obstupuistis Achiui?
Nobis haec portenta deum dedit ipse creator,
Tarda & sera nimis, sed fama ac laude perenni.
Nam quot aues taetro mactatas dente uidetis,
Tot nos ad Troiam belli exantlabimus annos:
Quae decumo cadet, & poena satiabit Achiuos.
Edidit haec Calchas: quae iam matura uidetis.

quae tandem ista auguratio est ex passeribus annorum potius, quam aut mensium, aut dierum? cur autem de passerculis coniecturam facit, in quibus nullum erat monstrum; de dracone silet, qui, id quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? postremo, quid simile habet passer annis? nam de angue illo, qui Sullae apparuit immolanti, utrumque memini, & Sullam, cum in expeditionem educturus esset, immolauisse, & anguem ab ara exstitisse, eoq. die rem praeclare esse gestam, non haruspicis consilio, sed imperatoris. atque haec ostentorum genera mirabile nihil habent: quae cum facta sunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatione reuocantur: ut, illa tritici grana in os pueri Midae congesta, aut apes, quas dixisti in labris Platonis pueri consedisse, non tam mirabilia sint, quam coniecta bene: quae tamen uel ipsa falsa esse, uel illa, quae praedicta sunt, fortuito accidisse potuerunt. De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit angui: sed, ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Solonio praesertim, ubi apud focum angues nundinari solent. nam, quod haruspices responderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore: miror deos immortales histrioni futuro claritatem ostendisse, nullam ostendisse Africano. Atque etiã a te Flaminiana ostenta collecta sunt, quod ipse, & equis eius repente conciderit: non sane hoc quidam mirabile: quod euelli primi hastati signum non potuerit: timide fortasse signifer euellebat, quod fidenter infixerat. Nam Dionysij equus quid attulit admirationis, quod emersit ex flumine? quodq. habuit apes in iuba? sed, quia breui tempore regnare coepit; quod casu acciderat, uim habuit ostenti. At Lacedaemonijs in Herculis fano arma sonuerunt: eiusdemq. dei Thebis ualuae clausae subito se aperuerunt: eaq. scuta, quae fuerant sublime fixa, sunt humi inuenta. horum cum nihil fieri potuerit sine aliquo motu, quid est, cur diuinitus ea potius, quam casu, facta esse dicamus? At in Lysandri statuae capite Delphis exstitit corona ex asperis herbis, & quidem subita. itane censes? ante coronam exstitisse, quam herbarum conceptum esse semen? herbam autem asperam credo auium congestu, non humano satu. iam, quidquid in capite est, id coronae simile uideri potest. Nam, quod eodem tempore stellas aureas Castoris, & Pollucis Delphis positas decidisse neque eas usquam repertas esse dixisti: furum id magis factum, quam deorum uidetur. Simiae uero Dodoneae improbitatem historijs Graecis mandatam esse demiror. quid minus mirum, quam illam monstruosissimam bestiam urnam euertisse, sortes dissipauisse? & negant historici Lacedaemonijs ullum ostentum hoc tristius accidisse. Nam illa praedicta Veientum, si lacus Albanus redundasset, isq. in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Veios; ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem, urbemq. retinendam. At paullo post audita uox est monentis, ut prouiderent, ne a Gallis Roma caperetur: ex eo Aio Loquenti aram in Noua uia consecratam. quid ergo? Aius iste Loquens, quando eum nemo norat, aiebat, & loquebatur, & ex eo nomen inuenit: postea quam & sedem, & aram, & nomen inuenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest: a qua, praeterquam de sue plena, quid umquam moniti sumus? Satis multa de ostentis. *

EXPLANATIO

Ferte *uiri,* } tolerate. Fata } praesagia. Ratos } certos, ueros, ac firmos. An *uanos* } incertos, irritos. Pectoris *orsus:* } animi praesensiones. Lumina } uitas. Primum, *ut* } statim, postquam. Vestita *est nauibus* } instructis, pulchrisq. nauibus repleta est. Aulis, } Boeotiae urbs est. Aurigeris *tauris* } tauris cornua aurata gerentibus. Pestem } mortem. Aquai } aquae. Immani } truculenta, &

horrenda figura. Tortv ʒ flexu corporis. Iovis *pulsu* ʒ Iouis imperio. Pvllos ʒ passerculos. Fervs ʒ Draco crudelis. Lvci ʒ ad lucem. Abdidit ʒ Hom. 1. β. τὸν μὲν ἀρίζηλον θῆκεν θεός. Vt uideatur legendum, τὸν μὲν ἄρα ἀΐδηλον. Dvro *formauit &c.* ʒ effinxit lapideum draconem. Fidenti *uoce* ʒ constanti uoce. Torpentes *obstupuistis* ʒ hoc est, post corporis contractionem mentem quoque contraxistis. torpor est corporis, stupor uero mentis contractio, constipatio, & rigor. Creator ʒ Iuppiter. Tarda, *& sera nimis* ʒ quo ad animos nostros. Exantlabimvs ʒ perficiemus, superabimus. Vetustum est uerbum. Iam *matura* ʒ quasi perfecta. Expeditionem ʒ proelium. Interpretatione ʒ declaratione per quandam similitudinem. Nvndinari ʒ conuentus facere sicuti celebrantes nundinas, siue ferias. Nobilivs ʒ celebrius. Claritatem ʒ histrionicae gloriae splendorem. Flaminiana ʒ de Flaminio consule, ad lacum Perusinum. Primi *hastati* ʒ primipili centurionis. Fidenter ʒ constanti, & libero animo. Svblime ʒ alte. Congesta ʒ accumulatione. Improbitatem ʒ petulantiam, lasciuiam. Svbvrbani, ʒ uicini muris urbis Arcem ʒ Capitolium. Vrbem ʒ Romam. Sve *plena* ʒ grauida.

C I C E R O

Avspicia restant, & sortes, eae quae ducuntur, non illae quae uaticinatione funduntur: quae oracula uerius dicimus: de quibus tum dicemus, cum ad naturalem diuinationem uenerimus. Restat etiam de Chaldaeis. sed primum auspicia uideamus. Difficilis auguri locus ad contra dicendum, Marso fortasse, sed Romano facillimus. non enim sumus ij nos augures, qui auium, reliquorum ue signorum obseruatione futura dicamus. & tamen credo Romulum, qui urbem auspicato condidit, habuisse opinionem, esse in prouidendis rebus augurandi scientiam. errabat enim multis in rebus antiquitas: quam uel usu iam, uel doctrina, uel uetustate immutatam uidemus. retinetur autem, & ad opinionem uulgi, & ad magnas utilitates reip. mos, religio, disciplina, ius augurum, collegij auctoritas. Nec uero non omni supplicio digni P. Claudius, L. Iunius consules, qui contra auspicia nauigarunt. parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus: iure igitur alter populi iudicio damnatus est, alter mortem sibi ipse consciuit. Flaminius non paruit auspicijs: itaque perijt cum exercitu. at anno post Paullus paruit: num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu? etenim, ut sint auspicia, quae nulla sunt; haec certe, quibus utimur, siue tripudio, siue de caelo, simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo. Q. Fabi, te uolo mihi in auspicio esse. uolo, respondet: audiui. Hic apud maiores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. peritum autem esse necesse est eum, qui, silentium quid sit, intelligat. id enim silentium dicimus in auspicijs, quod omni uitio caret. hoc intelligere, perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicium adhibetur, cum ita imperauit is, qui, auspicatur: dicito, si silentium esse uidetur: nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet, silentium esse, uideri. tum ille, dicito si pascuntur aues: pascuntur. quae, aut ubi? attulit, inquit, in cauea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. hae sunt igitur aues internunciae Iouis: quae pascantur, nec ne, quid refert? nihil ad auspicia: sed quia, cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primo, post terripudium dictum est, hoc quidem iam tripudium dicitur. cum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium sollistimum nunciant. ergo hoc auspicium diuini quidquam habere potest, quod tam sit coactum, & expressum? quo antiquissimos augures non esse usos, argumento est, quod decretum collegij uetus habemus, omnem auem tripudium facere posse. tum igitur esset auspicium, si modo ei esset liberum se ostendisse: tum auis illa uideri posset interpres, & satelles Iouis. nunc uero inclusa in cauea, & fame enecta, si in offam pultis inuadit, & si aliquid ex ore cecidit; hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? Iam uero, de caelo seruare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? nunc imperant pullario: ille renunciat. fulmen sinistrum auspicium optimum habemus ad omnes res, praeterquam ad comitia: quod quidem institutum reip. caussa est, ut comitiorum, uel in iudicijs populi, uel in iure legum, uel in creandis magistratibus principes ciuitatis essent interpretes. Ac Ti. Gracchi litteris Scipio, & Figulus, quod augures iudicassent eos uitio creatos esse, magistratu se abdicauerunt. Quis negat augurum disciplinam esse? diuinationem nego. At haruspices diuini: quos cum Ti. Gracchus propter mortem repentinam eius, qui in praerogatiua referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non iustum rogatorem comitiorum fuisse dixerunt. Primum uide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriae fuisset: is enim erat mortuus. id autem, sine diuinatione, coniectura poterat dicere. deinde fortasse casu: qui nullo modo est, ex hoc genere tollendus. quid enim scire Etrusci haruspices, aut de tabernaculo recte capto, aut de pomerij iure potuerunt? equidem assentior. C. Marcello potius, quam Ap. Claudio; qui ambo mei collegae fuerunt: existimoq. ius augurum, etsi diuinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea reip. caussa conseruatum, ac retentum.

E X P L A N A T I O

Dvcvntvr, ʒ trahuntur ex aliquo urna. Marso ʒ de quo in extremo primi, nauci Marsum augurem appellauit. Nos *augures* ʒ Romano more augurantes. Avspicato ʒ captatis auspicijs. Retinetvr ʒ obseruatur. Mos ʒ institutum patrium. Religio ʒ caerimoniarum ritus. Disciplina ʒ scientia, & ars augurandi. Contvmaciter ʒ superbe, & impie. Pavllvs ʒ qui consul cecidit in Cannensi pugna.

gna. VT § quamuis. TRIPVDIO § Gallorum augurio. SIVE *de caelo* § ceterarum auium uolatu. SIMVLACRA § similitudines quaedam. Q. FABI *&c.* § Haec erant uerba precantis augurem, ut pro re sua uelit augurari. RESPONDET § nimirum augur ipse requisitus. ADHIBEBATVR § aduocabatur. Is *qui auspicatur* § qui pro se captat augurium. NEC *suspicit* § Hoc pertinet ad illud, seruare de caelo: sequitur mox de tripudio. PVLLOS § gallinaceos gallos. HAE *sunt* § Deridet M. Cicero eiusmodi auspicium penitus coactum. AD *auspicia* § ad auspiciorum ueritatem. PAVIRE § pascendo percutere. inde terripauium, terripudium, & tripudium. OFFA § esca. NVNCIANT. § ij, qui aduocati sunt socij ad augurandum. EXPRESSVM? § uiolentum. DECRETVM § sententia, dogma. TRIPVDIVM § quale auspicium nunc pullis tantum gallinaceis attribuimus. SATELLES § ministra. INVADIT § impetum facit. SINISTRVM § a sinistra caeli parte ueniens. INSTITVTVM § decretum. IN *iure* § in ordinatione ciuili. VITIO § non rite. DIVINI: § diuinandi scientia praediti. IN *praerogatiua refereada* § in narranda uoluntate primae centuriae, quae sententiam rogabatur. IVSTVM § legitimum, non uitiosum. GENERE § natura rei. C. MARCELLO. § Ep. ix. lib. 15. famil. COLLIGAE § in augurali dignitate. IVS § ordinationem.

C I C E R O

SED de hoc loco plura in alijs, nunc hactenus: externa enim auguria, quae sunt non tam artificiosa, quam superstitiosa, uideamus. Omnibus fere auibus utuntur, nos admodum paucis. alia sinistra sunt, alia nostris. solebat ex me Deiotarus percunctari nostri augurij disciplinam, ego ex illo sui. dij immortales, quantum differebat: ut quaedam essent etiam contraria. atque ille ijs semper utebatur: nos, nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam multum ijs utimur? Bellicam rem administrari maiores nostri, nisi auspicato, noluerunt: quam multi anni sunt, cum bella a propraetoribus, & proconsulibus, administrantur? qui auspicia non habent: itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus ille quinquies consul totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. ubi est ergo auium diuinatio? quae, quoniam ab ijs, qui auspicia nulla habent, bella administrantur, ab urbanis retenta uidetur, a bellicis esse sublata. & quidem ille dicebat; si quando rem agere uellet, ne impediretur auspicijs, lectica operta facere se iter solere. huic simile est, quod nos augures praecipimus, ne iuge auspicium obueniat, ut iumenta iubeant disiungere. quid est aliud nolle moueri a Ioue, nisi efficere, ut aut ne fieri possit auspicium, aut, si fiat, uideri? Nam illud admodum ridiculum, quod negas Deiotarum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti facta sunt, paenitere; quod fidem secutus, amicitiamq. populi R. functus sit officio: antiquiorem enim sibi fuisse laudem, & gloriam, quam regnum, & possessiones suas. credo id quidem: sed nihil ad auspicia. nec enim ei cornix cauere potuit, recte eum facere, quod populi R. libertatem defendere pararet. ipse hoc sentiebat, sicuti sensit. aues euentus significant, aut aduersos, aut secundos: uirtutis auspiijcs uideo esse usum Deiotarum: quae uetat spectare fortunam, dum praestetur fides. aues uero si prosperos euentus ostenderunt, certe fefellerunt. fugit ex proelio cum Pompeio: graue tempus. discessit ab eo: luctuosa res. Caesarem eodem tempore, & hostem, & hospitem uidit: quid hoc tristius? is cum ei Troginorum tetrarchiam eripuisset, & asseclae suo Pergameno nescio cui dedisset; eisdemq. detraxisset Armeniam, a senatu datam; eumq. ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset; spoliatum reliquit, & hospitem, & regem. Sed labor longius: ad propositum reuertar. Si euenta quaerimus, quae exquiruntur auibus: nullo modo prospera Deiotaro. sin officia: a uirtute ipsius, non ab auspicijs, petita sunt. Omitte igitur lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi: contemne cotem Attij Nauij: nihil debet esse in philosophia commenticijs fabellis loci. illud erat philosophi, totius augurij primum naturam ipsam uidere, deinde inuentionem, deinde constantiam. Quae est igitur natura, quae uolucres, huc & illuc passim uagantes, efficiat, ut significent aliquid, & tum uetent agere, tum iubeant, aut cantu, aut uolatu? cur autem alijs a dextra, alijs a laeua datum est auibus, ut ratum auspicium facere possint? Quo modo autem hoc, aut quando, aut a quibus inuenta dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum auctorem disciplinae suae: nos quem? Attium ne Nauium? at aliquot annis antiquior Romulus, & Remus, ambo augures, ut accepimus. An Pisidarum, aut Cilicum, aut Phrygum ista inuenta dicemus? placet igitur, humanitatis expertes habere diuinitatis auctores? At omnes reges, populi, nationes utuntur auspicijs. quasi uero quidquam sit tam ualde, quam nihil sapere, uulgare: aut quasi tibi ipsi in iudicando placeat multitudo. quotus quisque est, qui uoluptatem neget esse bonum? plerique etiam summum bonum dicunt. num igitur eorum frequentia Stoici, de sententia deterrentur? aut num plerisque in rebus sequitur eorum auctoritatem multitudo? quid mirum igitur, si in omnibus auspicijs, & omni diuinatione imbecilli animi superstitiosa ista concipiant, uerum displiecere non possint?

E X P L A N A T I O

NVNC *hactenus:* § hucusque hoc dumtaxat sit dictum. SVPERSTITIOSA § uanam religionem ostendentia. SINISTRA § prospera. DVM *a populo &c.* § id est, dum magistratum gerimus. a populo enim auspicia cum magistratu accipimus. QVAM *multum ijs utimur* § quasi dicat, parum, & fere nihil. PRO

CONSVLIBVS §

CONSVLIBVS } bellum potestate consulari administrantibus. AVSPICIA *non habent:* } quae praetores, & consules habent in urbe: non enim ad bella nunc eunt, ut olim. AMNES } fluuia, unde perennia dicta auspicia. IVGE *auspicium* } ex iumentis iugalibus: quod est, ut inquit Pompeius, cum iunctum iumentum stercus facit. ANTIQVIOREM } pretiosiorem. NIHIL *ad auspicia* } non enim id iubent auspicia, sed uirtus, ut non paeniteat. RECTE } iuste, officiose. SENTIEBAT, } statuebat uti officiosus. VIRTVTIS *auspicys* } bonitate, & prudentia. DVM } quando. GRAVE *tempus,* } molestum, cum e proelio fugeret uictus. LVCTVOSA } maesta, cum ab amico Pompeio diuelleretur. TROGINORVM *tetrarchiam* } Trogini sunt Gallograeciae, siue Galatiae populi, qui Maeoniae, & Paphlagoniae regionem incolunt. Erat autem Galatia in tetrarchias diuisa. Vide Plin. ASSECLAE } ministro. HOSPITIO } hospitali apparatu. LABOR } discurro, & uagor. OFFICIA } honestas actiones. A *uirtute* } ab animi integritate, & electione bona. IN *philosophia* } in ea scientia, quae rationibus nititur. NATVRAM } naturale, & proprium subiectum. CONSTANTIAM } firmitatem. QVAE *natura,* } quae naturalis proprietas. ALIIS *a dextra,* } ut coruo, uel cantu, uel uolatu. ALIIS *a laeua* } ut pico, & cornici cantu tamen. Plaut. in Asin. actu. I I. RATVM } certum, firmum. AVCTOREM } principem magistrum. HVMANITATIS *&c.* } eruditionis, expertes, ac barbari. VVLGARE } multitudinem populi. QVOTVS *quisque est,* } quasi dicat, Nullus ferme. BONVM? } numerandum inter bona. FREQVENTIA } multitudine. EORVM } Stoicorum. IMBECILLI } imperiti. SVPERSTITIOSA } uana. DISPICERE } discernere, iudicare.

C I C E R O

QVAE autem est inter augures conueniens, & coniuncta constantia? ad nostri augury consuetudinem dixit Ennius,

Cum tonuit laeuum bene tempestate serena.

At Homericus Vlysses, apud Achillem querens de ferocitate Troianorum, nescio quid hoc modo nunciat:

Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

ita nobis sinistra uidentur, Grajs, & barbaris dextra meliora. quamquam haud ignoro, quae bona sint, sinistra nos dicere, etiam si dextra sint. sed certe nostri sinistrum nominauerunt, externiq. dextrum, quia plerumque melius id uidebatur. haec quanta dissensio est? Quid, quod alijs auibus utuntur, alijs signis, aliter obseruant, aliter respondent? non necesse est fateri, partim horum errore susceptum esse, partim superstitione, multa fallendo? Atque his superstitionibus non dubitasti etiam omnia adiungere. Aemilia Paullo, Persam perisse: quod pater omen accepit. Caecilia sororis filiae, sedes suas tradere. iam illa, fauete linguis, & praerogatiuam omen comitiorum. Hoc est, ipsum esse contra se copiosum, & disertum. quando enim, ista obseruans, quieto, & libero animo esse poteris, ut ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? ita ne? si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone dixerit, & eius uerbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages, aut cogitabis, ea res tibi aut timorem afferet, aut alacritatem? Cum M. Crassus exercitum Brundisij imponeret, quidam in portu caricas Cauno aduectas uendens, Cauneas clamitabat. dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caueret ne iret: non fuisse periturum, si omini paruisset. quae si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiae, & sternutamenta erunt obseruanda. Sortes restant, & Chaldaei: ut ad uates, & somnia ueniamus. Dicendum igitur putas de sortibus. Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos iacere, quod tesseras: quibus temeritas, & casus, non ratio, nec consilium ualet. tota res est inuenta fallacijs, aut ad quaestum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. atque, ut in haruspicina fecimus, sic uideamus clarissimarum sortium, quae tradatur inuentio. Numerium Suffetium Praenestinorum monumenta declarant, honestum hominem, & nobilem, somnijs crebris, ad extremum etiam minacibus, cum iuberetur certo in loco silicem caedere, perterritum uisu, irridentibus suis ciuibus, id agere coepisse: itaque, perfracto saxo, sortes erupisse, in robore insculptis priscarum litterarum notis: is est hodie locus saeptus religiose propter Iouis pueri, qui lactens cum Iunone, in gremio Fortunae sedens, mammam appetens, castissime colitur a matribus. Eodem tempore illo loco, ubi nunc Fortunae sita aedes est, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesq. dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, eorumq. iussu ex illa olea arcam esse factam, eaq. conditas sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur. quid igitur in his potest esse certi, quae Fortunae monitu, pueri manu miscentur, atque ducuntur? quo modo autem istae positae in illo loco? quis robur illud cecidit, dolauit, inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod deus efficere non possit. Vtinam sapientes Stoicos effecisset, ne omnia superstitiosa solicitudine, & miseria crederent. sed hoc quidem genus diuinationis uita iam communis explosit. Fani pulchritudo, & uetustas, Praenestinarum etiam nunc sortium retinet nomen, atque id in uulgus. quis enim magistratus, aut quis uir illustrior utitur sortibus? ceteris uero in locis sortes plane refrixerunt. quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem, quam Praeneste uidisse Fortunam. ergo hoc diuinationis genus omittamus. Ad Chaldaeorum monstra ueniamus: de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorum hominum facile princeps, sic opinatur, id quod scriptum reliquit: Chaldaeis in praedictione, & in notatione cuiusque uitae ex natali die, minime esse credendum. Nominat etiam Panaetius, qui unus e Stoicis astrologorum praedicta reiecit; Archelaum, & Cassandrum, summos astrologos illius aetatis, qua erat ipse, cum in ceteris astrologiae partibus excellerent, hoc praedictionis genere non usos. Scylax Halicarnasseus, familia-

ris Panaetij, excellens in astrologia, idemq. in regenda sua ciuitate princeps, totum hoc Chaldaicum praedicendi genus repudiauit. Sed, ut ratione utamur, omissis testibus, sic isti disputant, qui haec Chaldaeorum natalicia praedicta defendunt. uim quandam esse aiunt signifero in orbe, qui Graece ζωδιακὸς dicitur, talem, ut eius orbis unaquaeque pars alia alio modo moueat, immutetq. caelum, perinde ut quaeque stellae in ijs, finitimisq. partibus sint quoque tempore; eamq. uim uarie moueri ab ijs sideribus, quae uocantur errantia. cum autem in eam ipsam partem orbis uenerint, in qua sit ortus eius, qui nascitur; aut in eam, quae coniunctum aliquid habeat, aut consentiens; ea triangula illi, & quadrata nominat. etenim, cum tempore anni, tempestatumque, caeli conuersiones, commutationesq. tantae fiant accessu stellarum, & recessu; cumq. ea ui solis efficiantur, quae uidemus: non uerisimile solum, sed etiam uerum esse censent, perinde utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari, atque formari, ex eoq. ingenia, mores, animum, corpus actionem uitae, casus cuiusque, euentusq. fingi. O delirationem incredibilem. non enim omnis error stultitia est dicenda. quibus etiam Diogenes Stoicus concedit, aliquid ut praedicere possint, dumtaxat quali quisque natura, & ad quam quisque maxime rem aptus futurus sit: cetera, quae profiteantur, negat ullo modo posse sciri: etenim geminorum formas esse similes, uitam, atque fortunam plerumque disparem.

EXPLANATIO

ET *coniuncta constantia?* } quasi dicat, Nulla. AD *nostri &c.* } Accommodauit se, inquit, Ennius ad ritum Romanorum in augurijs. TEMPESTATE } tempore. HOMERICVS } ab Homero inductus Iliad. lib. IX. Graece sic cecinit Homerus:

Ζεὺς δὲ σφὶν Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων ἀστράπτει.

QVERENS } dolens. ITA *nobis* } Sophocles ea Aiace ἐπ' ἀριστερᾷ. *Nobis:* auguribus Romanis. DEXTRA *sint.* } appellentur dextra, nimirum ab externis. NOSTRI } Romani scilicet, qui auguria obseruarunt. ID } quod Romanis in sinistra esset, & externis in dextra. DISSENSIO } opinionis diuersitas. HORVM } augurum omnium, qui nunciunt. PARTIM *errore, partim superstitione,* } Necesse est, inquit, ut haec opinionum diuersitas referatur ad proprium cuiusque errorem in augurando, & ad alienum, priscorum scilicet, ut, qui uanis religionibus fuerint addicti, posteris quoque fallendi ansam tradiderint. NON *dubitasti* } quippe, qui optima ratione ad hoc ductus esses, ut crederes superstitionibus adiungenda esse omina. ET *praerogatiuam omen comitiorum* } Et in comitijs prius rogari de omine. HOC } adiunctio ominum ad superstitiones. ESSE *contra se* } nam, si talia sectabimur, habebimus uanam quandam religionem ducem rerum gerendarum. ITA *ne?* } Absurdum est, inquit Cicero, angi, aut laetari alienis uerbis, quae quispiam de re sua dixerit, etiam si illa rebus tuis gerendis uideantur apta. ALACRITATEM? } animae dilatationem ex spe concepta. CARICAS } ficas aridas. QVAE } qualia omnia. RECIPIAMVS } admittamus, & obseruemus. SORTES *restant, & Chaldaei* } Reliquum est, inquit, ut dicamus de Sortibus, & de Chaldaeorum praedictionibus, ex astris. AD *nates* } ad naturalem diuinationem. MICARE } ludendo cum altero, aut pluribus, ad libitum digitos explicare, & omnium explicatorum numerum diuinare. SVPERSTITIONEM } uanam religionem. ERROREM } deceptionem. CLARISSIMARVM } nobilissimarum, toto orbe, communiq. consensu. MONVMENTA } annales, & historiae. HONESTVM } uirtute praeditum. NOBILEM, } claros natales habentem. CERTO } designato. SAEPTVS } saepe circumclausus PRISCARVM } antiquissimarum. LACTENS } lac suggens. CASTISSIME } purissime. SVMMA *nobilitate* } summa fama, & celebritate nominis. MONITV } iussu. TOLLVNTVR, } extrahuntur. QVID *igitur &c.* } Deridet has sortes M. Cicero, tamquam incertas. CECIDIT *&c.* } secus, expoliuit, scalpsit. INQVIVNT, } Stoici. SVPERSTITIOSA *sollicitudine* } uana anxietate. VITA *communis* } omnes fere uiuentes. EXPLOSIT. } reiecit. IN *uulgus* } apud multitudinem popularem. QVIS *magistratus* } quis publico munere functus. REFRIXERVNT } quasi exstinctae sint. CLITOMACHVS } Carneadis successor. FORTVNATIOREM } feliciorem. MONSTRA } prodigiosas supputationes, & praedictiones. FACILE } sine controuersia. Ex *natali die* } ex qualitate signorum in die natiuitatis. QVI *unus* } qui primus, uel solus. HALICARNASSEVS } Halicarnassus Cariae urbs: unde Halycarnasseus, & Halycarnassius auctore Stephano. CHALDAICVM, } astrologicum, a Chaldaeis Babyloniorum sacerdotibus insignibus in astrologia. ZODIACVS } animalium circulus. ita a Graecis dicitur, quem nostri signiferum, propter animalium effigies, quae in eo signatae continentur. VNAQVAEQVE *pars* } quae animalis effigie insignita est. Sunt autem signiferi circuli duodecim partes, qua sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. CAELVM } caelestem qualitatem, & impressionem. FINITIMIS } uicinis. QVOQVE *tempore;* } quocumque tempore. ORBIS } signiferi. TRIANGVLA *illi, & quadrata nominant.* } Duodecim cum sint signa in Zodiaco, & sidus sub orbe errans distat a signo adscendente duobus signis dicitur adspicere illum adspectu sextili, cum tribus signis, quadrato adspectu, cum quattuor signis, triangulari, qua distantia duorum signorum est sexta pars Zodiaci, trium quarta, quattuor, tertia. Ex quattuor his interuallis, quae aliquod habent momentum, M. Cicero duo tantum posuit, quae maiores habent uires. TEMPORE *anni* } temperato annuo cursu ipsius caeli. PERINDE } sic. ANIMARI } animam recipere, uiuificari, atque conformari. INGENIA } qualitates ingeniorum, docilitates, hebetudines. MORES } dispositiones, leues, graues; molles, seueras; iocosas serias. ANIMVM } fortem, ignauum; celerem, tardum; magnum, pusillum. ACTIONEM *uitae,* } modum uitae degendae.

gendae. O *delirationem* § insaniam. Deridet M. Cicero has Stoicorum rationes. ERROR § inconstans opinio. STVLTITIA § hebetudo, & imprudentia. PROFITEANTVR, § affirment. FORMAS § lineamenta corporis. VITAM § uiuendi modum, & metam. FORTVNAM § externa bona.

CICERO

PROCLVS, & Euristhenes, Lacedaemoniorum reges, gemini fratres fuerunt. at hi nec totidem annos uixerunt: anno enim Procli uita breuior fuit, multumq. is fratri rerum gestarum gloria praestitit. At ego id ipsum, quod uir optimus Diogenes Chaldaeis quasi quadam praeuaricatione concedit, nego posse intelligi. etenim, cum, ut ipsi dicunt, ortus nascentium Luna moderetur, eaq. animaduertant, et notent sidera natalicia Chaldaei, quaecumque Lunae iuncta uideantur: oculorum fallacissimo sensu iudicant ea, quae ratione, atque animo uidere debebant. docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate Luna feratur, terram paene contingens; quantum absit a proxima Mercurij stella, multo autem longius a Veneris; deinde alio interuallo distet a Sole, cuius lumine collustrari putatur, reliqua uero tria interualla infinita, & immensa, a Sole ad Martis, inde ad Iouis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad caelum ipsum, quod extremum, atque ultimum mundi est. quae potest igitur cõtagio ex infinito paene interuallo pertinere ad Lunam, uel potius ad terram? Quid? cum dicunt id, quod ijs dicere necesse est, omnes omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra, quae incolatur, eosdem esse, eademq. omnibus, qui eodem statu caeli, et stellarum nati sunt, accidere necesse esse; nonne eiusmodi sunt, ut ne caeli quidem naturam interpretes istos caeli nosse appareat? cum enim illi orbes, qui caelum quasi medium diuidunt, & adspectum nostrum definiunt, qui a Graecis ὁρίζοντες nominantur, a nobis finientes rectissime nominari possunt, uarietatem maximam habeant, alijq. in alijs locis sint: necesse est, ortus, occasusq. siderum non fieri eodem tẽpore apud omnes. quod si eorum ui caelum modo hoc, modo illo modo temperatur: qui potest eadem uis esse nascentium, cum caeli tanta sit dissimilitudo? in his locis, quae nos incolimus, post solstitium canicula exoritur, & quidem aliquot diebus; apud Troglodytas, ut scribitur, ante solstitium: ut, si iam concedamus aliquid uim caelestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum sit illis, eos, qui nascuntur eodem tempore, posse in dissimiles incidere naturas propter caeli dissimilitudinem. minime illis placet. uolunt enim illi, omnes eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem condicione nasci. sed, quae tanta dementia est, ut in maximis motibus, mutationibusq. caeli nihil intersit, qui uentus, qui imber, quae tempestas ubique sit? quarum rerum in proximis locis tantae dissimilitudines saepe sunt, ut alia Tusculi, alia Romae eueniat saepe tempestas. quod, qui nauigant, maxime animaduertunt, cum in flectendis promontorijs uentorum mutationes maximas saepe sentiant. haec igitur cum sit tum serenitas, tum perturbatio caeli: est ne sanorum hominum, hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere? quod non certe pertinet. illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intelligi autem uix potest, quae a Luna, ceterisq. sideribus caeli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere. Quid, quod non intelligunt seminum uim, quae ad gignendum, procreandumq. plurimum ualeat, funditus tolli, mediocris erroris est? quis enim non uidet, & formas, & mores, & plerosque status, ac motus effingere a parentibus liberos? quod non contingeret, si hoc non uis, & natura gignentium efficeret. sed temperatio Lunae, caeliq. moderatio. Quid, quod uno eodemq. temporis puncto nati dissimiles et naturas, & uitas, & casus habent, parum ne declarant nihil ad agendam uitam nascendi tempus pertinere? nisi forte putamus neminem eodem tempore ipso & conceptum, & natum, quo Africanum. num quis igitur talis fuit?

EXPLANATIO

PROCLVS, § Patrocles a Strabone lib. x. uocatur. PRAESTITIT § antecessit. OPTIMVS § simplicissimus, non uersatus in disputationibus. PRAEVARICATIONE § transgressione sui muneris, & tutelae ueritatis. INTELLIGI. § ab ipsis Chaldaeis, id profitentibus, qualis sit quisque futurus, & cui negotio aptus, uel ineptus. NATALICIA § genituram informantia. VIDEANTVR § iudicio oculorum appareant. EA § siderum interualla. MATHEMATICORVM § ita dicuntur, qui Geometriam, Arithmeticam, Musicam, & Astronomiam profitentur. HVMILITATE § ad humum depressione. ABSIT § distet. CONTAGIO § coniunctio, consensus. AD *terram?* § ubi exercetur generatio, quae longissime distat a sideribus. EOSDEM § similes. STATV § situ, condicione. EIVSMODI *sunt* § hoc est, ita obtusi. ALII § diuersi. TEMPERATVR § modum recipit. TROGLODYTAS, § Troglodytae populi sunt Africae cauernas incolentes: & inde nomen τρώγλη enim cauerna: & δύω ingredior. TEMPESTAS § temporis qualitas. FLECTENDIS § lustrandis, & ambiendis. VIM § efficaciam. FVNDITVS *tolli*, § omnino remoueri. NATVRAS § naturales qualitates, docilitatem, hebetudinem. VITAS § studia, modos uitae degendae. AD *agendam uitam* § ad uiuendi modum.

CICE-

CICERO

QVID? illud ne dubium est, quin multi, rum ita nati essent, ut quaedam contra naturam deprauata haberent, restiturrentur, & rorrigerentur ab natura, cum se ipsa reuocasset, aut arte, aut medirina? aut quorũ linguae sir inhaererent, ut loqui non possent, eae sralpello resectae liberarẽtur? Multi etiam naturae uitium meditatione, atque exercitatione sustulerunt, ut Demosthenem scribit Phalereus, cum rho direret requiret, exerritatione ferisse, ut planissime diceret. quod si haec astro ingenerata, & tradita essrnt, nulla res ea mutare posset. Quid? dissimilitudo lororum non ne dissimiles hominum prorreationes habet? quas quidem percurrere oracione facile est: quid inter Indos & Persas, Aethiopas, & Syros differat corporibus, animis: ut incredibilis uarietas, dissimilitudoq. sit. ex quo intelligitur, plus terrarum situs, quam Lunae tractus, ad nascendum ualere. Nam, quod aiunt quadringruta & septuaginta millia annorum in periclitandis, exprriundisq. pueris, quicumque essent nati, Babylonios posuisse, fallunt. si enim rsset factitatum, non esset drsitum. aeminẽ autem habemus auctorem, qui aut fieri dirat, aut factũ sriat. Vides ne me nõ ea direre, quae Carneades, sed ea, quae prinreps Stoirorum Panaetius dixerit? Ego autem etiam hoc requiro, omnes ne, qui Cannrnsi pugna reciderunt, uno astro fuerinc. exitus quidem omnium unus & idem fuic. Quid? qui ingenio, atque animo singulares, num astro quoque uno? quod enim tempus, quo non innumrrabiles nascantur? at rerte nemo similis Homeri. &, si ad rem pertinet, quo modo raelo affecto, rompositisq. sideribus quodque animal oriatur: ualeat id necesse est etiam in rebus inanimis. quo quid diri potest absurdius? L. quidem Taruntius Firmanus, familiaris noster, in primis Chaldaeis rationibus eruditus, urbis eciam nostrae natalem diem repetebat ab ijs Parilibus, quibus eam a Romulo ronditam acrepimus; Romamque, cum essrt in iugo Luna, natam esse direbat; nec eius facta rauere dubitabat. o uim maximam erroris. etiam ne urbis natalis dies ad uim Stellarum, & Lunae pertinebat? far in puero referre, ex qua affectione caeli primum spiritum duxrrit: num hor in latere, aut in caemento, ex quibus urbs effecta est, pocuit ualere? sed, quid plura? quotidie refelluntur. quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Caesari a Chaldaeis dicta memini, neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi rum claritate esse moriturum: ut mihi permirum uideatur, qurmquam exstare, qui etiam nunr credat ijs, quorum praedicta quotidie uideat re, & euentis rrfelli. Rrstant duo diuinandi genera; quae habere dirimur a natura, non ab arte; uaticinandi, et somniandi: de quibus Quincte, inquam, si plarrt, disserramus. Mihi uero, inquit, placet. his enim, quae adhur dispucasti, prorsus assrutior: et, uere ut loquar, quamquam tua me oratio confirmauit, tamen eciam mea sponte nimis superstitiosam de diuinatione Stoicorum sententiam iudicabam: ar me Peripateticorum ratio magis mouebat, & ueteris Dicaearchi, & eius, qui nunc florec, Cratippi: qui rensent rsse in mentibus hominum tamquam orarulum aliquod, ex quo futura prarsentiant, si aut furore diuino incitatus animus, aut somno relaxatus solute moueatur, ar libere. his de generibus quid seatias, & quibus ea rationibus infirmrs, audire sane urlim. Quae rum ille dixissec, tum ego rursus quasi ab alio principio sum exorsus direre. Non ignoro, Quincte, te semper ita sensisse, ut de ceteris diuinãdi generibus dubicares, ista duo, furoris, & somnij, quae a libera mente fluere uiderentur, probarrs. dicã igitur, de istis ipsis duobus generibus mihi quid uideatur; si prius; Stoicorũ rationis rõrlusio, & Cratippi nostri quid ualeac, uidrro. Dixisti & Chrysippum, & Diogenem, & Antipatrum ronciudere hor modo. si sunt dij, neque ante declarant hominibus, quae futura sint: aut non diligunt hominrs: aut, quid euraturum sit, ignorant: aut existimant nihil interesse hominum, srire, quid sit futurum; aut non censent esse suae maiestatis, praesignifirare hominibus, quae sint futura: aut ea ur ipsi quidem dij signifirarr possunt. at neque non diligunt nos; sunc enim benefici, generiq. hominum amiri: nrque ignorant ea, quae ab ipsis constituta, & designata sunt: neque nostra nihil interest, srirr es, quae futura sunt; erimus n. cautiores, si scirrimus: neque hoc alienum durunt maiestate sua; nihil est enim beneficentia prarstantius: neque non possunt futura praenosrere: non igitur dij suat, nec signifirant nobis futura: sunt autem dij, significant ergo. & non, si significant futura, nullas dant nobis uias ad signifirationum srientiam; frustra enim signifirarent: neque, si dant uias, non rst diuinatio: est igitur diuinatio. O arutos homines: quam paucis uerbis argotium confectum putant. ea sumunt ad rourludendum, quorum ijs nihil ronreditur. ronclusio autem rationis ea probanda rst, in qua ex rebus non dubijs id, quod dubitatur, efficitur. Vides ne Epicurum, quem hebetem, & rudem dicere solent Stoiri, quemadmodum, quod in natura rerum omne esse dirimus, in infinitum esse conclusserit? quod finitum est, inquit, habet extremum. quis hor non dederit? quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus. hoc quoque est roncedendum. at, quod omne est, id non cernitur rx alio extrinsecus. ne hoc quidem negari potest. nihil igitur cum habeat extremum, infinitum sit neresse est.

EXPLANATIO

DEPRAVATA} corrupta. REVOCASSET} restituisset. INHAERERENT} obligatae essent. MEDITATIONE,} inuentione, artificio. PLANISSIME} nullo impedimento, explicatissime. SITVS} uarias positiones. TRACTVS,} uarias influentias. FALLVNT} decipiunt mentientes. SINGVLARES} excellentes. AFFECTO} uarie disposito. COMPOSITIS} uarie collocatis. QVODQVE *animal*} licet inter se differant.

differant. PARILIBVS } A Pale pastorum dea, immutata littera L, dicta sunt Parilia, quae sacra in honorem ipsius deae celebrabantur XII. Kal. Maij, qui Romae natalis dies fuit. Variae eo die fieri solebant purgationes, & expiamina. quorum Ouidius meminit Fast. IV.

Alma Pales faueas pastoria sacra canenti,
Prosequar officio si tua facta meo.
Certe ego de uitulo cinerem, stipulamq. fabalem,
Saepe tuli plena februa tosta manu.
Certe ego transilui positas ter in ordine flammas,
Virgaq. rorales laurea misit aquas.

IN *iugo* } in signo librae, quae duos fingitur habere lances transuerso ueluti iugo pendulos. quod etiam instrumentum iustitiae simbolum tradunt. Proprie tamen Iugum est fabrefactum lignum, cui subactis ceruicibus boues pariter iuncti currum trahunt, aut aratrum. Prisci ciuitatum conditores religionis caussa auspicato die pariter iunctis bobus tauro, scilicet & ad eius dextram uacca, interiore aratro circumagebant sulcum, & designabant loca murorum, tenebantq. stiuam incuruam, ut glebae omnes intrinsecus caderent. Qui dies erat natalis urbi. Quare, quod dicit Mathematicus Tarutius Romam tunc fuisse conditam, cum esset in iugo Luna, Aegyptiacum quid redolet: Aegyptiós enim, a quibus Mathematicae artes profluxere, palam est summos eorum reges, ac deos Osiridem, atque Isidem, quos Solem & Lunam arbitrati sunt post mortem sub bouis, ac iuuencae effigie coluisse. NATAM } inchoatam, exaratam, descriptam, designatam. CANERE } publicare, praedicere. FAC *referre* } Esto quod referat LATERE } Lateres sunt cretaceae massae quadrangularis formae oblongae, quae fornacibus durescunt: & inde fiunt muri tenacissimi. CAEMENTO } est glutinum, simul iungens lateres in aedificijs. CLARITATE } splendore nominis. SVPERSTITIOSAM } uanam, credulam. ORACVLVM } locum sacrum. FVRORE } impetu abalienante animum a mente. INFIRMAS } debilites, atque refellas. VALEAT } an scilicet necessitatem importet. AVT *ea ue ipsi quidem dij significare possunt* } Mihi hoc totum frustra uidetur inculcatum: quorsum enim iteretur? cum idem significet, id quod dixit, Aut, quid euenturum sit ignorant. Haec Paullus pater. O *acutos homines* } Ironica locutio. CONFECTVM } absolutum, recte conclusum. EFFICITVR } concluditur. HEBETEM } crassi ingenij. RVDEM } ignarum. EXTREMVM } extrinsecus definientem. DEDERIT } tamquam manifeste uerum concesserit. QVOD *omne est* } quod in se continet quidquid est.

C I C E R O

VIDES ne ut ad rem dubiam, concessis rebus, peruenerit? hoc uos dialectici non facitis: nec solum ea non sumitis ad concludendum, quae ab omnibus conceduntur; sed ea sumitis, quibus concessis, nihilo magis efficiatis quod uelitis. primum enim hoc sumitis. si sunt dij, benefici in homines sunt. quis hoc nobis dabit? Epicurus ne, qui negat quidquam deos nec alieni curare, nec sui; an noster Ennius, qui magno plausu loquitur, assentiente populo?

Ego, deum genus esse, semper dixi, & dicam caelitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

*et quidem, cur sic opinetur, rationem subijcit. sed nihil est necesse dicere, quae sequuntur. tantum sat est intelligi, id sumere istos pro certo, quod dubium, controuersumq. sit. Sequitur porro, nihil deos ignorare, quod omnia sint ab ijs constituta. hic uero quanta pugna est doctissimorum hominum, negantium esse haec a dijs immortalibus constituta? at nostra interest scire, quae euentura sint. magnus Dicaearchi liber est, nescire ea, melius esse, quam scire. * negant enim id esse alienum maiestatis deorum, scilicet caussas omnium introspicere, ut uideant, quid cuique conducat. Neque non possunt futura praenoscere. negant posse ij, quibus non placet esse certum, quid futurum sit. Vides ne igitur, quae dubia sunt, ea sumere ipsos pro certis, atque concessis? Deinde contorquent, & ita concludunt. non igitur & sunt dij, nec significant futura: id enim iam perfectum arbitrantur. deinde assumunt: sunt autem dij: quod ipsum non ab omnibus conceditur: significant ergo. ne id quidem sequitur: possunt enim non significare, & tamen esse dij, nec, si significent, non dare uias aliquas ad scientiam significationis. at id quoque potest, ut non dent homini, sed ipsi habeant. cur enim Tuscis potius, quam Romanis darent? nec, si dant uias, nulla est diuinatio. Fac dare deos: quod absurdum est: quid refert, si accipere non possumus? Extremum, est igitur diuinatio. sit extremum: effectum tamen non est. ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus, uerum effici non potest: iacet igitur tota conclusio. Veniamus nunc ad optimum uirum, familiarem nostrum, Cratippum. Si sine oculis, inquit, non potest exstare officium, & munus oculorum; possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui uel semel ita est usus oculis, ut uera cerneret, is habet sensum oculorum uera cernentium. item igitur, si sine diuinatione non potest officium, & munus diuinationis exstare; potest autem, cum quis diuinationem habeat, errare aliquando, nec uera cernere: satis est ad confirmandam diuinationem, semel aliquid ita esse diuinatum, nihil ut fortuito cecidisse uideatur. sunt autem eius generis innumerabilia: esse igitur diuinationem confitendum est. Festiue, & breuiter: sed, cum bis sumpsit quod uoluit, etiam si faciles nos ad concedendum habueris, id tamen, quod assumit, concedi nullo modo potest. Si, inquit, aliquando oculi peccēt, tamen, quia recte aliquādo uiderint, inest in ijs uis uidendi. item, si qui semel aliquid in diuinatione dixerit, is etiam cum peccet,*

cet, tamen existimandus sit habere uim diuinandi. uide, quaeso, Cratippe noster, quam sint ista similia: nam mihi quidem non uidentur. oculi enim uera cernentes, utuntur natura, atque sensu: animi si quando uel uaticinando, uel somniando uera uiderunt, usi sunt fortuna, atque casu. nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia pro somnijs habent, si quando aliquod somnium uerum euaserit, non id fortuito accidisse. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea, quae λήμματα appellant dialectici; sed nos Latine loqui malumus: praesumptio tamen, quam πρόληψιν ijdem uocant, non dabitur. assumit autem Cratippus hoc modo. Sunt autem innumerabiles praesensiones non fortuitae. at ego dico nullam. uide, quanta sit controuersia. iam, assumptione non concessa, nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, quod tam perspicuum sit, non concedamus. quid est perspicuum? multa uera, inquit, euadere. quid, quod multo plura falsa? non ne ipsa uarietas, quae est propria fortunae, fortunam esse caussam, non naturam, docet? deinde, si tua ista conclusio, Cratippe, uera est; (tecum enim mihi res est) non ne intelligis, eadem uti posse & haruspices, & fulguratores, & interpretes ostentorum, & augures, & sortilegos, & Chaldaeos? quorum generum nullum est, ex quo non aliquid, sicut praedictum sit, euaserit. ergo aut ea quoque genera diuinandi sunt, quae tu rectissime improbas: aut, si ea non sunt, non intelligo, cur haec duo sint, quae relinquis. qua ergo ratione haec inducis, eadem illa possunt esse, quae tollis. Quid uero habet auctoritatis furor iste, quem diuinum uocatis, ut, quae sapiens non uideat, ea uideat insanus, & is, qui humanos sensus amiserit, diuinos assecutus sit? Sibyllae uersus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur: quorum interpres nuper, falsa quadam hominum fama, dicturus in senatu putabatur, eum, quem re uera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salui esse uellemus. hoc si est in libris, in quem hominem, & in quod tempus est? callide enim, qui illa composuit, perfecit, ut, quodcumque accidisset, praedictum uideretur, hominum, & temporum definitione sublata. adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut ijdem uersus alias in aliam rem posse accommodari uiderentur. non esse autem illud carmen furentis, cum ipsum poema declarat, (est enim magis artis, & diligentiae, quam incitationis, & motus) tum uero ea, quae ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis uersus litteris aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis. id certe magis est attenti animi, quam furentis. atque in Sibyllinis ex primo uersu cuiusque sententiae primis litteris illius sententiae carmen omne praetexitur. hoc scriptoris est, non furentis; adhibentis diligentiam, non insani. quamobrem Sibyllam quidem sepositam, & conditam habeamus, ut, id quod proditum est a maioribus, iniussu senatus ne legantur quidem libri, ualeantq. ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones: cum antistitibus agamus, ut quiduis potius ex illis libris, quam regem, proferant: quem Romae posthac nec dij, nec homines esse patientur. At multi, saepe uera uaticinati, ut Cassandra:

Iamq. mari magno: –

eademq. paullo post

Eheu uidete. –

num igitur me cogis etiam fabulis credere? quae delectationis habeant, quantum uoles; uerbis, sententijs, numeris, cantibus adiuuentur: auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commenticijs rebus adiungere. Eodemq. modo nec ego Publicio nescio cui, nec Martijs uatibus, nec Apollinis opertis credendum existimo; quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt. Quid, inquies, remex ille de classe Coponij; non ne ea praedixit, quae facta sunt? ille uero & ea quidem, quae omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus. castra enim in Thessalia castris collata audiebamus: uidebaturq. nobis exercitus Caesaris et audaciae plus habere, quippe qui patriae bellum intulisset; & roboris, propter uetustatem. casum autem proelij, nemo nostrum erat, quin timeret, sed ita, ut constantibus hominibus par erat, non aperte. ille autem Graecus, quid mirum, si magnitudine timoris, ut plerumque fit, a constantia, atque a mente, atque a se ipse discessit? qua perturbatione animi, quae, sanus cum esset, timebat ne euenirent, ea demens euentura esse dicebat. utrum tandem, per deos atque homines, magis uerisimile est, uaesanum remigem, an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, M. Catonem, Varronem, Coponium ipsum consilia deorum immortalium perspicere potuisse?

EXPLANATIO

EFFICIATIS} concludatis. QVIS *hoc nobis dabit?*} quasi dicat, Nemo. RATIONEM *subijcie.*} confutatam in primo de natura deorum. CONTROVERSVM *sit*} redarguatur, cui non omnes assentiant. HIC} in hac parte. AT *nostra interest*} Ita dicebant Stoici. NEGANT *enim id esse alienum maiestatis deorum, scilicet caussas omnium introspicere,*} Apparet, haec superioribus esse attexenda, locumq. ita corrigendum: Negant etiam id esse alienum maiestatis deorum, scilicet casas omnium introspicere. quo enim ordine Chrysippus, Diogenes, & Antipater, rationes, cur diuinatio esset attulerant; eodem ordine eas ipsas rationes conatur Cicero confutare. Negant etiam, inquit, id esse alienum maiestatis deorum, casas omnium introspicere: εἰρωνικῶς: quasi dicat; maxime est alienum maiestatis deorum, casas omnium introspicere, ut uideant, quid cuique conducat. Et dixit Casas potius, quam Domos, ut humilitate uerbi maior esset ironia. domos enim principes uiri habitare solent, casas non solent, quae agrestium propriae sunt. Dictionem autem illam, Scilicet, ita accipimus, ut per ironiam posita sit, non ut, Id est, significet. Neque, Maiestate, Lego, pro, Maiestatis; cum Alienus etiam generandi casu coniungatur: ut lib. I. de Fin. Quis alienum putet eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuit? Et de Vniuersitate: Naturam fugientem, & eius copulationis alienam.

nam. Et Sallustius in Catil. Domus D. Bruti propinqua foro, neque aliena consilij propter Semproniam. Et Lucr. lib. VI. Alienaq; pacis eorum. Et ibidem infra, Nec tamen haec ita sunt aliarum rerum aliena. Haec Paullus pater. CONTORQVENT, } obliquant conclusionem ad partem negatiuam. PERFECTVM } optime conclusum. EXTREMVM, } quod ultimo afferunt Stoici, est illatio, quae sequitur. EFFECTVM } conclusum. AB *ipsis* } Stoicis dialectica ratione subnixis. OPTIMVM *uirum* } simplicissimum, minime uersatum in dialecticis. FESTIVE } iucunde. VIDE *quaeso &c.* } Negat M. Cicero similitudinem a Cratippo allatam posse probare, ueram esse diuinationem. HABENT, } existimant. λήμματα } a uerbo λαμβάνω, id est Sumo, & Capio. PRAESVMPTIO } ea est, quam recentiores dialectici maiorem propositionem uocant. sicuti minorem propositionem, quae a M. Cicerone assumptio. AT *ego* } Negat M. Cicero Cratippi assumptum siue minorem propositionem. EVADERE } euenire. VARIETAS } inconstantia. SORTILEGOS } diuinantes, sortium ductu. QVORVM *generum* } ad artificiosam diuinationem pertinentium. RECTISSIME } optimo iure. QVAE *tollis.* } quae esse negas. OBSERVAMVS, } audimus illis credentes. QVORVM *interpres* } L. Cotta, de quo Suetonius in Iulio Caesare his uerbis: Percrebuit fama, L. Cottam XV uirum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse uinci, Caesar rex appellaretur. Ex quo Ciceronis locus illustratur, & simul intelligitur, libris Sibyllinis interpretandis XV uiros praefuisse. Haec Paullus pater. IN *quem hominem* } ita dicit, quoniam in libris Sibyllinis ponebatur, nec hominis nomen, nec tempus, quo ille rex appellandus esset. DEFINITIONE } determinatione. LATEBRAM } confugium. ALIAS } alio tempore. FVRENTIS } mentis a sensibus abstractae, & commotae. ἀκροστιχίς } id est, compositio e summitate uersuum. ἄκρον enim Graece summum Latine, & στίχος uersus, unde ἀκροστιχίς. DEINCEPS } successiue, per ordinem. VALEANT } efficaces sint. ANTISTITIBVS } librorum Sibyllinorum interpretibus. POSTHAC } post Caesaris mortem. NVM *igitur* } Reijcit M. Cicero poeticis ingenijs conficta. FIDEM } credulitatem. NESCIO *cui* } his uerbis Publicij antiqui uatis auctoritatem adimit M. Cicero. OPERTIS } oraculis secretis, aut cortinis. ILLE *uero* } Fatetur M. Ciceronem igem praedixisse. COLLATA } commota, ut pugna differri non posset. QVIN } qui non. CONSTANTIBVS } grauibus. DEMENS } mente commotus.

C I C E R O

SED iam ad te uenio,
O sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obsides,
Unde superstitiosa primum saeua euasit uox fera.

tuis enim oraculis Chrysippus totum uolumen impleuit partim falsis, ut ego opinor; partim casu ueris, ut fit in omni oratione saepissime; partim flexiloquis, & obscuris, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes; partim ambiguis, & quae ad dialecticum referenda sint. nam cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiae,

Croesus Halym penetrans magnam peruertet opum uim;

hostium uim sese peruersurum putauit, peruertit autem suam. utrum igitur eorum accidisset, uerum oraculum fuisset. cur autem hoc credam umquam editum Croeso? aut Herodotum cur ueraciorem ducam Ennio? num minus ille potuit de Croeso, quam de Pyrrho fingere Ennius? quis enim est, qui credat, Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum,

Aio te Aeacida Romanos uincere posse?

primum, Latine Apollo numquam locutus est: deinde, ista sors inaudita Graecis est: praeterea, Pyrrhi temporibus iam Apollo uersus facere desierat: postremo, quamquam semper fuit, ut apud Ennium est,

Stolidum genus Aeacidarum;
Bellipotentes sunt magi, quam sapientipotentes:

tamen hanc amphibologiam uersus intelligere potuisset, uincere te Romanos nihilo magis in se, quam in Romanos ualere. nam illa amphibologia, quae Croesum decepit, uel Chrysippum potuisset fallere: haec uero ne Epicurum quidem. Sed, quod caput est, cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed iam diu, iam ut nihil possit esse contemptius? hoc loco cum urgentur, euanuisse aiunt uetustate uim loci eius, unde anhelitus ille terrae fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De uino, aut salsamento putes loqui, quae euanescunt uetustate. de ui loci agitur, neque solum naturali, sed etiam diuina: quae quo tandem modo euanuit? uetustate, inquies. quae uetustas est, quae uim diuinam conficere possit? quid tam diuinum, quam afflatus ex terra mentem ita mouens, ut eam prouidam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero, uersuq. pronunciet? quando autem ista uis euanuit? an, postquam homines minus creduli esse coeperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope CCC. fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est quasi cum Philippo facere. hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret: quo licet existimare, in alijs quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio quo modo isti philosophi, superstitiosi, & paene fanatici, quiduis malle uidentur, quam se non ineptos. euanuisse maluitis, & exstinctum esse id, quod si umquam fuit, certe aeternum esset, quam ea, quae non sunt credenda, non credere. Similis est error in somnijs: quorum quidem defensio repetita quam longe est? diuinos animos censent esse nostros, eosq. esse tractos extrinsecus, animorumq. consentientium multitudine completum esse mundum: hac igitur mentis, & ipsius diuinitate, & coniunctione cum externis mentibus, cerni quae sint futura. contrahi autem animum Zeno, & quasi labi putat, atque concidere, & ipsum esse dormire. iam Pythagoras, & Plato, locupletissimi auctores, quo in somnijs certiora uideamus, praeparatos quodam cul-

tu, atque uictu proficisci ad dormiendum iubent: faba quidem Pythagorei utique abstinere: quasi uero eo cibo mens, non uenter, infletur. sed nescio quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. Vtrum igitur censemus dormientium animos per semetipsos in somniando moueri, an, ut Democritus censet, externa, & aduenticia uisione pulsari? siue enim sic est, siue illo modo, uideri possunt permulta somniantibus falsa pro ueris. nam & nauigantibus moueri uidentur ea, quae stant, & quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernae lumina. quid dicam, insanis, quid, ebrijs, quam multa falsa uideantur? quod si eiusmodi uisis credendum non est; cur somnijs credatur, nescio. nam tam licet de his erroribus, si uelis, quam de somnijs disputare: ut ea, quae stant, si moueri uideantur, terrae motum significare dicas, aut repentinam aliquam fugam; gemino autem lucernae lumine declarari dissensionem, ac seditionem moueri. iam ex insanorum, aut ebriorum uisis innumerabilia coniectura trahi possunt, quae futura uideantur. quis est enim, qui, totum diem iaculans, non aliquando collineet? totas noctes somniamus; neque ulla fere est, qua non dormiamus: & miramur, aliquando id, quod somniauimus, euadere? quid est tam incertum, quam talorum iactus? tamen nemo est, quin, saepe iactans, Venereum aliquando iaciat, non nunquam etiam iterum, ac tertium. num igitur, ut inepti, Veneris id fieri impulsu malumus, quam casu, dicere? Quod si ceteris temporibus falsis uisis credendum non est: non uideo, quid praecipui somnus habeat, in quo ualeant falsa pro ueris. Quod si ita natura paratum esset, ut ea dormientes agerent, quae somniarent: alligandi essent omnes, qui cubitum irent. maiores enim, quam ulli insani, efficerent motus somniantes. Quod si insanorum uisis fides non est habenda, quod falsa sunt: cur credatur somniantium uisis, quae multo etiam perturbatiora sunt, non intelligo. an, quod insani sua uisa coniectori non narrant, narrãt, qui somniauerunt? Quaero etiam, si uelim scribere quid, aut legere, aut canere uoce, uel fidibus, aut geometricum quiddam, aut physicum, aut dialecticum explicare, somnium ne exspectandum sit, an ars adhibenda, sine qua nihil earum rerum nec fieri, nec expediri potest? Atqui, ne si nauigare quidem uelim, ita gubernarem ut somniauerim: praesens enim poena sit. Quid igitur conuenit aegros a coniectore somniorum potius, quam a medico, petere medicinam? an Aesculapius, an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem ualetudinis, Neptunus gubernantibus non potest? &, si sine medico medicinam dabit Minerua; musae scribendi, legendi, ceterarumq. artium scientiam somniantibus non dabunt? at, si curatio daretur ualetudinis, haec quoque, quae dixi, darentur: quae quoniam non dantur, medicina non datur: qua sublata, tollitur omnis auctoritas somniorum.

EXPLANATIO

O *sancte Apollo*] alicuius Tragici poetae carmen est. VMBILICVM *terrarum certum obsides,*] resides in templo Delphico, quod terrarum umbilicum uocatum alibi retulimus. EVASIT *uox &c.*] exuit fatum, maximo terrore plenum, crudele, ac dirum. Videntur Oedipi uerba Apollinis uoce damnati ob polluta natalia, caedem patris, & impium cum matre thorum. ORACVLIS] deorum responsis. INTERPRES] ipse Apollo. SORS *ipsa,*] ipsum responsum per sortes. AD *sortes*] ut iterum sortiamur, quid sibi uelit ipsa sors. AMBIGVIS] quae ad utramque partem trahi possint. AD *dialecticum referenda sint*] ut ipse dicat, quid de illo ambiguo sentiat. CROESVS *&c.*] *Κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.* HALYM] Halys fluuius est, qui Medum, & Lydum imperium disterminabat, fluens ex Armenia. VIM] copiam. DVCAM] existimem. ILLE] Herodotus. PRIMVM] confutat M. Cicero eiusmodi oracula uti commenticia. ISTA *sors &c.*] tale responsum ambiguum non est in Graecorum monumentis. STOLIDVM *genus Aeacidarum;*] crassi, & hebetis ingenij, ab Aeaco trahentes originem. Ex his Achilles fuit, Pyrrhus, & alij heroes, insipientes quidem, sed bellacissimi. AMPHIBOLOGIAM] ambiguitatem. IN *se*] contra se. HAEC] ex Apolline relata de Aeacide, ac Romanis. NE *Epicurum quidem*] quasi dicat hominem dialectices expertem. CAPVT *est,*] primo considerandum est. HOC *loco*] in hac parte. ANHELITVS] exhalatio. DE *uino, aut salsamento &c.*] sensus est. De ui loci, & diuina ea proferunt, possunt concedi de uino, & salsamento, hoc est carne sale condita. nam a uino euaporat spiritus quidam, atque a carne sal exit, ut longo temporis tractu utrumque possit deficere. CONFICERE] destruere. PROVIDAM] praesagam. NON *sinceri*] non puri, corrupti. nam ob id ad utramque partem consultationis uergentia respondebat Pythia, ut inde ditesceret diuinationis officina. SVPERSTITIOSI,] nimis creduli. FANATICI] Lymphati, Fatui, siue Faunaci. A Fauno Fana dicuntur, quod Pontifices sacrificando illic fantur. Seruius in VIII. Aeneid. *ἀπὸ τῆς φωνῆς* dictum fuisse Faunum scribit, quod uoce, non signis futura ostenderet. Exstat Horatij carmen lib. III. carm. ad Faunum:

> Faune, Nympharum fugientum amator &c.

Porphyrion ait Faunum existimatum fuisse inferum, ac pestulentem deum. Eius aedes in insula Tiberina fuit, cuius Ouid. meminit in Fast.

> Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
> Hic, ubi discretas insula rumpit aquas.

E contra Fauni soror, & uxor nomine Fatua, quia fata caneret mulierum castissima fuisse traditur: Ideo eam Romani Bonam deam appellauere, cuius templum fuit in saxo Auentini montis, unde ingressus maribus prohibebatur; & ei feminae tantum sacrificabant. INEPTOS] Cicero in II. de orat. In aliquo genere inconcinnus,

cinnus, aut multus, is ineptus est. Hoc uitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio: itaque, quod uim huius mali Graeci non uident, ne nomen quidem ei uitio imposuerunt. QVAM *longe* } quam alte. ET *ipsius* } animi scilicet. DIVINITATS } quam animus ex mente habet. CONIVNCTIONE } consensu, naturali communicatione, & ueluti coniugio. EXTERNIS } caelestibus. CONTRAHI } e diffuso ambitu, ueluti in centrum trahi, artari, & constringi. QVO } ut. CVLTV } uestitu, & cerimoniis. FABA } Pythagoras percunctatus, ut est apud Lucianum, De Philosophorum uitis, cur fabas non ederet an eas fastidio haberet, respondet, Minime uero. ABSVRDE } irrationabiliter. ILLO *modo* } scilicet, ut per semetipsos in somniando moueantur. VISIS } apparitionibus. COLLINEET? } ad lineam dirigat. EVADERE? } euenire. QVIN } qui non. AGERENT, } exercerent. MOTVS } perturbationes. SOMNIVM } imago per somnum. PRAESENS } parata. SERAPIS } maximus Aegyptiorum deus, quem sub tauri effigie coluere.

CICERO

SED haec quoque in promptu; nunc interiora uideamus. Aut enim diuina uis quaedam consulens nobis somniorum significationes facit: aut coniectores ex quadam conuenientia, & coniunctione naturae, quam uocant συμπάθειαν, *quid cuique rei conueniat, ex somnijs, & quid quamque rem sequatur, intelligunt: aut eorum neutrum est, sed quaedam obseruatio constans, atque diuturna est, cum quid uisum secundum quietem sit, quid euenire, aut quid sequi soleat. Primum igitur intelligendum est, nullam uim esse diuinam effectricem somniorum. atque illud quidem perspicuum est, nulla uisa somniorum proficisci a numine deorum. nostra enim caussa dij id facerent, ut prouidere futura possemus. quotus igitur est quisque, qui somnijs pareat? qui intelligat? qui meminerit? quam multi uero, qui contemnant, eamq. superstitionem imbecilli animi, atque anilis putent? quid est igitur, cur his hominibus consulens deus, somnijs moneat eos, qui illa non modo cura, sed ne memoria quidem digna ducant? nec enim ignorare deus potest, quia mente quisque sit: uet, frustra, ac sine caussa quid facere, dignum deo est: quod abhorret etiam ab hominis constantia. ita, si pleraque somnia, aut ignorantur, aut negliguntur: aut nescit hoc deus, aut frustra somniorum significatione utitur. sed horum neutrum in deum cadit: nihil igitur a deo somnijs significari fatendum est. Illud etiam requiro, cur, si deus ista uisa nobis prouidendi caussa dat, non uigilātibus potius det, quam dormientibus. siue enim externus, & aduenticius pulsus animos dormientium commouet; siue per se ipsi animi mouentur; siue quae caussa alia est, cur secundum quietem aliquid uidere, audire, agere uideamur: eadem caussa uigilantibus esse poterat; idq. si nostra caussa secundum quietem dij facerent, uigilantibus idem facerent, praesertim cum Chrysippus, Academicos refellens, permulto clariora, & certiora esse dicat, quae uigilantibus uideantur, quam quae somniantibus. fuit igitur diuina beneficentia dignius, cum consuleret nobis, clariora uisa dare uigilantibus, quam obscuriora per somnium. quod quoniam non fit, somnia diuina putanda non sunt. Iam uero, quid opus est circuitione, & amfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum potius, quam directo deus, si quidem nobis consulebat, hoc facito, hoc ne feceris, diceret; idq. uisum uigilanti potius, quam dormienti, daret? Iam uero, quis dicere audeat, uera omnia esse somnia? aliquot somnia uera, inquit Ennius; sed omnia non est necesse. quae est tandem ista distinctio? quae uera, quae falsa habet? &, si uera a deo mittuntur, falsa unde nascuntur? nam, si ea quoque diuina, quid inconstantius deo? quid inscitius autem est, quam mentes mortalium falsis, & mendacibus uisis concitare? sin uera uisa diuina sunt, falsa autem, & inania humana: quae est ista designandi licentia, ut hoc deus, hoc natura fecerit potius, quam aut omnia deus, quod negatis, aut omnia natura? quod, quoniam illud negatis, hoc necessario confitendum est. naturam autem eam dico, qua numquam animus insistens agitatione, & motu esse uacuus potest. is cum languore corporis, nec membris uti, nec sensibus potest, incidit in uisa uaria, & incerta ex reliquijs, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas uigilans gesserit, aut cogitarit. quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniorum. quae si alia uera, alia falsa: qua nota internoscantur, scire sane uelim. si nulla est; quid istos interpretes audiamus? sin quaepiam est; aueo audire, quae sit. sed haerebunt. uenit enim iam in contentionem, utrum sit probabilius, deos ne immortales, rerum omnium praestantia excellentes, concursare omnium mortalium, qui ubique sunt, non modo lectos, uerum etiam grabatos, &, cum stertentes aliquos uiderint, obijcere his uisa quaedam tortuosa, & obscura, quae illi exterriti somnio ad coniectorem mane deferant; an natura fieri, ut mobiliter animus agitatus, quod uigilans uiderit, dormiens uidere uideatur. utrum philosophia dignius, sagarum superstitione ista interpretari, an explicatione naturae? ut, si iam fieri possit coniectura uera somniorum, tamen isti, qui profitentur, eam facere non possunt. ex leuissimo enim, & indoctissimo genere constant. Stoici autem tui negant quemquam, nisi sapientem, diuinum esse posse. Chrysippus quidem diuinationem definit his uerbis, uim cognoscentem, & uidentem, & explicantem signa, quae a dijs hominibus portendantur: officium autem eius esse, praenoscere, dij erga homines mente qua sint, quidq. significent, quemadmodumq. ea procurentur, atque expientur, idemq. somniorum coniectionem definit hoc modo, esse uim cernentem, & explanantem, quae a dijs hominibus significentur in somnijs. quid ergo? ad haec mediocri opus est prudentia, an & ingenio praestanti, & eruditione perfecta? talem autem cognouimus neminem. uide igitur, ne, etiam si diuinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam; neminem tamen diuinum reperire possimus.*

qualis autem ista mens est deorum, si neque ea nobis significans in somnijs, quae ipsi per nos intelligamus; neque ea, quorum interpretes habere possimus? similes enim sunt dij, si ea nobis obijciunt, quorum neque scientiam, neque explanationem habeamus, tamquam si Poeni, aut Hispani in senatu nostro sine interprete loquerentur. Iam uero, quo pertinent obscuritates. & aenigmata somniorum? intelligi enim a nobis dij uelle debebant ea, quae nostra caussa nos monebant. Quid? poeta nemo, nemo physicus obscurus? ille uero nimis etiam obscurus Euphorion: at non Homerus: uter igitur melior? ualde Heraclitus obscurus, minime Democritus: num igitur conferendi? Mea caussa me mones, quod non intelligam: quid me igitur mones? ut, si quis medicus aegroto imperet, ut sumat Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam,
potius quam, hominum more, cochleam, dicere. nam Pacuuianus Amphion:
Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite breui, ceruice anguina, adspectu truci,
Euiscerata, inanima cum animali sono,
cum dixisset obscurius, tum Attici respondent: non intelligimus, nisi aperte dixeris. at ille uno uerbo, testudo. non potueras hoc igitur a principio cythari sta dicere? Defert ad coniectorem quidam somniasse se, ouum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. est hoc in Chrysippi libro somnium. respondit coniector, thesaurum defossum esse sub lecto. fodit: inuenit auri aliquantum, idq. circumdatum argento: misit coniectori quantulum uisum est de argento. tum ille, nihil ne de uitello? id enim ex ouo uidebatur aurum declarasse, reliquum argentum. nemo ne igitur umquam alius ouum somniauit? cur ergo hic nescio quis thesaurum solus inuenit? quam multi inopes, digni praesidio deorum, nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur? quam autem ob caussam tam est obscure admonitus, ut ex ouo nasceretur thesauri similitudo, potius, quam aperte thesaurum quaerere iuberetur, sicut aperte Simonides uetitus est nauigare? Ergo obscura somnia minime consentanea sunt maiestati deorum.

EXPLANATIO

IN *promptu* } in manifesto, & ad manus. INTERIORA } magis recondita. QVIETEM } somnium. PRIMVM *igitur* } Probat M. Cicero deos non immittere somnia. ID *facerent* } hoc est, somnia immitterent. QVOTVS *est quisque*, } ac si dicat, Nullus fere est. SVPERSTITIONEM } credulitatem. ANILES } creduli, inepti. CONSTANTIA, } grauitate. ADVENTICIVS *pulsus* } extrinsecus instinctus. AMFRACTV } obliquitate. DIRECTO } expeditissime, absque ambagibus, atque interpretibus. DISTINCTIO } uarietas, diuisio. INSCITIVS } insipientius. DESIGNANDI } distinguendi. NATVRA } uis in naturalibus operatrix. Hoc *necessario confitendum est.* } Sine dubio abundat, Hoc. nam sententia ita se habet: Quod necessario confitendum est, quoniam illud negatis. INSISTENS } residens tamquam in subiecto. LANGVORE } torpore. NOTA } signo, obseruatione. GRABATOS } portatiles lecticas. TORTVOSA } obliqua. SAGARVM } anuum sacrorum peritiam profitentium. SVPERSTITIONE } credulitate. PORTENDANTVR } monstrentur. MENTE *qua sint*, } propitia scilicet, an irata. PROCVRENTVR } expurgentur, & propulsentur. EXPIENTVR. } prece, ac uoto declinentur. DIVINVM } praesagum, uaticinum. OBIICIVNT } ostendunt. AENIGMATA } inuolucra, & ambiguitates. EVPHORION } hunc nominat Athenaeus. MELIOR? } utilior. HERACLITVS } qui propter obscuritatem σκοτεινός, id est, tenebrosus cognominatus est. QVID *ne igitur mones?* } ac si dicat, Frustra mones, quod non intelligam. CASSAM, } uacuam. PACVVIANVS *Amphion*, } de quo in tragoedia scripsit Pacuuius. Filius Iouis Amphion fuisse traditur, & sono testudinis muros Thebanos erexisse. HVMILIS } depressa. TRVCI } horrido. ANIMALI *sono*, } uocali. DE *uitello?* } de luteo ipsius oui, quo pullus ex albumine formatus, & in cortice inclusus uiuit. Vitulus uero dicitur bubulus pullus, quousque suggit lac. CONSENTANEA } conuenientia.

CICERO

AD aperta, & clara ueniamus, quale est de illo interfecto a caupone Megaris, quale de Simonide, qui ab eo, quem humauerat, uetitus est nauigare; quale etiam de Alexandro: quod a te praeteritum esse miror: qui, cum Ptolemaeus, familiaris eius, in proelio telo uenenato ictus esset, eoq. uulnere summo cum dolore moreretur, Alexander assidens somno est consopitus. tum secundum quietem uisus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & simul dicere, quo illa loci nasceretur: (neque is longe aberat ab eo loco) eius autem esse uim tantam, ut Ptolemaeum facile sanaret: cum Alexander experrectus narrasset amicis somnium, emisisse qui illam radiculam quaererent. qua inuenta, & Ptolemaeus sanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli uulnerati. Multa etiam sunt a te ex historijs prolata somnia, matris Phalaridis, Cyri superioris, matris Dionysij, Poeni Hamilcaris, Hannibalis, P. Decij, peruulgatum iam illud de praesultore, Gracchi etiam, & recens Caeciliae Balearici filiae somnium. sed haec externa, ob eamq. caussam ignota nobis sunt: non nulla etiam ficta fortasse. quis enim auctor istorum? de nostris somnijs quid habemus dicere? tu demerso me, & equo ad ripam? ego de Mario cum fascibus laureatis me in suum duci iubente monumentum? omnium somniorum, Quincte, una ratio est: quae, per deos immortales, uideamus, ne nostra superstitione, & deprauatione superetur. quem enim tu Marium uisum a me putas? speciem, credo, eius, & imaginem, ut Democrito uidetur, unde profectam imaginem? a corporibus enim solidis, & a certis figuris uult fluere imagines,

quod

quod igitur Marii corpus erat, ex eo, inquit, qaod fuerat, pleaa saat imaginum omnia ista. Igitur me imago Marij in eampum Atinatem perseqaebatur: nulla enim species cogitari potest, nisi pulsa imaginum. quid ergo? istae imagines ita nobis dicto audientes sunt, at, simul atqae uelimus, accurraut? etiam ne earum rerum, qaae nullae sunt? quae est enim forma tam inusitata, tam nulla, quã non sibi ipse animus possit effingere? ut, quae numquam uidimas, ea tamẽ formata babeamus, opidorum situs, bominum figuras. num igitur, cam aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? omnia igitur, quae uolumut, uota aobis esse poßant: nibil est enim, de quo cogitare nequeamut: nullae ergo imaginet obrepunt in animos dormientium extrinsecut, nec omnino fluũt illae: nec cognoui quemquam, qui maiore auctoritate nibil diceret. animorum est ea uis, atque aatura, ut uigeant uigilaates; nallo aduenticio pulsa, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. bi cam sustinentur membris, & corpore, & seusibus, omnia certiora cernunt, cogitaut, sentiunt. eum autem baec subtracta sunt, desertusq. animas languore corporis, tum agitatur ipse per sese: itaque ia eo & formae uersautur, & actiones, & multa audiri, multa dici uideutur. baec seilicet imbecillo, remissoq. aaimo malta omnibus modis confusa, & uariata uersautur: maximeq. reliquiae earum rerum moueatur iu animis, & agitautur, de quibus uigilantes aut cogitauimus, aut egimas: at mibi, temporibus illis, multum iu animo Marius uersabatur, recordanti, quam ille grauem suum casum magno auimo, quam coastauti talißet. banc credo caussam de illo somniandi fuisse. tibi autem de me cam solicitudiue cogitauti subito sum uisus emersus ex flumiae. ineraut eum in utriusqae uostrum auimis uigilantium cogitationam uestigia. At quaedam adiuncta sunt; ut mibi de monumeato Marij; tibi, qaod equus, iu quo ego aehebar, mecam una demersas rursas apparuit. Au tũ censes ullam aaam tam deliram faturam saiße, ut somaijs crederet, nisi ista casu uon uumquam, forte, temere coacarrerent? Alexaudro loqui draeo uisus est. potest omuino boc esse falsum, potest uerum: sed, utrum sit, uon est mirabile. non enim aadiuit ille draconem loqueatem, sed est uisus audire: & quidem, quo maius sit, eum radicem ore teneret, locutus est. sed uibil est maguum somnianti. quaero autem, eur Alexandro tam illustre somaium, tam certum, nec buic eidem alias, nec malta ceteris. mibi quidem, praeter boc Marianum, nibil saue, qaod meminerim. frustra igitur consumptae tot noctes, tam longa in aetate. uunc quidem, propter intermissionem forensis operae, & lueubrationes detraxi, & meridiationes addidi, quibus uti antea uon solebam: nec tam multum dormieas ullo somnio sam admouitus, tautis praesertim de rebus: nec mibi magis usquam uideor, quam cum aut in foro magistratus, aut iu curia senatum uideo, somaiare. Etenim ex diuisioae boc secuudum est, quae est continuatio, coniunctioq. naturae, quam, ut dixi, uocant συμπάθειαν, eiasmodi, ut thesaurus ex ouo intelligi debeat. aam medici ex quibusdam rebus & aduenieutes, & crescentes morbos intelligunt: aonnullae etiam ualetudinis significationes, ut boc ipsum, pleui, enecti ue simus, ex quodam genere somnioram intelligi posse dicuntur. Thesaurus uero, & bereditas, & bouos, & uictoria, & multa generis eiusdem, qua eum somnijs naturali coguatioae iunguntur? Dicitur quidam, cum in somnijs complexu uenereo iungeretur, calculos eiecisse. uideo sympathiam: aisum est enim tale obiectum dormienti, ut id, quod euenit, naturae uis, non opinio erroris, effecerit. Quae igitar natura obtulit illam speciem Simouidi, a qua uetaretur nauigare? aut quid naturae copulatum babuit Alcibiadis qaod scribitur somnium? qui paullo aate interitum uisus est ia somnijs amitae esse amictus amiculo. is, cum esset proiectus iubumatus, ab omnibusq. desertus iaceret; amica corpus eius texit suo pallio. ergo boc inerat ia rebus futuris, & caassas naturales babebat; au, & ut uideretar, & ut eueairet, casus effecit? Quid ipsorum iaterpretum coniecturae, non ne magis ingeuia declaraat eorum, quam uim, consensumq. naturae? Cursor, ad Olympia proficisci cogitans, uisus est in somnijs curru quadrigarum uebi. mane ad coniectorem. at ille, Vinces, inquit: id euim celeritas significat, & uis equorum. post idem ad Antiphontem. is autem, Vineare, inquit, uecesse est. au uon intelligis quattuor ante te cucurrisse? Ecce alius cursor, atque borum somniorum, & talium pleuus est Crysippi liber, pleuus Antipatri: sed ad cursorẽ redeo ad interpretem detulit, aquilam se in somnijs aisum eße factum. at ille, Vicisti: ista.n. aui uolat nulla uebementius. buic equidem Antipho, Tu uero, inquit, te uictum esse uon uides? ista enim auis, insectaus alias, & agitaus, semper ipsa postrema est. Parere quaedam matrona cupiens, dubitans esset ne praeguans, aisa est iu quiete obsignatam babere naturam: retulit. aegauit eam, quoniam obsiguata fuisset, concipere potuisse. at alter praeguantẽ esse dixit: nã iaaue obsigaari nibil solere. Quae ista est ars coniectoris, eludentis ingenio? an ea, quae dixi, & innumerabilia, quae collecta babẽt Stoici, quidquam significãt, nisi acumen bominum ex similitudine aliqua coniecturam modo buc, modo illuc ducentium? Medici signa quaedam babent ex uenis, & ex spiritu aegroti, multisq. ex alijs futura praesentiunt. gubernatores cum exsultantes loligiaes uiderint, aut delpbinos se iu portum conijcientes, tempestatẽ significari putant. baec ratione explicari, & ad uaturam facile reuocari possunt: ea uero, quae paullo aute dixi, nullo modo. At enim obseruatio diuturna (baec enim pars una restat) notandis rebus fecit artem. au taudem somnia obseruari possuut? quonam modo? suut enim innumerabiles uarietates. nibil tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somuiare. quo modo igitur baec infinita, et semper noua aut memoria complecti, aut obseruando notare poßumus?

EXPLANATIO

QVALE *etiam de Alexandro:* } Vide Curtium. SECVNDVM *quietem* } per somnum. HAEC *externa:* } quae? nam Romana externa non sunt. DEMERSO *me,* } De emerso me, legerem. VNA *ratio* } eadem proprietas. DEPRAVATIONE } falsa interpretatione. SPECIEM } similitudinem. SOLIDIS, } soliditatem, seu firmitatem habentibus. FLVERE } emanare. OMNIA *ista* } hoc uniuersum. SPECIES } forma aliqua uisibilis. QVID *ergo?* } Deridet M. Cicero Democriti, & Epicuri opinionem de imaginibus. FORMATA } depicta. PELLIT? } pulsat. NVLLAE *ergo &c.* } Concludit ex absurdo superiore. nam, si absurdum est, credere, omnia nobis nota esse posse: sequitur, animos dormientium diuinare non posse: nam, si diuinarent ingressu imaginum assidue fluentium; omnia nossent. OBREPVNT } subintrant. AVCTORITATE } confidentia. NIHIL *diceret* } inania effutiret. VIGEANT } uigorem habeant, & moueantur. SVO } proprio. FORMAE } rerum imagines. REMISSO } languido. CASVM } exsilium, & fugam in Africam. VESTIGIA. } reliquiae, ac notae quaedam. DELIRAM } aberrantem. OPERAE } industriae. LVCVBRATIONES } uigilias ad nocturnam lucernam. MERIDIATIONES } meridianum somnum. TANTIS } tam magnis, ut de interitu legum, & libertatis. FORO } loco iudicij. MAGISTRATVS, } ut praetores urbani, aediles curules. ETENIM } certe. transit M. Cicero ad aliud membrum diuisionis, uidelicet ad sympathiam rerum, & coniectores. REBVS } signis in rebus. VALETVDINIS } sanitatis. PLENI } onerati humoribus superfluis. ENECTI } exhausti, & fere consumpti humoris inopia. QVA *cognatione iunguntur?* } quasi dicat, Nulla. CALCVLOS } lapillos in uesica concretos, ex uiscoso humore adusto. VIDEO } agnosco. TALE *obiectum* } eius generis imago. EVENIT, } successit. ERRORIS, } falsi somnij. COPVLATVM } coniunctum. CVM *esset proiectus inhumatus* } Vide Plutarch. in Alcibiade. HOC } ut scilicet pallio tegeretur. INGENIA } acumina, & uersutiam. ANTIPHONTEM } Atheniensis fuit, & somniorum interpres. eius meminit Lucianus agens de adyto somniorum. HVIC *equidem Antipho, Tu uero, inquit,* } Non placet, Equidem, cum tertia persona coniungi. & suspicor de mendo. Haec Paullus pater. OBSIGNATAM } signi impressione occlusam. INANE } uacuum. SPIRITV } anhelitu. LOLIGINES } Loligo piscis est. Mollia, inquit Plinius, Loligo, Sepia, Polypi. Loligo uolitat extra aquam se efferens: quod & pectunculi faciunt. HAEC } signa. AD *naturam* } ad naturalem uim. AT *enim* } Refellit nunc diuturnitatem obseruationis. NOTANDIS *rebus* } notando res. PRAEPOSTERE, } peruerse. INCONDITE, } inordinate MONSTRVOSE } contra usitatum naturae ordinem. ORDO } tenor constans.

CICERO

ASTROLOGI motus errantium stellarum notauerunt. inuentus est enim ordo in ijs stellis, qui non putabatur. cedo tandem, qui sit ordo, aut quae concursatio somniorum? quo modo autem distingui possunt uera somnia a falsis, cum eadem & alijs aliter euadant, & ijsdem non semper eodem modo? ne mihi mirum uideatur, cum mendaci homini, ne uerum quidem dicenti credere soleamus, quo modo isti, si somnium uerum euasit, aliquod non ex multis potius uni fidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant. Si igitur neque deus est effector somniorum; neque naturae societas ulla cum somnijs: neque obseruatione inueniri potuit scientia: effectum est, ne nihil prorsus somnijs tribuendum sit; praesertim cum illi ipsi, qui ea uident, nihil diuinent, ij, qui interpretantur, coniecturam adhibeant, non naturam; casus autẽ innumerabilibus paene saeculis in omnibus plura mirabilia, quam in somniorum uisis, effecerit; neque coniectura, quae in uarias partes duci possit, non numquam etiam in contrarias, quidquam sit incertius. Explodatur haec quoque somniorum diuinatio pariter cum ceteris. nam, ut uere loquamur, superstitio fusa per gentes, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatẽ occupauit. quod & in iis libris dictum est, & qui sunt de natura deorum: & hac disputatione id maxime egimus. multum enim & nobismet ipsis, & nostris profuturi uidebamur, si eam funditus sustulissemus. Nec uero (id enim diligenter intelligi uolo) superstitione tollenda religio tollitur. nam, & maiorum instituta tueri sacris, caerimoniisq. retinendis, sapientis est; & esse praestantem aliquam, aeternamq. naturam, & eam suspiciendam, admirandamq. hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq. rerum caelestium cogit confiteri. quamobrem, ut religio propaganda etiam est, quae est iuncta cum cognitione naturae: sic superstitionis stirpes omnes eiiciendae sunt: instat enim, & urget, &, quocumque te uerteris, persequitur, siue tu uatem, siue tu omen audieris, siue immolaris, siue auẽ adspexeris, si Chaldaeũ, si haruspicem uiderit, si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de caelo, si ostẽti simile natum, factum ue quippiam: quorum necesse est plerumque aliquid eueniat: ut numquam liceat quieta mente consistere. perfugium uidetur omnium laborum, & sollicitudinum esse somnus. at ex eo ipso plurimae curae, metusq. nascuntur. qui quidem ipsi per se minus ualerent, & magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ij quidem contemptissimi, sed in primis acuti, & consequentia, & repugnantia uidentes: qui prope iam absoluti, & perfecti putantur. quorum licentiae nisi Carneades restitisset; haud scio, an soli iam philosophi iudicarentur. cum quibus omnis fere nobis disceptatio, contentioq. est: non quod eos maxime contemnamus: sed quod uidentur acutissime sententias suas, prudentissimeq. defendere. cum autem proprium sit Academiae, iudicium suum nullum interponere; ea probare, quae simillima ueri uideantur;

tur; conferre caussas, & quid in quamque sententiam dici possit, expromere; nulli adbibita sua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum, ac liberum: tenebimus hanc consuetudinem, a Socrate traditam, eaq. inter nos, si tibi, Quincte frater, placebit, quam saepissime utemur. Mihi uero, inquit ille, nihil potest esse iucundius. Quae cum essent dicta, surreximus.

EXPLANATIO

CEDO } dic quaeso. CONCVRSIO } conuenientia. ALIIS *aliter euadant* } alijs fine dissimili eueniant. DEROGANT } detrahunt. SCIENTIA } ars interpretandi somnia. CONIECTVRAM } collationem similitudinis signorum. NON *naturam*; } non signa propria cuiusque rei naturalis. VISIS } imaginationibus. EXPLODATVR } irrisione, & plausu reijciatur. OPPRESSIT } prostrauit. RELIGIO } deorum ueneratio, & cultus. SVSPICIENDAM } colendam. CONFITERI. } affirmare. PROPAGANDA } diffundenda. COGNITIONE *naturae:* } scientia rerum naturalium. STIRPES *omnes eijciendae sunt:* } Elidendae, puto corrigendum: ut cum uerbo Stirpes, & ad uerbo item, Propaganda, quod in superiore membro positum est, in translatione consentiat. Sic enam locutus est Tusculana III. Stirpes inquit, aegritudinis, trunco euerso, omnes elidendae. INSTAT } stimulat. ACVTI } eruditi. LICENTIAE } temerariae libertati. CONFERRE *caussas* } comparare rationes. EXPROMERE } proferre, explicare. AVCTORITATE } certa sententia. INTEGRVM } ad utrumlibet declinabile, arbitrarium.



PERILLVSTRI
COMITI
AVGVSTINO · IVSTO





FATO quodam, planeq. bono fato contigit, ut, quo tempore Commentarius in Ciceronis librum de Fato mihi edendus esset, Te, de facie ignotum, perhonorifico tamen Gabrielis Cauatij testimonio nossem. Multa is, spectatae uir uirtutis, de Te magnifica, multa praeclara, multa ad solidam gloriam directa consilia narrare solitus est. cui cum ego maximam fidem, ob acerrimum, quo praeditus est, iudicium, habeam; ferreus sim, ni Te, Tuasq. miras & animi, & ingenij dotes amem, colam, praedicem. Abundare opibus, populis imperare, sunt, qui in laude ponant. uerum ego maiorem laudem statuo ijs deberi, qui diuitijs honeste uti sciant, ijsque, qui seipsos potius regere norunt, gloriosumq. immortalitatis iter, maiorum suorum uestigijs impressum, ingressi, posteris quoque uirtute praelucent. Quae Tu cum optime praestes, cumq. totus ad ueram uirtutem sis natus, amat Te Verona, amant boni omnes, in cuius praesidio maximam suae felicitatis partem sitam ducunt. Horum in numerum cum ego summopere cupiam a Te referri, meam hanc uoluntatem obscuram esse non sum passus. uolui hoc, qualecumque est, animi mei, & obseruantiae signum Tibi primum ipsi, deinde alijs, qui haec legent, notum esse. Maiora a nobis in dies exspecta. Iacta sint fundamenta, quibus aedificium, & uirtuti tuae, uotoq. meo conueniens, aliquando superaddatur. Haec Tibi Valerius Palermus meus, meus inquam, quem Tuum, si non est, (cur autem, non esse, dubitem?) esse cupio, tradet. qui cum me plane cognoscat, meamq. in nobilissimam Familiam Tuam propensam uoluntatem, praecipueq. in Iulium Iustum, Comitem, quem iamdiu, praestantissimi uiri, Francisci Morandi, testimonio, noui; spero fore, ut suo sermone Tuam mihi beneuolentiam aliquo modo conciliet. in

quo & ipſe mihi in officio conſtabit, & ego maximum laboris mei fructum ex ea percepiſſe laetabor. Felicia Tibi omnia a Deo opt. max. precor. Venetijs, Kal. Oct. ∞ DXXCIII.

Tuarum uirtutum obſeruantiſſimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.



IN M. TVLLII CICERONIS LIBRVM DE FATO

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Quia moralem philosophiae partem Cicero sibi Latinis litteris illustrandam, suisq. ciuibus tradendam sumpsisset, ut ipse Tusculanarum disputationum principio testatur; consequens erat, ut & libros de natura deorum, de diuinatione, ac de fato scriberet, quod colligitur ex principio libri secundi de diuinatione: pertinet enim ad moralem philosophiam Fati disquisitio, quia, si fati necessitas ulla esset, frustra praeciperetur de moribus, qui praeceptis adiuuari nihil possent. Maxime uero id sibi faciendum, quod magnis contentionibus pendentibus ex ratione differendi res ipsa sit obscura. Quare Posidonium, Diodorum, Epicurum, Carneadem & ueteres philosophos de fato disputantes, sed eos tamen Cicero omnium arbiter conciliat, ostendens ad eundem exitum omnes uenire, uerbisque, & non re dissentire. Epicuri tamen modum philosophandi grauiter increpat, ut qui ea dicat, quae omnium mentes refugiant, & aspernentur.

CICERO.



VIA pertinet ad mores, quos ἤθη Graeci nocant, nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus. sed decet augentem linguam Latinam nominare moralem. explicanda uis est, ratioq. enunciationum: quae Graeci ἀξιώματα uocāt: quae de re futura cū aliquid dicunt, deq. eo, quod possit fieri, aut non possit, quam uim habeant, obscura quaestio est: quam περὶ δυνατῶν appellant: totaq. est λογικὴ: quam rationem disserendi uoco. quod autem in alijs libris feci, qui sunt de natura deorum, itemq. in ijs, quos de diuinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile uideretur; in hac disputatione de Fato, casus quidam, ne facerem, impediuit. nam, cum essem in Puteolano, Hirtiusq. noster, consul designatus, ijsdem in locis, uir bonus, & nobis amicissimus, & ijs studijs, in quibus nos a pueritia uiximus, deditus; multum una eramus, maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quae ad pacem, & ad concordiam ciuium pertinerent. cum enim omnes, post interitum Caesaris, nouarum perturbationum caussae quaeri uiderentur; hisq. esse occurrendum putaremus: omnis fere nostra in his deliberationibus consumebatur oratio: idq. & saepe alias, & quodam liberiore, quam solebat, & magis uacuo ab interuentoribus die, cum ille ad me uenisset, primo illa, quae erant quotidiana, & quasi legitima nobis, de pace, & de otio. quibus acceptis, Quid ergo, inquit ille, quoniam oratorias exercitatio

nes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possum ne aliquid audire? Tu uero, inquam, uel audire, uel dicere. nec enim, quod recte existimas, oratoria illa studia deserui; quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum, acceperam: nec ea, quae nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam facultatem. nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem: subtilitatem enim ab Academia mutuatur, & ei uicissim reddit ubertatem orationis, & ornamenta dicendi. quamobrem, inquam, quoniam utriusque studij nostra possessio est; hodie utro frui malis, optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, & tuorum omnium simile. nihil enim umquam abnuit uoluntas tuo meo studio. sed, quoniam mihi rhetorica uestra sunt nota; teq. in his & audiuimus saepe, & audiemus; atque hanc Academicorum contra propositum disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanae disputationes: ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, uolo. An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? sed ita audies, ut Romanum hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo interuallo haec studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego, quae scripsisti. proinde ordire.

Multa desunt.

EXPLANATIO

QVIA *pertinet* } Similiter Aristoteles principium induxit lib. 1. Polit. Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν. QVOS ἤθη } ἦθος significat mores, id est uirtutes, uitia, & omnes denique habitus, & affectus animi. MORALEM } ἠθικὴν philosophiam nouo, siue deducto nomine reddit moralem; quod superiores periphrasi dicebant, de moribus. VIS, *ratioque enunciationum :* } cum de hac re parum conueniret inter Chrysippum, & Diodorum. *Enunciationum :* Enunciatio est oratio uerum falsum ue significans. Dicitur etiam Enunciatum, sicut Effatum. Ἀξιώματα } uocabulum Stoicorum. Aristoteles ἀπόφανσιν, siue ἀποφαντικὸν λόγον. QVAM *uim habeant* } An, quod futurum dicunt, sit necessarium. περὶ δυνατῶν. } Titulus fuit Graecis philosophis usitatus in hac quaestione, sicut hodie Christianis est, de libero arbitrio. δυνατὸν inquit Quinctilianus, cap. 111. de suasoria, & prosopopeia, nostri possibile nominant, quae ut dura uidetur appellatio, tamen sola est. TOTAQVE *est* λογική } tota pendet ex ratione disserendi. QVOD *autem* } Prolepsis, quod haec de Fato disputatio non in utramque partem disputetur perpetua oratione. DE *natura deorum* } ad quem philosophiae locum cum pertineat disputatio de Fato, aliter tractari non deberet. IN *utramque partem* } qui mos fuit Academiae nouae, quam maxime probauit Cicero. PERPETVA } non interrupta, sed libere persequens, quod suscepit usque ad extremum. IN *Puteolano* } Notat Cicero reliquas circumstantias, nunc locum, In Puteolano, postea tempus, Post interitum Caesaris. Puteolanum ea forma dictum est, qua Tusculanum, Campanum, ubi uel agrum, uel campum intelligas. HIRTIVS } In tertia Philippica Hirtium, & Pansam designatos consules appellat. Fuit autem Ciceronis discipulus, ut IX. lib. ad Papirium scribit Cicero: Hirtium inquit, & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistros. Puto enim te audisse, si forte ad uos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos cenitare. ET *jis studijs deditus ;* } Ineptus uideatur, si de philosophia conferret cum eo, qui ab ea esset alienus. IDQ. *& saepe alias* } scilicet fecimus. INTERVENTORIBVS } Qui nobis aliquid egentibus interueniunt, Interuentores dicuntur. alibi Interpellatores appellat, ut ad Atticum: Sed interpellatores illic minus molesti. Et in off. Dictitat se hortulos emere uelle, ubi se oblectare sine interpellatoribus possit. LEGITIMA } usitata ueluti legis praescripto. Additur, Quasi ad innuendam translationem. QVIBVS *acceptis* } auditis. NEC *ea, quae nunc tracto* } Philosophiae coniunctione augetur eloquentia. Sic 1. Tusc. ait Aristot. exemplo se cum eloquentia philosophiam coniungere: & in Oratore negat eloquentiam perfectam fore sine philosophia. ALIQVID } aliquam tuam commentationem, & disputationem de philosophia. VEL *audire, uel dicere.* } ut libuerit me audies, aut ipse declamabis. GENERE *philosophiae* } scilicet moralis. SVBTILITATEM } haec ad inuentionem spectat, sicut prudentia ad dispositionem inuentorum in enunciatione. REDDIT *ubertatem* } Ita Cicero ad Brutum in Paradoxis: Ea nos philosophia plus utimur, quae peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quae non multum discrepant ab opinione populari. QVONIAM *nostra possessio est;* } Verbis utitur iuris ciuilis. Quoniam, inquit, Academici, & oratores sumus. GRATISSIMVM } subaudi, Mihi est. Laudat Hirtius Ciceronis liberalitatem, & optionis sibi factae partem alteram remouet, ut retineat alteram. Non declamemus inquit, sed philosophemur. RHETORICA } ad rhetoricam spectantia. CONTRA *propositum* } contra aliorum sententias propositas. TVSCVLANAE *disputationes* } In Tusculana uilla habitae. Ex hoc loco perspici potest, inscriptionem Tusculanarum esse potius, disputationum, quam, quaestionum. AN *mihi* } concludit exordium modesta, & decora sui extenuatione. VT *Romanum hominem* } studijs scilicet politicis magis deditum, quam scholasticis disputationibus. Erat enim Romanorum hominum in militaribus, & politicis studijs se occupare, sicut Graecorum in disputationibus philosophicis uersari. PROINDE *ordire.* } Plurima hic deesse nemo uidet. Nec enim quaestio de more ponitur, quae fuerat ante illa, Proinde ordire, & apparet contra Stoicos Fati assertores Posidonium, & Chrysippum fuisse disputatum, quia de Posidonij argumentis quaedam hic recolliguntur: & Cicero tandem dicet, Videamus in assensionibus, quas prima oratione tractaui.

tractaui. At de assensionibus hic nullum uerbum est. Stoicorum autem capita fatum probantia hodie apud Plutarchum exstant. In aduersario genere, inquit, prima, ac praecipua captio uidetur esse. Nihil absque caussa fieri, sed omnia fieri antecedentibus caussis: altera, Mundum administrari natura, ipsum sibi consentientem, & conspirantem: tertia, testimonium quoddam potius uidetur esse. Aduocatur enim primum diuinatio, quae cum hominum opinione floret, tum in Deo opt. max. re uera uiget, deinde in ijs, quae eueniunt, sapientum hominum approbatio omnia recte ordineq. fieri praedicantium: postremo peruagatum illud, Pronunciatum omne uerum, uel falsum esse. Sed, ut captiosa Plutarchus censet, ita a Cicerone hic refutantur.

CICERO

CONSIDERAMVS, Hirti, quorum in alijs, ut in Antipatro poeta, ut in brumali die natis, ut in simul aegrotantibus fratribus, ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis einsmodi naturae contagio ualet: quam ego non tollo: uis est nulla fatalis. in alijs autem fortuita quaedam esse possunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita. quaedam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci uidetur. sunt inquam quidem absurda. quid enim? si Daphitae fatum fuit, ex equo cadere, atque ita perire; ex hoc ne equo, qui cum equus non esset, nomen habebat alienum? aut Philippus hasce in capulo quadrigulas uitare monebatur? quasi uero capulo sit occisus. Quid autem magnum, naufragum illum sine nomine in riuo esse lapsum? quamquam huic quidem hic scribit praedictum, in aqua esse pereundum. Ne Hercule Icadij quidem praedonis uideo fatum ullum: nihil enim scribit ei praedictum. quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura eius incidisse? puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. nam aut nihil est omnino fortuitum; aut hoc ipsum potuit euenire fortuna. Quaero igitur, atque hoc late patebit, si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla uis esset, & forte, temere, casu aut pleraque fierent, aut omnia: num aliter, ac nunc eueniunt, euenirent? quid ergo attinet inculcare fatum, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam, fortunam ue referatur? Sed Posidonium, sicut aequum est, cum bona gratia dimittamus: ad Chrysippi laqueos reuertamur. cui primum quidem de ipsa rerum contagione respondeamus: reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quantum intersit, uidemus, alios esse salubres, alios pestilentes, in alijs esse pituitosos, & quasi redundantes, in alijs exsiccatos, atque aridos; multaq. sunt alia, quae inter locum, & locum plurimum differant: Athenis tenue caelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; crassum Thebis, itaque pingues Thebani, & ualentes. tamen neque illud tenue caelum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat; neque crassum. ut Nemea potius, quam Isthmo uictoriam petat. disiunge longius. quid enim loci natura afferre potest, ut in porticu Pompeij potius, quam in campo, ambulemus? tecum, quam cum alio? idibus potius, quam kalendis? ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet, ad quasdam autem nihil: sic affectio astrorum ualeat, si uis, ad quasdam res, ad omnes certe non ualebit. at enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent; alij libidinosi, alij iracundi, aut crudeles, aut superbi sint, alij talibus uitijs abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat; quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus caussis esse factas? haec disserens, qua de re agatur, & in quo caussa consistat, non uidet. non enim, si alij ad alia propensiores sint propter caussas naturales, & antecedentes; idcirco etiam nostrarum uoluntatum, atque appetitionum sunt caussae naturales, & antecedentes. nam nihil esset in nostra potestate, si ita res se haberet: nunc uero fatemur, acuti, hebetes ne, ualentes, imbecilli ne simus, non esse id in nobis. qui autem ex eo cogi putat, ut ne sedeamus quidem, aut ambulemus uoluntatis esse; is non uidet, quae quamque res consequatur. ut enim & ingeniosi, & tardi ita nascantur antecedentibus caussis, itemq. ualentes, & imbecilli: non sequitur tamen, ut etiam sedere eos, & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus caussis definitum, & constitutum sit.

EXPLANATIO

CONSIDERAMVS] Sequitur Fati assertio, ex duabus sententijs Posidonij, & Chrysippi: prima est Posidonij, qui confirmare uoluit Fatum contagione naturae, & siderum affectione. Fuit autem Posidonius Stoicus in primis nobilis, de quo Cicero secunda Tusculana: ad quem audiendum, licet aegrotum, & in lectulo iacentem, tamen Rhodum diuertit Pompeius, tum Orientis spolijs, & uictorijs superbus: intraturusque fores de more percuti a lictore uetuit, & fasces lictorios ianuae summisit is, cui se Oriens, occidensq. summiserat. Plin. lib. VII. cap. 30. ANTIPATRO] Antipater Sidonius poeta, omnibus annis uno die natali tantum corripiebatur febre, & eo consumptus est satis longa senecta. Plin. lib. VII. cap. 51. Natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est. Val. Max. lib. I. cap. 8. BRVMALI *die nati*] quo Pulegium aridum floret in carnarijs, ait Plin. lib. XVIII. cap. 25. quod idem ait Cicero II. de Diuinat. & refert ad contagionem. AEGROTANTIBVS *fratribus*] Diuus Augustinus de Ciuit. Dei lib. V. cap. 2. & 5. sic ait: Cicero dicit Hippocratem nobilissimum medicum scriptum reliquisse, quosdam fratres, cum simul aegrotare coepissent, & eorum morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem leuaretur, geminos suspicatum: Quos Posidonius Stoicus, multum Astrologiae deditus, eadem constitutione astrorum natos, eademq. conceptos solebat asserere &c. VT *in urina, & in unguibus*] Ex urina, & unguibus medici permulta augurantur. Plin. lib. XXVI. cap. 6. Au-

guria ualetudinis ex urina traduntur, si mane candida, dein rufa sit, illo modo concoquere, hoc concoxisse significatur: mala signa rubrae, pessima nigrae: mala bullantis, & crassae, in qua quod subsidit si alba est significat circa articulos, aut uiscera dolorem imminere: eadem uiridis, morbum uiscerum, pallida bilis, rubens sanguinis: mala & in qua furfures, atque nubeculae apparent: diluta quoque alba uitiosa est, mortifera uero crassa graui odore, & in pueris tenuis, ac diluta. Ex unguibus mollibus ingenium colligunt: ex curuis, & concauis imprudentiam, & ignorantiam: ex candidis probitatem, honores, opes: ex nigris contraria: ex deciduis lepram. NATVRAE *contagio* } Naturae conuenientia, quae contactu afficit, quasi magnes contactum ferrum: hinc & pestilens morbus Contagium dicitur. de quo querens Aristoteles in Probl. cur afficiat eos, qui ad laborantes eo morbo prope accesserint, subdit, An quod is solus omnium morborum communis omnibus hominibus est? Itaque pestem facile omnibus infert, qui scilicet deprauato iam habitu sunt: fit enim, ut morbo cubantis ueluti quodam fomite succedente, uitium illud protinus exsultet, concipiaturq. in alijs. *Contagio*: concentus, cognatio, coniunctio, consensus naturae, Graecis *συμπάθεια* dicitur: ut Cicero II. de diuinat. interpretatur. VIS *est nulla fatalis* } Negat ex contagione Naturae, quam concedit Fatum probari. IN *alijs* } scilicet exemplis. ICADIO } de Icadio praedonem saxi ruina interfecto Cicero paullo post Icadiam saeuissimum piratam fuisse scribit Sextus Pompeius. DAPHITA } Val. Max. Daphidam uocat, quam iussu regis Attali ab eo contumeliosis dictis saepenumero lacessiti e saxo cui Equi nomen erat praecipitatum fuisse scribit. Strabo uero lib. XIV. scribit in Thorace monte crucifixum fuisse Daphidam grammaticum, propterea quod reges uersibus incesseret. Ex quo natum illud, Caue Thoracem. uersus autem hos ponit:

Πορφύρεοι μώλωπες ἀποψήσματα γάζης
Λυσιμάχου, Λυδῶν ἄρχετε καὶ φρυγίης.
Purpurei stimuli faex ultima diuitiarum
Lysimachi, Lydos subditis, & Phrygiam.

PACE *magistri* } Posidonij. de quo libro I. de Nat. de. Et principes illi Diodorus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. PHILIPPVS } Val. de Oraculo: Eodem oraculo Macedonum rex Philippus admonitus, ut a quadrigae uiolentia salutem suam custodiret, toto regno disiungi currus iussit, eumq. locum, qui in Boeotia Quadriga uocatur semper uitauit: nec tamen denunciatum periculi genus effugit: nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, Quadrigam habuit caelatam. QVADRIGVLAS } Quadrigarum nomine significatur currus quattuor equis iunctus; quales in Circensibus ludis certabant. QVID *autem magnum, & naufragum illum sine nomine in riuo esse lapsum?* } Tollenda stellulae nota nescio quo modo e regione posita. Sensus est: Quid mirum est, naufragum quoque illum in riuo esse lapsum? Intulit autem post uocem Magnum, particulam, Et; propterea quod iam exemplum de Daphita, & de Philippo confutarat: quasi diceret, Praeterea. Haec Paullus pater. SINE *nomine* } cuius nomen Posidonius non posuit, ut fortasse commenticium sit ad libidinem exemplum. QVAERO *igitur* } Concludit refutationem Posidonij: Cum omnium propositorum exemplorum caussae referri possint ad naturam, aut ad fortunam, Fato nihil opus est. LATE *patebit* } non ad hoc tantum exemplum pertinebit. SI *fati omnino* } Eius, quod fieri poteit. SED *Posidonium* } Secunda fati assertio sequitur, quae est Chrysippi. LAQVEOS } captiosas conclusiones. Erat enim Chrysippus callido & acutissimo ingenio, qui, ut inquit Cicero lib. II. Academ. quaest. fulcire uidebatur porticum Stoicorum. sicut e contra Epicurus hebes tardus, ac rudis. DE *ipsa rerum contagione* } de qua Posidonio respondimus. LOCORVM *naturas* } Lib. I. de Diuinat. Sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae, quae acuta ingenia gignant, aliae, quae retusa: quae omnia fiunt ex caeli uarietate & ex disparili adspiratione terrarum. ALIOS *esse salubres* } ut Crotonem urbem. ALIOS *pestilentes* } ut Sardiniam insulam. REDVNDANTES } superfluentes palustres. TENVE *caelum* } subtilem aerem. Caelum aer plerumque dicitur: Plinius, Namque & hoc caelum appellauere maiores, quod alio nomine aera. CRASSVM *Thebis* } In aere crasso stupidi, & pingui (ut dicitur) Minerua plerumque sunt, qui nascuntur; sed corpore proceriore, & firmiore adolescunt. PINGVES, *& ualentes* } stupidi, & robusti, Veteres in Boeotorum stuporem cauillantes Suem Boeoticam dicebant. CRASSVM } ualentem, fortem, robustum, certationibus corporum aptiorem. NEMEA } In Nemea silua Achaiae certamina sacra erant Herculi. ISTHMO } Isthmus proprie terra est angusta inter duo maria, ut Porthmos mare angustum inter duas terras. sumitur hic pro Isthmo Corinthiaco ubi certamina sacra erant Neptuno. AFFERRE } impellere. IN *porticu Pompeij* } Porticus Pompeij ad similitudinem Amphiteatri Romae erat amplissima, cuius meminit Plinius lib. XXVI. cap. 15. IN *Campo* } Martio. IDIBVS } medio mense. KALENDIS } prima die mensis. VT *igitur* } Concludit refutationem contagionis, quod non omnia fiant necessitate uel naturae, uel astrorum, caussasq. naturales disciplina domari posse. AT *enim* } Proponit argumentationem Chrysippi. HAEC *differens* } Reprehensio argumentationis Chrysippi quod alienam rem concludat, non propriam quaestionem. NON *enim* } Obiectioni Chrysippi respondet. IN *nostra potestate* } Hoc contra Chrysippum, qui tametsi fatum probabat retinebat liberum arbitrium, ut erit in fine libri huius. IN *nobis* } in nostra potestate. VT *autem* } Distinguit naturalium caussarum effectus, ab effectibus uoluntariarum. VT *enim* } quamuis enim. PRINCIPALIBVS } naturalibus, antecedentibus.

CICERO

*S*TYLPONEM *Megaricum, philosophum, acutum sane hominem, & probatum temporibus illis, accepimus. hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum, & mulierosum fuisse: neque hoc scribunt uituperantes, sed potius ad laudem: uitiosam enim naturam ab eo sic edomitam, & compressam esse doctrina, ut nemo umquam uinolentum illum, nemo in eo libidinis uestigium uiderit. Quid? Socratem non ne legimus quemadmodum notarit Zopirus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturasq. ex corpore, oculis, uultu, fronte pernoscere? stupidum esse Socratem dixit, & bardum, quod iugula concaua non haberet: obstructas eas partes, & obturatas esse dicebat: addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. sed haec ex naturalibus caussis uitia nasci possunt: exstirpari autem, & funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis uitijs auocetur, non est id positum in naturalibus caussis, sed in uoluntate, studio, disciplina. quae tolluntur omnia, si uis & natura fati ex diuinationis ratione firmabitur. etenim, si est diuinatio, quibusnam a perceptis artis proficiscitur? percepta appello, quae dicuntur Graece θεωρήματα. non enim credo nullo percepto aut ceteros artifices uersari in suo munere, aut eos, qui diuinatione utantur, futura praedicere. sunt igitur astrologorum percepta huiusmodi. si quis, uerbi caussa, oriente canicula natus est, is in mari non morietur. uigila, Chrysippe, ne tuam caussam, in qua tibi cum Diodoro, ualente dialectico, magna luctatio est, deseras. si enim uerum est, quod ita connectitur; si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur: illud quoque uerum est; si Fabius oriente canicula natus est, Fabius in mari non morietur. pugnant ergo haec inter se, oriente canicula natum esse, & in mari Fabium moriturum: & quoniam certum in Fabio ponitur, ortum esse eum canicula oriente; haec quoque pugnant, & esse Fabium, & in mari moriturum. ergo haec quoque coniunctio est ex repugnantibus, & est Fabius, & in mari Fabius morietur. quod ut propositum est, ne fieri quidem potest: ergo illud, morietur in mari Fabius, ex eo genere est, quod fieri non potest: omne ergo, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest. at hoc Chrysippe minime uis: maximeq. tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit uerum, aut futurum sit uerum: &, quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse; & quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. tu, & quae non sint futura, posse fieri dicis; ut frangi hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit: neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. at si ista comprobabis diuina praedicta: et quae falsa in futuris dicentur, in his habemus, ut ea fieri non possint: ut si dicatur Africanum Carthagine potiturum, et si uere dicatur de futuro, idq. ita futurum sit, dicas esse necessarium. quae est tota Diodori nobis inimica sententia. etenim, si illud uere connectitur; si oriente canicula natus es, in mari non moriere; primumque, quod in connexo, natus es oriente canicula, necessarium est; omnia enim uera in praeteritis necessaria sunt, ut Chrysippo placet dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e uero praeterita possunt conuerti. si igitur quod primum in connexo est, necessarium est, fit etiam quod consequitur necessarium. quamquam id Chrysippo non uidetur ualere in omnibus. sed tamen, si naturalis est caussa cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.*

EXPLANATIO

STYLPONEM } Stilpo fuit Euclidis discipulus, Zenonis Stoici magister, cuius uita est lib. II. apud Laertium. EBRIOSVM } naturaliter procliuem ad ebrietatem. QVID? *Socratem* } Alterum exemplum, quo apparet naturales uitiorum caussas uoluntarijs studijs edomari. NOTARIT } indicarit. QVI *se profitebatur* } Physiognomi definitio. BARDVM } ingenio rudem, & tardum. IVGVLA } ita dicuntur concauitates in extrema thoracis parte sub clauibus, quae σφαγαὶ Graece dicuntur. ALCIBIADES } Atheniensis, princeps, Socratis auditor, dialogis Platonis abunde celebratus. SED *haec* } Concludit naturales caussas uoluntarijs studijs domari posse. QVAE *tolluntur omnia,* } Posito Fato, & ex diuinatione constituto, nullus relinquetur locus uoluntati, studio, disciplinae. Diuinatio enim non erit, nisi quaecumque futura praedicentur necessario eueniant. Ex *diuinationis ratione* } Alterum caput, quo Stoici confirmant Fatum. PERCEPTIS } obseruatis experientijs, ex quibus principijs constat ars praedicendi. CANICVLA } Minore cane, quae, quia oritur ante maiorem canem, Anticanis etiam dicitur, & a Graecis Procyon. Ab ea dies caniculares dicuntur, & quamdiu Sol in ipsa est pestifera. VIGILA } Apostrophe ad Chrysippum iocularia quasi in hac quaestione succumbentem Diodoro. DIODORO } Plures fuere huius nominis. Hic autem Diodorus uidetur esse Cronus cognominatus, qui primus fertur inuenisse inuolutum & cornutum dicendi genus, qualis erat in primis hoc libro ipsius disputatio. Vide Laertium in secundo. MAGNA *luctatio* } Metaphora est ab Athletis. SI *enim* } Sequuntur Diodori laquei aduersus Chrysippum, ualde contorti: Sorites est septem graduum. SI *Fabius* } Veteres in exemplis hominum liberorum Fabij nomen usurpare solebant Cicero lib. II. de diuinat. Q. Fabi te mihi in auspicio esse nolo. In Topicis, Si ita Fabiae pecunia legata est a uiro. In seruis Manium dicere solebant Cato de re Rust. Cum diuis uolentibus, quodque bene eueniat, Mando tibi, Mani. PVGNANT } contraria sunt CONIVNCTIO } Enunciatio coniunctione copulatiua coniuncta. OMNE *ergo* } Hic postre-

mus sorite gradus concluditur. AT *hoc* ʒ Comparat apertius Diodori, Chrysippiq. sententiam. CYPSELVM ʒ Cypselus tyrannus fuit Corinthiorum, de quo Arist. in Polit. & Cicero Tusc. v. Demaratus, inquit, Tarquinij regis pater Tyrannum Cypselum, quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho, & ibi fortunas suas constituit, ac liberos procreauit. Historia narratur apud Herod. quomodo genitus sit ex Aetione, & Labda, & regnum sit ei praedictum ab Apolline. AT *si ista comprobabis* ʒ Si ueram statues diuinationem. Quoniam Diodorum, & Chrysippum committit inter se Cicero, finge pro Diodoro Ciceronem sic agere. IN *hic habemus* ʒ in his, quae praedicta sunt fore falsa, inest, iuxta sententiam nostram, necessitas quaedam. VT *si dicatur* ʒ exemplum ab opposito. AFRICANVM ʒ Scipio maior Carthaginem tributariam Romanis reddidit, minor eam deleuit. ETENIM ʒ Repetit astrologicum diuinationis exemplum, & complexionem ex eo factam necessariam esse contendit ex syllogismi quadam circumstantia, in qua si uera sit propositio, & assumptio necessaria, necessaria quoque sit complexio. DISSENTIENTI *a magistro Cleanthe*, ʒ Chrysippus praeterita propter immutabilitatem necessaria existimabat, At Cleanthes eius magister necessitatem metiebatur non ex immutabili condicione temporis, sed potius ex natura rerum.. Itaque natus est Fabius oriente Canicula, ei necessarium non uidebatur. Fuit Cleanthes auditor, & successor Zenonis Stoici. Vita eius est apud Laertium. QVAMQVAM *id Chrysippo* ʒ Chrysippi inconstantiam notare uidetur, qui, ut dictum est, dissentire uoluerit a Cleanthe, & tamen, ut effugiat Diodori laqueos, cum Cleanthe ex rerum natura necessitatem metire cogitur.

C I C E R O

HOc loco Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos, ceterosq. diuinos, neque eos usuros esse coniunctionibus, ut ita sua percepta pronuncient; si quis natus est oriente canicula, is in mari non morietur; sed potius ita dicant, nō et natus est quis oriente canicula, & is in mari morietur. o licentiam iocularem: ne ipse incidat in Diodorū, docet Chaldaeos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. quaero enim, si Chaldaei ita loquantur, ut negationes infinitarum coniunctionum potius, quam infinita connexa, ponant; cur idem medici, cur geometrae, cur reliqui facere non possint? medicus in primis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet; si cui uenae sic mouentur, is habet febrem: sed potius illo modo; non & huic uenae sic mouentur, & is febrem non habet. itemq. geometres non ita dicet; si in sphaera maximi orbes sunt, medij inter se diuiduntur: sed potius illo modo; non & sunt in sphaera maximi orbes, et hi non medij inter se diuiduntur. quid est, quod non possit isto modo ex connexo trāsferri ad coniunctionum negationem? & quidem alijs modis easdem res efferre possumus. modo dixi, si in sphaera maximi orbes sunt, medij inter se diuiduntur: possum dicere, si in sphaera maximi orbes erunt. possum dicere, quia in sphaera maximi orbes erunt. multa genera sunt enūciandi, nec ullum distortius, quam hoc, quo Crysippus sperat Chaldaeos contentos Stoicorum caussa fore. illorum tamen nemo ita loquitur. maius est enim, has contortiones orationis, quam signorum ortus, obitusque, perdiscere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, reuertamur. in qua quid ualeat id, quod fieri possit, anquiritur. Placet igitur Diodoro id solum fieri posse, quod aut uerum sit, aut uerum futurum sit. qui locus attingit hanc quaestionem, nihil fieri, quod non necesse fuerit; &, quidquid fieri possit, id aut esse iam, aut futurū esse; nec magis commutari ex ueris in falsa ea posse, quae futura sunt, quam ea, quae facta sunt; sed in factis immutabilitatem apparere; in futuris quibusdam quia non appareat, ne inesse quidem uideri: ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, uerum sit, hic morietur hoc morbo: at hoc idem si uere dicatur in eo, in quo uis morbi tanta non appareat, nihilo minus futurum sit. ita fit, ut commutatio ex uero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. nam, morietur Scipio, talem uim habet, ut, quamquam de futuro dicitur, tamen id non possit conuerti in falsum. de homine enim dicitur, cui necesse est mori. sic si diceretur, morietur noctu in cubiculo suo Scipio, ui oppressus; uere diceretur. id enim fore diceretur, quod esset futurum. futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet. nec magis erat uerum, morietur Scipio, quam, morietur illo modo: nec minus necesse est mori Scipioni, quam illo modo mori: nec magis immutabile ex uero in falsum, necatus est Scipio, quam, necabitur Scipio: nec, cum haec ita sint, est caussa cur Epicurus fatum extimescat, & ab atomis petat praesidium, easq. de uia deducat, & uno tempore suscipiat res duas inenodabiles; unam, ut sine caussa fiat aliquid, ex quo exsistet, ut de nihilo quippiam fiat; quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet: alteram, ut, cum duo indiuidua per inanitatem ferantur, alterum e regione moueatur, alterum declinet. licet enim Epicuro, concedenti omne enunciatum aut uerum, aut falsum esse, non uereri, ne omnia fato fieri sic necesse. non enim aeternis caussis, naturae necessitate manantibus, uerum est id, quod ita enunciatur: descendit in Academiam Carneades: nec tamen sine caussis: sed interest inter caussas fortuito antegressas, & inter caussas cohibentes in se efficientiā naturalem. ita et semper uerum fuit, morietur Epicurus, cum duo & septuaginta annos uixerit, Archonte Pitarato: neque tamen erant caussae fatales, cur ita accideret: sed quod ita cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. nec ij, qui dicunt immutabilia esse, quae futura sint, nec posse uerum futurum conuerti in falsum, fati necessitatem confirmant, sed uerborum uim interpretantur. at, qui introducunt caussarum seriem sempiternam, ij mentem hominis, uoluntate libera spoliatam, necessitate fati deuinciūnt.

EXPLA-

EXPLANATIO

AESTVANS } ualde laborans, nimirum in alienis etiam caussis se occupans. FALLI *sperat Chaldaeos* } locatur in Chrysippum, qui Chaldaeorum rebus intendat, inde sperans aliquid, quo caussam propriam aliquando tueatur. Chaldaei philosophi erant Assyriorum, qui habitarunt ad confluentem Tigris, & Euphratis. Eos Cicero I. de Diuinat. recenset primos inuentores Astrologiae. CONIVNCTIONIBVS } copulatis propositionibus. INCIDAT *in Diodorum* } in Diodori sententiam laboratur. INFINITARVM } infinitum a Cicerone dicitur, quod in schola indefinitum. PERSPECTVM } cognitum, & certum. VENAE } Plinius lib. XI. cap. 37. Inter neruos latent arteriae, id est, spiritus semitae: His innatant uenae, id est, sanguinis riui. Cicero II. de nat. de. Venae, & arteriae micare non desinunt, quasi quodam igneo motu. Si *in sphaera* } Geometra praecipit communiter de omni globo, siue sphaera, & non de sphaera tantum caelesti. Et sicut plures lineae in circulo, quae in medio illum diuidant necesse est, ut & ipsae se inuicem in medio diuidant. sic & in corpore orbiculari si plures orbes describantur, qui in medio illud diuidant, necesse erit, ut & ipsi se inuicem in medio diuidant. MVLTA *genera* } Exagitat Chrysippum, quod illustria pronunciationis genera repudiet, & omnium absurdissimum sequatur. lib. II. de Diuinat. de Stoicis ita scribit. Deinde contorquent, & ita concludunt: Non igitur sunt alij, nec significant futura. Hoc asperum dicendi genus, Stoicorum dumeta alibi appellat. STOICORVM *caussa* } ne Stoicorum praecepta labefactare uideantur, si aliter enuncient. MAIVS } difficilius. SIGNORVM *ortus &c.* } Chaldaeorum studium. SED *ad illam* } Explicat Diodori sententiam, qua contendit, si quid in futuro uerum sit non posse, non euenire. NEC *magis commutari* } Declaratue Diodori sententia comparatione temporis praeteriti cum futuro, quod illic immutabilitas appareat, hic non appareat. VT *in eo* } Expositio comparationis de duobus morbis, altero aperte necessario, altero minus. ITA *fit* } Complexio, quod omne uerum futurum sit necessarium. MORIETVR *Scipio* } Aemilianus, qui cum Flacco, Graccho, & Carboni fortis, ualensq. aduersatus esset, postridie mortuus inuentus est in cubiculo. Et uim Carbo attulisse existimatus est, ut scribit Cicero ad Paetum; quod & hic sequitur. Alij uenenum ei ab uxore Sempronia Gracchi sorore datum suspicati sunt. Liuius lib. LIX. NEC *magis erat uerum* } Colligitur triplex comparatio de uero, necessario, immutabili. VERVM } necessarium intellige: nam & subdit, Neq; minus necesse est: quod perinde est, ac si dicat, Nec minus uerum est. CVM *haec ita sint* } Quamquam enunciationes necessitatem ueri, uel falsi habent. EPICVRVS } Tres de fato sententiae disputatae sunt Posidonij, & Chrysippi, qui fatum confirmant, ac Diodori fatum oppugnantis. Nunc de Epicuro agitur. EXTIMESCAT } nam fatum Epicurus confirmari putabat, si omnis enunciatio non esset, uel falsa, ideoque omnem enunciationem ueram, uel falsam esse negauit, & motum declinationis Atomorum induxit, cuius ope fatum tollatur. INENODABILES } indissolubiles. NEC *cuiquam physico* } Cum ceteris physicis Epicurus ex nihilo nihil fieri, nec in nihilum quidquam reuerti celebrat in epistola ad Herodotum, de physicis, & ipse Epicureus Lucretius lib. II. ita cecinit,

De nihilo quoniam fieri nil posse uidemus.

DVO *indiuidua* } ita Cicero appellat Atomos Epicureos. Atomi proprie sunt corpuscula illa aerea, quae sursum deorsum, ac fortuito ferri solaribus radijs conspiciuntur. eorum motum deorsum naturalem appellat Epicurus, uiolentum uero huic oppositum tertium, denique fortuitum, & declinationem: iuxta triplicitatem aeris a Stoicis celebratam. Tres hosce motus Lucretius lib. II. amplissime describit, & Cicero hoc libro complectitur. Indiuidua uocat aerea illa corpora, quae oppositis motibus feruntur sursum deorsum, & a Stoicis maris, ac feminae nominibus decorantur Neptuni scilicet, ac Iunonis. PER *inanitatem* } per caeli spatium indiuidua comprehendentem. LICET *enim Epicuro* } Hic se Cicero patronum praebet Epicuro, & docet eum Chrysippo melius respondere potuisse ex distinctione caussarum, quia non sequeretur, si diceret Epicurus fortuitis caussis omnia fieri, ut iccirco sine caussis fieri diceret. adsunt enim caussae uoluntariae, in quibus nulla inest necessitas, id quod exemplo Carneadis ostendit non necessitate descendentis in Academiam, nec tamen sine caussis. Carneades nouae Academiae philosophus, & dialecticus accerrimus fuit, nec ullam rem umquam in suis disputationibus defendat, quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit, ut ait Cicero II. Orat. DESCENDIT *in Academiam* } ab Athenis edito loco situs, in Academiam descendebatur. Ita & Cicero in Tusculano Lyceum nitidum edito loco, Peripateticos imitatus, sibi constituerat, & in Tusculani parte inferiore umbriferam Academiam Platonicorum more. de quibus in primo de diuinatione sic refert: Nuper, cum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. nam, cum ambulandi caussa in Lyceum uenissemus, id enim superiori gymnasio nomen est, &c. Et in Tuscul. III. Vt enim in Academiam nostram descendimus inclinato, iam in pomeridianum tempus die. &c. Diuiditur sectis philosophia, nec mirum cum diuidatur etiam nauigatio, alij enim maiore arcto fidunt, ut qui Peloponnesum incolunt: alij uero minore arcto, ut Phoenices, qui & tutius nauigare dicunt. Auctor est Aelianus lib. IX. de Varia hist. Cum quidam ex medicis Platoni consilium daret, ut relicta Academia loco pestilentissimo in Lyceum scholam transferret respondisse, se producendae uitae caussa, ne in Atho quidem summitatem transmigrare uelle. FORTVITO *antegressas* } superius caussas antecedentes, & principales nominauit. in quibus nihil est definitum necessitate fatali. ARCHONTE *Pitarato:* } Morem Atheniensium Cicero Gracca dictione, sed Latine declinata expressit. ut enim Romae, per consules Fasti praescribebantur, & anni sic Athenis per Archontes. Sic cum de Gallicis quibusdam proprijs rebus Caesar loquitur uocabulis Gallicis utitur forma dumtaxat Latina expressis, ut

sis, ut constat de Soldurijs de Vergobreto Aeduorum. Suidas auctor est Archontes fuisse nouem. NEC *ij* } Diodorum inquit fatum non constituisse, sed quaesiuisse, quae uis earum enunciationum esset, in quibus aliquid fieri posse, aut non posse dicebatur. AT *qui introducunt* } ut Stoici.

CICERO

SED haec hactenus: alia uideamus. Concludit enim Chrysippus hoc modo: si est motus sine caussa, non omnis enunciatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut uera, aut falsa erit. caussas enim efficientes quod non habebit, id nec uerum, nec falsum erit. omnis autem enunciatio aut uera, aut falsa est: motus ergo sine caussa nullus est. quod si ita est, omnia, quae fiunt, caussis fiunt antegressis: id si ita est, fato omnia fiunt: efficitur igitur fato fieri quaecumque fiant. Hic primum si mihi libeat assentiri Epicuro, & negare omnem enunciationem, aut ueram esse, aut falsam, eam plagam potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. illa enim sententia aliquid habet disputationis, haec uero non est tolerabilis: itaque contendit omnes neruos Chrysippus, ut persuadeat omne ἀξίωμα aut uerum esse, aut falsum. ut enim Epicurus ueretur, ne, si hoc concesserit, concedendum sit, fato fieri quaecumque fiant; si enim alterutrum ex aeternitate uerum sit, esse id etiam certum; &, si certum, etiam necessarium; ita & necessitatem, & fatum confirmari putat: sic Chrysippus metuit, ne, si non obtinuerit, omne, quod enunciectur, aut uerum esse, aut falsum, omnia fato fieri possint ex caussis aeternis rerum futurarum. sed Epicurus declinatione atomi uitari fati necessitatem putat. itaque tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam, cum declinat atomus interuallo minimo. id appellat ἐλάχιστον. quam declinationem sine caussa fieri, si minus uerbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo pulsa declinat: nam, qui potest pelli alia ab alia, si grauitate feruntur ad perpendiculum corpora indiuidua, rectis lineis, ut Epicuro placet? sequitur enim, ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. ex quo efficitur, ut iam si sit atomus, eaq. declinet, declinare sine caussa. hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod ueritus est, ne, si semper atomus grauitate ferretur naturali, ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moueretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus, auctor atomorum, accipere maluit} necessitate omnia fieri, quam a corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Acutius Carneades, qui docebat posse Epicureos suam caussam sine hac commenticia declinatione defendere. nam, cum doceret esse posse quendam animi motum uoluntarium; id fuit defendi melius, quam introducere declinationem, cuius praesertim caussam reperire non possunt. quo defenso, facile Chrysippo possent resistere. cum enim concessissent, motum nullum esse sine caussa; non concederent, omnia, quae fierent, fieri caussis antecedentibus: uoluntatis enim nostrae non esse caussas externas, & antecedentes. communi igitur consuetudine sermonis abutimur, cum ita dicimus, uelle aliquid quempiam, aut nolle sine caussa. ita enim dicimus, sine caussa, ut dicamus, sine externa, & antecedente caussa, non sine aliqua. ut, cum uas inane dicimus, non ita loquimur ut physici, quibus inane esse nihil placet; sed ita, ut, uerbi caussa, sine aqua, sine uino, sine oleo uas esse dicamus: sic, cum, sine caussa moueri, dicimus, sine antecedente, & externa caussa moueri, non, omnino sine caussa, dicimus. de ipsa atomo dici potest, cum per inane moueatur grauitate, & pondere, sine caussa moueri, quia nulla caussa accedat extrinsecus. rursus autem, ne omnes a physicis irrideamur, si dicamus, quidquam fieri sine caussa, distinguendum est, & ita dicendum, ipsius indiuidui hanc esse naturam, ut pondere, & grauitate moueatur, eamq. ipsam esse caussam cur ita feratur. similiter ad animorum motus uoluntarios, non est requirenda externa caussa. motus enim uoluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisq. pareat: nec id sine caussa: eius enim rei caussa, ipsa natura est. quod cum ita sit; quid est, cur non omnis pronunciatio aut uera, aut falsa sit? nisi concesserimus, fato fieri, quaecumque fiant. quia futura uera, inquit, non possunt esse ea, quae caussas, cur futura, sint, non habent. habeant igitur caussas necesse est, ut ea, quae uera sunt, ita cum euenerint, fato euenerint.

EXPLANATIO

ALIA *uideamus.* } argumenta Stoicorum, quibus fatum probant. MOTVS *sine caussa* } ut appetitio, & uoluntas, cuius motus est liber, antecedens caussas necessitatem imponentes. EAM *plagam* } illam Epicuri sententiam. Metaphora sumpta a gladiatoribus, qui plagari malunt, quam letali uulnere laedi. tolerabilius autem est, cum Epicuro sentire, quam fatum recipere. ILLA *sententia* } Epicuri, negantis omnem enunciationem, aut ueram esse, aut falsam. ALIQVID *disputationis* } quaeri enim potest, quae sit uis illarum enunciationum. HAEC *uero* } quae fatum comprobat. VT *enim Epicurus* } Comparat Epicuri, & Chrysippi in hac disputatione metum. VERETVR } quod tamen uerendum non est, cum ex eo non sequatur fatum esse, ut superius dictum est. SIC *Chrysippus metuit* } & merito metuit. SED *Epicurus* } Tertium quendam motum, siue atomum excogitauit Epicurus, antecedentem scilicet caussam, in qua fati, siue atomi pondus absque ea caussa declinans, & plagam inferens ita cum oppositio, aequilibrat, & temperat, ut per eam uoluntatis libertatem retineat: id quod atomi, siue fati declinationem uocat. Tunc autem declinat absque plaga, quomodo atomus ipsa declinans, siue fatum, minimum quid distat a temperie, siue aequilibrio.

Ad *perpendiculum* } recta linea. Perpendiculum enim est instrumentum, quo recta linea perpenditur ad mundi centrum tendens. Corpora *individua* } Venit in mentem, haec duo uerba intrusa esse ab ijs, qui glossis, ut nunc uocant, omnia refeserunt. quis enim non uidet subaudiri, Atomos, de quibus perspicue Cicero loquitur? Haec Paullus pater. Ne *contingat quidem* } quia ambae atomi deorsum recta linea feruntur. Vt *iam si sit atomus* } Particula, Si, quid hic habeat loci, non intelligo. quod si tollatur, fortasse nihil desiderabitur. Haec Paullus pater. Sine *caussa* } Ita Epicurus appellabat sublimem aetem omnia ambientem, unde fortuitae pendent caussae, tamquam caussam sine caussa, a qua ipsa pendeat; hinc & principalem, antecedentem, atque externam nominauit. In libris de nat. deo. Sublimis aether Ioui tribuitur, ac menti. Quod igitur inferius dicetur, antecedentem caussam non esse inclusam naturae, id ipsum est, quod Mercurium docuit Pimander mens diuina, scilicet, Non omnes homines mentem possidere: Deum autem iussisse, ut homo mentis particeps se ipsum animaduerteret. Hanc *rationem* } hanc antecedentem caussam, sine qua declinat atomus. Gravitate } pondere. Nihil *liberum* } In hanc sententiam ita Lucretius:

Denique, si semper motus connectitur omnis,
Et uetere exoritur semper nouus ordine certo,
Nec declinando faciunt primordia motus,
Principium quoddam, quod fati foedera rumpat,
Ex infinito ne caussam caussa sequatur,
Libera per terras, unde haec animantibus exstat?
Vnde est haec, inquam, fatis auulsa uoluntas?

Democritus *auctor atomorum* } Sextus Emp. adu. math. auctor est, Posidonium Stoicum scripsisse Moschum Phoenicem fuisse atomorum auctorem. Laertius Leucippum fuisse praedicat. Cicero Democritum dicit, forte, quia eius imitator fuerit Epicurus. Accipere } admittere. Necessitate } fato. Acutius } subtilius. Carneades } Quattuor de Fato sententiae disputatae sunt, Posidonij, Chrysippi, Diodori, Epicuri: quincta superest Carneadis, qui Chrysippi captiones damnat. Suam *caussam* } quae fatum tollit, & libertatem uoluntatis constituit. Caussam *reperire non possunt* } externam scilicet, antecedentem. Communi } Prolepsis pro Epicuro, quem dicerent Epicurei uulgi more locutum, cum dixisset, sine caussa aliquid fieri, quod similitudine physica declaratur. Quod *cum ita sit* } ut natura sit uoluntarij motus caussa. Quid *est,* } Dialogismus hic quidam est Carneadis, & Chrysippi. Inquit } scilicet, Chrysippus.

C I C E R O

Confectum negotium, si quidem tibi concedendum est, aut fato omnia fieri, aut quidquam posse fieri sine caussa. an aliter haec enunciatio uera esse non potest, capiet Numantiam Scipio, nisi ex aeternitate caussa caussam serens hoc erit effectura? an hoc falsum potuisset esse, si esset sexcentis saeculis ante dictum? & si tum non esset uera haec enunciatio, capiet Numantiam Scipio; ne illa quidem euersa uera est haec enunciatio, capiet Numantiam Scipio. potest igitur quidquam factum esse, quod non uerum fuerit futurum esse. nam, ut praeterita ea uera dicimus, quorum superiore tempore uera fuerunt instantia: sic futura, quarum consequenti tempore uera erunt instantia, ea uera dicemus. nec, si omne enunciatum aut uerum, aut falsum est, sequitur ilico, esse caussas immutabiles, easq. aeternas, quae prohibeant quidquam secus cadere, atque casurum sit. fortuitae sunt caussae, quae efficiant, ut uere dicantur, quae ita dicentur; ueniet in senatum Cato; non inclusae in rerum natura, atque mundo. & tamen tam est immutabile uenturum, cum est uerum, quam uenisse; nec ob eam caussam fatum, aut necessitas extimescenda est. etenim erit confiteri necesse, si haec enunciatio, ueniet in Tusculanum Hortensius, uerum non est: sequitur, ut falsum sit: quorum isti neutrum uolunt: quod fieri non potest. nec nos impediet illa ignaua ratio, quae dicitur. appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος: cui si pareamus, nihil omnino agamus in uita. sic enim interrogant: si fatum tibi est, ex hoc morbo conualescere; siue medicum adhibueris, siue non adhibueris; conualesces. item; si fatum tibi est ex hoc morbo non conualescere; siue tu medicum adhibueris, siue non, conualesces. & alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignauum, atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e uita tolletur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen non adiungas, & eandem tamen teneas sententiam, hoc modo. si ex aeternitate uerum hoc fuit, ex isto morbo conualesces; siue adhibueris medicum, siue non adhibueris, conualesces. itemque, si ex aeternitate hoc falsum fuit, ex isto morbo non conualesces; siue adhibueris medicum, siue non adhibueris, non conualesces: deinde cetera. Haec ratio a Chrysippo reprehenditur. quaedam enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quaedam copulata. simplex est, morietur eo die Socrates. huic, siue quid fecerit, siue non fecerit, finitus est moriendi dies. at, si ita fatum sit, nascetur Oedipus Laio, non poterit dici, siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit: copulata enim res est, & confatalis: sic enim appellat: quia ita fatum sit, & concubiturum cum uxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum. ut, si esset dictum, luctabitur Olympijs Milo; & referret aliquis, ergo, siue habuerit aduersarium, siue non habuerit, luctabitur: erraret: est enim copulatum, luctabitur, quia sine aduersario nulla luctatio est. omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. siue tu adhibueris medicum, siue non adhibueris, conualesces, captiosum. tam enim est fatale medicum adhibere, quam conualescere. haec, ut dixi, confatalia ille appellat.

EXPLANATIO

CONFECTUM *negotium*] Haec Carneades aduersus Chrysippum. SINE *causa.*] quod tibi non conceditur. CAUSSA *caussam serens*] hoc est, fatum, quod & hinc caussarum series dicitur, quia inuicem caussae sic consitae existimantur, uti ferreus anulus, qui ab altero ui magnetis affecto pendeat. quorum anulorum numerum satis magnum sic per ordinem pendere conspeximus, ut cathena uideretur. AN *hoc*] Diodorus quarto loco huc reuocatus. Primus enim locus fuit Omne falsum impossibile, omne uerum necessarium: secundus de commutatione ueri. SEXCENTIS] Pro innumeris Sexcenta Latini dicere solent. Cicero ad Atticum, Belli periculum, militum improbitas, sexcenta praeterea alia. ET *situm*] cum nondum esset euersa. VERA *est haec enunciatio,*] quasi dicas, non est uera. POTEST *igitur*] quasi dicat, non potest. INSTANTIA:] praesentia. AUT *uerum, aut falsum est*] ut persuadere nitebatur Chrysippus. ESSE *caussas immutabiles*] id quod metuebat Epicurus. FORTUITAE *sunt*] hoc est externae, & antecedentes, non inclusae in rerum natura, sine quibus est ipsa natura, atque mundus. CUM *est uerum*] cum fortuita illa caussa complexa est naturam, & facta naturalis. & hoc est, quod etiam Chrysippus superius dixit. *Si naturalis est* caussa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest. VERUM *non est*] nam Cicerone haec condente iam mortuus erat. ISTI] qui fatum statuunt, ut Chrysippus, in eo, quod dissentit a magistro Cleanthe. NEC *nos*] qui fatum ita statuimus, ut & supersit tertius motus, quo declinari fatum ualeamus. QUIDAM] Syllogismus, qui proxime sequitur, scilicet, Si fatum tibi est, &c. ἀργὸς λόγος: ignaua ratio, sicut superius exposuerat Carneades. INTERROGANTI] Synecdoche est partis pro toto, interrogare enim pro disputare seu differere dicitur. Interrogare autem uidetur, qui ea proponit, quibus respondendum sit. FATUM *est*] Fato decretum, fixum, & ratum. EADEM *ratione*] quae ad omnem rem gerendam accommodari potest. DEINDE *cetera,*] licebit eadem ratione enunciare quaecumque uolueris ad tollendam e uita omnem actionem. HAEC *ratio*] quae ignaua dicitur, quia tollit e uita omnem actionem. A *Chrysippo reprehenditur.*] qui a Cleanthe fatum afferente dissentiebat, ut fortuitas caussas retineret, quamquam ita dissentiebat, ut non uideret in qua caussa consisteret. OEDIPUS] Oedipus natus est ex Laio & Iocasta, quem responderat Apollo patris interfectorem futurum. Ergo infans iussu patris expositus est, ut transfixis pedibus in arbore suspensus. Hinc dictus Oedipus a tumore pedum. Hic postea patrem interfecit, ac matrem uxorem duxit. FUERIT *cum muliere*] pro, Rem habuerit cum muliere, honeste, & uerecunde dicebant Romani, ut auctor est Varro. OLYMPIA] Ita dicebantur certamina Ioui sacra in monte Olympo quincto quoque anno celebrari solita. MILO;] Crotoniates athleta, de quo uide Plin. lib. VII. cap. 20. REFERRET] responderet. REFELLUNTUR.] reprehenduntur.

CICERO

CARNEADES genus hoc totum non probabat, & nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat: itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam: cuius erat haec conclusio. si omnia antecedentibus caussis fiunt, omnia naturali colligatione conserte, contexteq. fiunt. quod si ita est, omnia necessitas efficit. id si uerum est, nihil est in nostra potestate. est autem aliquid in nostra potestate: at, si omnia fato fiunt, omnia caussis antecedentibus fiunt. non igitur fato fiunt, quaecumque fiunt. haec artius adstringi ratio non potest. nam si quis uelit idem referre, atque ita dicere; si omne futurum ex aeternitate uerum est, ut ita certe eueniat, quemadmodum sit futurum, omnia colligatione naturali conserte, contexteq. fieri: nihil dicat: multum enim differt, utrum caussa naturalis ex aeternitate futura uera efficiat; an etiam sine aeternitate naturali; futura quae sint, ea uera esse possint intelligi. itaque dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum caussas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. quid enim spectans deus ipse diceret, Marcellum eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturum? erat hoc quidem uerum ex aeternitate, sed caussas id efficientes non habebat. ita ne praeterita quidem ea, quorum nulla signa tamquam uestigia exstarent, Apollini nota esse censebat: quo minus futura? caussis enim efficientibus quamque rem cognitis, posse denique sciri quid futurum esset: ergo nec de Oedipo potuisse Apollinem praedicere, nullis in rerum natura caussis praepositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset: nec quidquam eiusmodi. quocirca, si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est huiusmodi oracula, ceteraque, quae ad diuinationem pertinent, comprobare; iis autem, qui, quae futura sunt, ea uera esse ex aeternitate dicunt, non idem dicendum est: uide, ne non eadem sit illorum caussa, & Stoicorum. hi enim urgentur angustius: illorum ratio soluta, ac libera est. quod si concedatur nihil posse euenire nisi caussa antecedente: quid proficiatur; si ea caussa non ex aeternis caussis apta ducatur? caussa autem ea est, quae id efficit, cuius est caussa, ut uulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. itaque non sic caussa intelligi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei caussa sit, sed quod cuique efficienter antecedat: nec, quod in campum descenderim, id fuisse caussae, cur pila luderem: nec Hecubam caussam interitus fuisse Troianis, quod Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytemnestram. hoc enim modo uiator quoque bene uestitus caussa grassatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur. ex hoc genere illud est Ennij,

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes.

licuit

sicuti uel altius, utinā ne in Pelio nata ulla umquam esset arbor; etiam supra, utinam ne esset mons ullus Pelius: similiterq. superiora repetentem regredi infinite licet.

Ne ne inde nauis inchoandae exordium
Cepisset.

quorsum haec praeterita? quia sequitur illud,
Nam numquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea animo aegro, amore saeuo saucia;
non ut hae res caussam afferrent amoris.

EXPLANATIO

CARNEADES} Improbat Carneades rationem ignauam. NEC *ullam adhibebat calumniam:*} ueluti Chrysippus, qui rationem ipsam captiosam dicebat. CONCLVSIO} Summa eorum, quae dicebat, tam pro aduersarijs, quam pro se ipso. SI *omnia*} haec pro aduersarijs. EST *autem*} responsio Carneadis, remouentis conclusionem ex antecedentibus caussis, ut ea remota remoueantur, & caussae. OMNIA *ex antecedentibus caussis fiunt*} ut uolunt aduersarij. ARTIVS} strictius translatio a fascibus, qui uinculis adstringuntur. REFERRE} retorquere. MARCELLVM} Cicero lib. II. de Diuinat. Vt si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset esse naufragio periturum, diuinasset profecto. DENIQVE} tum demum. QVOCIRCA} colligit omnia esse liberiora Diodoreis, quam Stoicis. non enim illis necesse est oracula approbare, sicut est Stoicis si sibi constare uelint. Non ex aeternis caussis, quae principales, & antecedentes sunt. QVAE *id efficit, cuius est caussa*} quae proxime antecedit effectum suum. IN *campum descenderim*} in campum Martium, ubi se exercebat Romana iuuentus. Cicero de Orat. Vt in illum Titium, qui, cum studiose pila luderet, & idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesq. cur in campum non uenisset requirerent, excusauit Vesta Terentius, quod eum brachium fregisse diceret. Mars Romanis summo cultu uenerabatur, quod existimarent parentem ipsum fuisse Romuli. Ab ἄρης M, litteram addendo quidam dictum putant. Certe ab ἄρης summum Athenienses de capite iudicium Areopagum, id est Martis pagum uocauere, & in eo iudices Areopagitae. HECVBAM} Priami uxorem, quae praegnans somniauit accensam facem se parere, quae patriam totam inflammaret. ALEXANDRVM} qui rapta Helena Troiae excidij caussa fuit. TYNDAREVM} Tyndarus rex Oebaliae uir Laedae, Tyndareus etiam dicitur. Ouid. VII. Epist.

Me tibi Tyndareus uita grauis & auctor & annis
Tradidit.

CLYTEMNESTRAM} quae Agamemnonem maritum, ab Aegystho Agamemnonem adultero interficiendum curauit.

CICERO

INTERESSE autem aiunt, utrum eiusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit; an eiusmodi, cum quo aliquid effici necesse sit. nulla igitur earum caussa est, quoniam nulla earum rerum sua ui efficit id, cuius dicitur causa: nec id, sine quo quippiam non fit, caussa est; sed id, quod cum accessit, id, cuius caussa est, efficit necessario: non dum enim ulcerato serpentis morsu Philocteta, quae caussa in rerum natura continebatur, fore, ut is in insula Lemno linqueretur? post autem caussa fuit propior, & cum exitu iunctior. ratio igitur euentus aperit caussam: sed ex aeternitate uera fuit haec enunciatio, relinquetur in insula Lemno Philoctetes: nec hoc ex uero in falsum poterat conuerti: necesse est enim in rebus contrarijs duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat) ex his igitur necesse est inuito Epicuro alterum uerum esse, alterum falsum: ut, sauciabitur Philoctetes, omnibus ante saeculis uerum fuit; non sauciabitur, falsum. nisi forte uolumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enunciationes nec ueras, nec falsas esse dicunt: aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius, ueras esse ex contrarijs disiunctiones; sed quae in his enunciata essent, eorum neutrum esse uerum. O admirabilem licentiam, & miserabilem inscitiam disserendi. si enim aliquid in eloquendo nec uerum, nec falsum est, certe id uerum non est. quod autem uerum non est, qui potest non falsum esse? aut quod falsum non est, qui potest non uerum esse? tenebitur id, quod a Chrysippo defenditur, omnem enunciationem aut ueram, aut falsam esse, ratio ipsa coget, & ex aeternitate quaedam uera esse; & ea non esse nexa caussis aeternis, & a fati necessitate esse libera. Ac mihi quidem uidetur, cum duae sententiae fuissent ueterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum uim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit; altera eorum, quibus uiderentur sine ullo fato esse animorum motus uoluntarij; Chrysippus, tamquam arbiter honorarius, medium ferire uoluisse; sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos uolunt. dū autē uerbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati cōfirmet inuitus. atque hoc, si placet, quale sit, uideamus in assensionibus, quas prima oratione tractaui. eas enim ueteres illi, quibus omnia fato fieri uidebantur, ui effici, & necessitate dicebant: qui autem ab his dissentiebant, fato assensiones liberabant; negabantque, fato assensionibus adhibito, necessitatem ab his posse remoueri: ijq. ita disserebant. Si omnia fato fiunt, omnia fiunt antecedente caussa: &, si appetitus, illa etiam, quae appetitum sequuntur, ergo etiam assensiones. at, si caussa appeti-

tus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. quod si ita est, ne illa quidem, quae appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis: non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostra potestate: ex quo efficitur, ut neque laudationes iustae sint, nec uituperationes; nec honores, nec supplicia. quod cum uitiosum sit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quaecumque fiant.

EXPLANATIO

SERPENTIS *morsu* } Alij a serpente ulceratum Philoctetem scribunt: alij cecidisse in eius pedem sagittam Hydrae cruore imbutam. POST *autem* } Posteaquam Lemnum uenit in expeditione belli Troiani. LEMNO } Insula est Aegei maris, ubi Vulcanus colebatur. ab Oriente Troiam spectat, ab Occasu Athon, a Borea Thraciam, ab Austro Cretam. RATIO *igitur* } Scimus enim, quod ex euentu relictus sit in Lemno. AIT *quid*, } Affirmat. ALTERUM *uerum &c.* } Ita in superioribus arguebat Diodorus. TALES *enunciationes* } quae de futuro aliquid dicunt, quod fieri possit, aut non possit. EX *contrarijs* } Sauciabitur, aut, Non sauciabitur Philoctetes, uerum dicebant: nec tamen Sauciabitur, uerum, nec Non sauciabitur, falsum. IN *eloquendo* } in enunciando. TENEBITUR } Concludit contra Epicurum omnem enunciationem esse ueram, aut falsam. AC *mihi* } Declarat plenius Chrysippi sententiam Fatum probantis, necessitatem tamen improbantis, ad eamque rem ponuntur contrariae ueterum sententiae, quarum medium Chrysippus sequi uoluerit. ARISTOTELES } Aut hoc nomen est corruptum; aut alios, qui non exstant, Cicero legit Aristotelis libros. nam in his quidem, quos habemus, non haec, sed ea, quae sequitur sententia defenditur. TAMquam *arbiter honorarius*, } is est, quem litigantes honoris caussa delegerunt disceptatorem controuersiae suae. Haec forensis similitudo declarat, a Chrysippo neutram ueterum sententiarum penitus damnatam, nec omnino etiam probatam esse. MEDIUM *ferire* } Fati necessitatem, quasi Gordianum nodum Chrysippus discindere uoluit; sed in eorum tamen est sententiam propensior, qui uoluntatis motus liberos non coactos putant, cum in Fato necessitatem non ponat, sed propensionem, & inclinationem. DUM *uerbis utitur suis* } dum ipse de ui, & potestate Fati disserit. IN *assensionibus*, } in enunciatis, quae ipse approbat. VI *effici* } ui fatali, quae scilicet contagio naturae afficit, & efficit omnia. DISSEREBANT } argumentabantur. ET, *si appetitus* } subaudi, sunt. Appetitus a Graecis dicitur ὁρμή. Cicero in II. Academ. Nam aliter, inquit, appetitio (eam enim esse uolumus ὁρμήν) qua ad agendum impellimur, & id appetimus, quod est uisum, moueri non potest. ILLA *etiam* } subaudi, sunt. ETIAM *assensiones* } approbationes consensus, quae appetitum sequuntur: nam antequam agamus, id approbamus. NON *est sita in nobis* } quia pendeat a fato. QUOD *cum uitiosum sit.* } Fomentum sit uitiorum nullatenus ferendum.

CICERO

CHRYSIPPUS *autem cum et necessitatem improbare, et nihil uellet sine praepositis caussis euenire, caussarum genera distinguit, ut et necessitatē effugiat, & retineat fatum. caussarum enim, inquit, aliae sunt perfectae, & principales; aliae adiuuantes, & proximae. quamobrem, cum dicimus omnia fato fieri antecedentibus; non intelligi uolumus, caussis perfectis, & principalibus, sed caussis antecedentibus adiuuantibus, & proximis. itaque illi rationi, quam paullo ante conclusi, sic occurrit; si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia caussis fiant antepositis, uerum non principalibus caussis, & perfectis, sed adiuuantibus, & proximis. quae si ipsae non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate: at hoc sequeretur, si omnia perfectis, & principalibus caussis fieri diceremus, ut cum hae caussae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. quamobrem, qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adiungāt, in eos ualebit illa conclusio: qui autem caussas antecedentes non dicunt perfectas, neque principales, in eos nihil ualebit. quod enim dicantur assensiones fieri caussis antepositis; id quale sit, facile a se explicari putant. nam, quamquam assensio non possit fieri nisi commota uiso; tamen, cum id uisum proximam caussam habeat, non principalem, hanc habet rationem, ut Chrysippus uult, quā dudum diximus, non ut illa quidem fieri possit nulla ui extrinsecus excitata, (necesse est enim assensionem uiso commoueri) sed reuertitur ad cylindrum, & turbinem suum, quae moueri incipere, nisi pulsa, non possunt: id autem cum accidit, suapte natura, quod superest, & cylindrum uolui, & uersari turbinem putat. ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, uolubilitatem autem nō dedit: sic uisum obiectum imprimet illud quidem, et speciem suam quasi signabit in animo, sed assensio nostra erit in potestate, eaque, quēadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte ui, & natura mouebitur. quod si aliqua res efficeretur sine caussa antecedente; falsum esset, omnia fato fieri. sin omnibus, quaecumque fiunt, uerisimile est caussam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit? modo intelligatur, quae sit caussarū distinctio, ac dissimilitudo. Haec cum ita sint a Chrysippo explicata; si illi, qui negāt assensiones fato fieri, fateantur tamen eas nō sine uiso antecedēte fieri, alia ratio est: sed, si cōcedūt anteire uisa; nec tamē fato fieri assensiones, quod proxima illa, & continens caussa non moueat assensionem; uide, ne idem dicant. neque enim Chrysippus, concedens assensionis proximam, & continentē*

caussam esse in uiso positam, eam causam esse ad assentiendum necessariam concedet; ut, si omnia fato fiant, omnia fiant caussis antecedentibus, & necessarijs: itemq. illi, qui ab hoc dissentiunt, confitentes non fieri assensiones sine praecursione uisorum, dicent, si omnia fato fierent eiusmodi, ut nihil fieret nisi praegressione causae, confitendum esse fato fieri omnia. ex quo facile intellectu est, cum utrique, patefacta, atque explicata sententia sua, ad eundem exitum ueniant, uerbis eos, non re, dissidere. omninoq. cum haec sit distinctio, ut quibusdam in rebus uere dici possit, cum hae caussae antegressae sint, non esse in nostra potestate, quin illa eueniant, quorum causae fuerint: quibusdam autem in rebus, caussis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut illud aliter eueniat; hanc distinctionem utrique approbant: sed alteri censent, quibus in rebus cum causae antecesserint, non sit in nostra potestate, ut aliter illa eueniant, illas fato fieri: quae autem in nostra potestate sint, ab his fatum abesse.

EXPLANATIO

CHRYSIPPVS *autem* } Declarat, quid Chrysippus inter ueteres medium sequatur. SINE *praepositis* } sine antecedentibus. CAVSSIS *perfectis, & principalibus* } ex quibus scilicet consurgit tertius ille motus, quo Epicurus fatum declinare studebat, quia non sint inclusae in rerum natura, atque mundo. ALIAE *adiuuantes, & proximae* } eae scilicet, ex quibus consurgunt duo illi oppositi motus, qui fiunt sursum, & deorsum infra supremam caussam, quam inanitatem nominat, ut in praecedentibus habetur. ILLI *rationi* } illi ratiocinationi, Si omnia fato fiunt, &c. QVAE *si ipsae non sint* } quae principales caussae iam dictae, quamuis non sint. CVM *hae causae* } principales. INTRODVCVNT, } nimirum proximis caussis. NE *illae quidem* } appetitus. ILLA *conclusio:* } Non sunt assensiones, neque actiones in nostra potestate, &c. COMMOTA *uiso:* } ui cogitatiua, quae species, seu imagines effingit. quam φαντασίαν Graeci nominant. ID *uisum* } ipsa uis commouens. NON *ut illa* } scilicet, assensio. SED *reuertitur, &c.* } Ad peculiare suum exemplum cylindri, ac turbinis, reuertitur Chrysippus, ut ostendat. quod & nos diximus, scilicet assensionem extrinsecus commoueri. CYLINDRVM } Cylindrus est lignea Columella teres, cuius usus in ludo: nam prona in terram iacitur, ut suo circulari motu introrsum pellat, & deijciat ligneas columellas ad circuli circumferentiam erectas. iacitur enim extra circulum. sed ad ipsum paullatim declinat. Ab hac similitudine gemmae pretiosiores nominantur Cylindri. Plinius ultimo lib. de naturali hist. de Berillis scribens, Ideo, inquit, cylindros ex his facere malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine. Consimiliter Solinus idem tradens ait: Indici reges hoc genus gemmarum in longissimos Cylindros amant fingere. Est etiam Cylindrus instrumentum rusticum terrae aequandae paratum, de quo poeta,

Area tum primum est ingenti aequanda Cylindro.

Anaximander uero dixit terram esse formae Cylindraceae. TVRBINEM } Turbo est pyramidale lignum pueris familiare, quod euersum quamdiu loris uerberant circulariter mouetur. QVOD *superest* } deinceps. QVASI *signabit* } Ductum ab anulis signatorijs speciem in cera signantibus. DISTINCTIO } ut quaedam sint principales, & quaedam adiuuantes. AC *dissimilitudo* } nam ex adiuuantibus caussis tantum fatum texitur. NEGANT *fato fieri,* } quia uelint esse liberas. ALIA *ratio est;* } non enim uerbis tantum, sed re etiam dissentirent. EAM *causam* } proximam, & continentem. OMNINOQ. } Repetit distinctionem caussarum principalium, & adiuuantium. SED *alteri,* } scilicet, qui dissentiunt a Chrysippo. AB *his* } subaudi, censet Chrysippus.

CICERO

HOc modo hanc caussam disceptari oportet, non ab atomis errantibus, & de uia declinantibus praesidium petere. Declinat, inquit, atomus. primum cur? aliam enim quandam uim motus habebunt a Democrito impulsionis, quam plagam ille appellat, a te Epicure grauitatis, & ponderis. quae ergo noua caussa in natura est, quae declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? aut cur minimo declinent interuallo, maiore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? optare hoc quidem est, non disputare. nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moueri, & declinare dicis: neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse caussae, cur ea non e regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. ita, cum attulisset nullam caussam, quae istam declinationem efficeret; tamen aliquid sibi dicere uidetur; cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur, ac respuant. Nec uero quisquam magis confirmare mihi uidetur non modo fatum, uerum etiam necessitatem, & uim omnium rerum, sustulisseq. motus animi uoluntarios, quam hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commenticias declinationes confugisset. nam, ut essent atomi, quas quidem esse mihi probari nullo modo potest: tamen declinationes istae numquam explicarentur. nam, si atomis, ut grauitate ferantur, tributum est necessitate naturae; quod omne pondus, nulla re impediente, moueatur, & feratur necesse est: illud quoque necesse est, declinare quibusdam atomis, uel, si nolunt, omnibus, naturaliter.

Multa desunt.

EXPLANATIO

HOc *modo*} Conclusa superiorum concordia reuertitur ad Epicurum, & eius modum philosophandi insectatur. INQVIT} scilicet, Epicurus. PLAGA} Opponitur ponderi: & ambo sunt motus. Ideo superius inquit Cicero. Tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam. Pondus etiam est naturalis motus, qui declinat, & proinde idem quod fatum, ut patet ex illis Ciceronis uerbis paullo superius dictis, nimirum, Plagam potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. SORTIVNTVR *inter se*} Allusio ad sortes, quibus communi consensu uniuersus terrarum orbis diuisus fingitur inter Iouem, Neptunum, & Plutonem. OPTARE} Volentis alicuius, & optantis pronunciatum hoc esse uidetur, non autem disputantis. Ita in Lucullo: Somnia censet haec esse Democriti, non docentis, sed optantis. & II. Tusc. Optare hoc quidem est, non docere. IN *illo inani*,} in uacuo spatio. E *regione ferretur*} adscenderet. sic enim superius, Cum duo indiuidua per inanitatem ferantur, alterum e regione moueatur, alterum declinet. CVM *attulisset nullam causam*} Tertium scilicet motum, qui est extra plagam, & pondus. Hunc enim motum, quia proficiscitur a supremo ambitu, quem inanitatem uocauit. Nullam caussam Epicurus more suo nominat, sibi quidem sapiens, sed reliquis imposturam faciens huiusmodi ludicris. ALIQVID *sibi dicere uidetur*} Vnde scilicet fati declinatio fieret. CVM *hoc dicat, quod omnium mentes aspernarentur.*} Ratio haec est, cur Epicurum inuehat Cicero: Merito autem, reprehendi, & contemni solent, qui in rebus serijs ita dicunt, ut sibi ipsis tantum dicere noluisse uideantur, & suis interim inuolucris alijs negotium facere.



PERILLVSTRI COMITI ALFONSO·BECCARIAE



QVOD maxime mihi erat in optatis, ut aliquam Tibi gratiam referrem, pro multis in me collatis officijs, id nunc euenisse uehementer laetor. Cum enim Papiam superiore anno uenissem, ut illustrem multis nominibus Vrbem uiserem, & Bartholomaeum Capram, Octauianumq. Ferrarium, quos uiros Patris mei testimonio iamdiu colebam, alloqui, eorumq. suauissima consuetudine frui mihi concessum esset; dici uix potest, quantum ornamenti accessisse mihi putarim, cum Tu, quae Tua singularis est humanitas, tam liberaliter Tuam mihi amicitiam detulisses. Ne me existimes hoc auribus Tuis dare. norunt, qui Te norunt, maximam in Te humanitatem conspici; &, cum ex ea Familia sis natus, ex qua Tot illustres Heroes, tamquam ex equo Troiano prodiere, omnium fere maiorum Tuorum uirtutem in Te sitam. quo fit, ut summam Tui nominis celebritatem non solum in celeberrima ista ciuitate, sed etiam apud exteras omnes gentes Tibi compararis. Totos dies recte agendo ducis. nihil Te, uel ex historia, humanae uitae uera custode, uel ex ijs legibus, quae nos bona sequi, mala uitare iubent, fugit. Opportune igitur peritissimo Legum omnium Alfonso Beccariae Commentarium in Ciceronis libros de Legibus dicandum statui. Vt exstet hoc de Tuis uirtutibus, si non quale cupio, aliquod tamen testimonium. Erit fortasse, cum ingrati animi uitio me non laborare affirmabis. Laelium Gauardum, qui tamdiu a me abest, neque tamen, cum istic sit, abesse uidetur, mihi carum, Tibi non ingratum, cupio salutari meo nomine. Ab eius discessu, uel quod reditum properet, uel maximarum occupaiionum caussa, adhuc litteras exspecto, quas tamen frequentes fore promiserat. reliqua Tute nosti, qui meos sensus, & meum in illum animum cognoscis. fac igitur,

tur, quaeso, ut haec illi communia sint. Deus opt. max. prospera Tibi omnia concedat. Venetijs, Nonis Oct. ∞ DXXCIII.

Tibi deuinctissimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.



IN M · TVLLII · CICERONIS DE . LEGIBVS LIBRVM . I.

Commentarius Aldi Mannuccij.



CICERO



VCVS quidem ille, & haec Arpinatium quercus agnoscitur, saepe a me lectus in Mario. si manet illa quercus, haec est profecto. etenim est sane uetus. QVINCTVS. Manet uero, Attice noster, & semper manebit: sata est enim ingenio: nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna, quam poetae uersu, seminari potest. Att. Quo tandem modo, Quincte? aut quale est istud, quod poetae serunt? mihi enim uideris, fratrem laudando, suffragari tibi. Q. Sit ita sane: uerumtamen, dum Latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicatur: eaque, ut ait Scaeuola de fratris mei Mario,

Canescet saeclis innumerabilibus.

nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt: aut, quod Homericus Vlysses, Deli se proceram, & teneram palmam uidisse, dixit, hodie monstrant eandem. multaq. alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. quare glandifera illa quercus, ex qua olim euolauit

Nuncia fulua Iouis, miranda uisa figura,

nunc sit haec: sed, cum eam tempestas, uetustas ue consumpserit, tamen erit his in locis, quam Marianam quercum uocent. Att. Non dubito id quidem: sed haec iam non ex te, Quincte, quaero, uerum ex ipso poeta, tui ne uersus hanc quercum seuerint, an, ita factum, de Mario, ut scribis, acceperis. MARCVS. Respondebo tibi equidem, sed non ante, quam mihi tu ipse responderis, Attice; certe: non longe a tuis aedibus inambulans, post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse, & Quirinum uocari, templumq. sibi dedicari in eo loco iusserit; & uerum ne sit, Athenis, non longe item a tua illa antiqua domo, Orithyiam Aquilo sustulerit. sic enim est traditum. Att. Quorsum tandem, aut cur ista quaeris? M. Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quae isto modo memoriae sint prodita. Att. Atqui multa quaeruntur in Mario, ficta ne, an uera sint, & a non nullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati homine: sed ueritas a te postulatur. M. Et mehercule ego me cupio non mendacem putari: sed tamen isti, Tite noster, faciunt imperite, qui in isto opusculo non ut a poeta, sed ut a teste ueritatem exigant. nec dubito, quin ijdem, & cum Egeria collocutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem impositum putent. Q. Intelligo te, frater, alias in historia leges obseruandas putare, alias in poemate. M. Quippe, cum illa ad ueritatem, Quincte, referatur, in hoc ad delectationem pleraque: quamquam & apud Herodotum, patrem historiae, & apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae. Att. Teneo, quam optabam occasionem, neque omittam. M. Quam tandem, Tite? Att. Postulatur a te iam diu, uel flagitatur potius historia. sic enim putant, te illam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. atque, ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi uideris eorum studijs, qui tuis litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus; ut ea, quae salua per te est, per te eundem sit ornata. abest enim historia litteris nostris, ut & ipse intelligo, & ex te persaepe audio. potes autem tu profecto satisfacere in ea; quippe cum sit opus, ut tibi quidem uideri solet, unum hoc oratorium maxime. Quamobrem aggredere, quaesumus, & sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. nam, post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius, si aut ad Fabium, aut ad eum, qui

tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium uenias: quamquam ex his alius alio plus habet uirium; tamen quid tam exsile, quam isti omnes? Fannio autem aetate coniunctus Antipater paullo inflauit uehementius, habuitq. uires agrestes ille quidem, atque horridas, sine nitore, ac palaestra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic belli, Clodius, Asellio: nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum languorem, & inscitiam.

EXPLANATIO



LVCVS *quidem ille* } Ad dialogum Cicero praeter morem suum descendit absque prooemio. Initium autem sumit ex loci adiunctis, inducens Atticum antiquitatis, & historiae studiosissimum uirum, qui tum primum in Arpinatem agrum uenerit (ut ex lib. II. conijcitur) oculis eum lucum, & quercum agnoscere, de quibus saepe legerat in Ciceronis poemate, cuius inscriptio erat Marius, siquidem in eo Marij popularis, & municipis sui res gestas cecinerat, adhuc adolescens. Is liber paullo post sic citatur: De fratris mei Mario. Et, Atqui multa quaeruntur in Mario. Et I. de Diuinat. Quod apud te est in Mario. *Lucus:* Luci deorum templa priscis temporibus fuere: Scribit enim Tacitus, Germanos ueteres alia nulla deorum templa habuisse, quam Lucos, nemoraque deorum suorum nominibus appellata. Notat & Seruius Manes, & heroum animas, qui Lares uitales dicerentur, lucos tenere. Hinc & Virgil.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Et in VI. de Fast. Ouid.

Adiacet antiquus Tiberino lucus Helernae,
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.
Inde sata est nympha, Cranam dixere priores, &c.

QVERCVS } fortitudinis elogium uidetur, sicut & Robur, & id genus glandiferarum arborum, quae temporis iniuriae diutissime resistunt. Hinc de Ilice Plinius lib. XVII. cap. 44. Vetustior urbe in Vaticano Ilex, in qua titulus aereis litteris Etruscis, religione arborem iam tum dignam fuisse significat. E roboribus natos primos homines fabulati sunt poetae, & glandibus pastos: quae tamen suibus dicatae nunc sunt. ETENIM } Ratio propositionis ex adiunctis. MANET } Amphibologia est: Manet enim quercus fama, non natura. SEMPER *manebit* } semper exsistet. quod autem semper exsistit, a Graecis hoc signo ✱ notatur, αἰὰν exprimitur. FRATREM *laudando suffragari tibi,* } Ad poeticam facultatem satis promptus, Cicero Quincto tamen fratri priores partes tribuit in epistola uicesima tertij libri, & sexdecim diebus quattuor tragoedias ab eo absolutas dicit eiusdem libri epist. uicesima secunda. Ergo, dum Quinctus Marcum poeticae nomine laudat, se ipsum quoque laudat, qui poeta quoque sit, & aeternitate donari putet ea, de quibus poetae memorant. QVAE *Mariana dicatur:* } HAEC paullo post describitur glandifera, ex qua olim euolauit Nuncia fulua Iouis miranda uisa figura. Quernum igitur truncum fuisse, hinc satis constat, e quo Aquila morsu serpentis sauciata fuit, dum Marius augurium captaret, ut in I. de Diuinat.

Hic Iouis altisoni subito pennata satelles
Arboris e trunco serpentis saucia morsu, &c.

An igitur & quercus ea fuit, in qua aquila septem pullos peperit, de quibus in Marij uita Plutarchus? At Plutarchus nihil de quercu loquitur. CANESCET } durabit: translatio. NISI *forte* } Similium collatio, cum ironia. Sic Athenis Olea, Deli palma permansit fama, non natura. ATHENAE *tuae* } De Pomponio Attico ita Cicero in principio lib. V. de Fin. Hic ego, Pomponius quidem, inquam, noster iocari uidetur: & fortasse suo iure. ita enim Athenis se collocauit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiam in uita Attici. SEMPITERNAM *oleam* } Eam intellige, quam in Acropoli cum laetam, & uirentem, tum fructiferam Minerua edidit, & in coronam capitis intorquens omnium calculo suo nomine Athenas nuncupauit. sic enim Plinius lib. XVI. cap. 44. Athenis olea durare creditur, in certamine edita a Minerua. In Acropoli (arcem nominant ueteres Regum tabernaculum, quod munitionis, securitatisq. gratia summis urbium cacuminibus sit exstructum) ante Mineruae simulacrum, quod e caelo delapsum fama tenet, propendebat lychnus aureus Callimachi opus. Eum ubi oleo implessent, eundem anno circumacto diem obseruabant, nec interim deficiebat oleum, etiamsi interdiu, noctuq. colluceret lychnus. Lino carpasio constabat Ellychnium, in id enim nullum omnino ius ignis. In Academiam translatas fuisse oleas, memorat Aristoph. Ἀλλ' εἰς Ἀκαδημίαν κατιὼν, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις. Oleam, si lambendo capra lingua contigerit, depaueritq. primo germinatu, sterilescere, auctor est Varro. Oleae in Syria, & alibi baccas ferunt uuae modo congestas ubertate soli. Fabulantur, Latonam Ioue grauidam, iussu illius ab Aquilone delatam in Ortygiam insulam nobilem, ibi peperisse Dianam, & Apollinem, dum oleam palma teneret. Quidam tamen dicunt, Latonam, in Ortygia, ut feliciter pareret, manu altera palmam, altera oliuam apprehendisse. Insulamque, quae post partum Delos est dicta, adeo firmatam, ut numquam motus aliquos passa sit, ideoque Delium oraculum saxo uetusto fundatum Virgilium scripsisse. HOMERICVS *Vlysses* } Locus est Odyss. de ξ. Nausicaa uirgine, cuius pulchritudinem similitudine Palmae Deliae Vlyxes collaudat.

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.

DELI

Deli *proceram, & teneram palmam* } Plinius lib. xvi. cap. 44. Palma, inquit, Deli ab eiusdem Apollinis aetate conspicitur. Idem lib. xvi. cap. 40. Palma est mollis. Et lib. xiii. cap. 4. Iudaea inclyta est, uel magis palmis. Quare *glandifera* } Definitur quercus illa Mariana suis adiunctis, quod glandifera sit. Nuncia } Periphrasis est aquilae. De aquila ita Plinius lib. x. cap. 4. Romanis eam legionibus C. Marius secundo consulatu suo proprie dicauit. Et lib. x. cap. 4. Negant umquam solum hanc alitem fulmine exanimatam, ideo armigeram Iouis consuetudo indicauit. Et lib. x. cap. iii. Lapis aetites, quem aliqui dixere gagatem ad multa remedia utilis nihil igne dependens. Ex *ipso poeta* } nimirum M. Cicerone. An *ita factum* } An ex historiae fide scripseris de Mario. Certe, *dixerit* } certum ne est, dixerit. Non *longe a tuis aedibus* } Titus Pomponius Atticus in Quirinali monte domum habuit Pamphilianam hereditate sibi relictam a Quincto Caecilio auunculo, non aedificio amenam, sed silua, ut scribit Cornelius Nepos. Post *excessum suum Romulus* } Romulus cum ad Capreae paludem exercitum recenseret, subita cohorta tempestate, tam denso opertus est nimbo, ut conspectus eius concioni eriperetur. Itaque hanc occasionem nacti Patres Regem interemere. Vide Liuium lib. i. ab. v. c. Tua *illa antiqua domo* } Pomponij Attici antiquam domum Athenis ad Ilissum fluuium fuisse coniicimus, cum ad Ilissum Orithyia uirgo Erecthei regis Atheniensium filia ab Aquilone, siue Borea uento rapta sit in Thraciam: ex qua Zeten, Calain, & Cleopatram sustulisse dicitur. Socrates in principio Phaedri fabulam interpretatur, quod Boreas uentus Orithyiam uirginem impetu sui flatus in fluuium praecipitarit. Nihil *sane* } significat tam ueram esse Marianam quercum, quam uera sit ἀποθέωσις Romuli, & raptus Orithyiae: fabulosa nempe, & ficta esse omnia. Et *a nonnullis* } Quo diligentius hunc locum perpendo, eo magis inesse mendum suspicor. Quod *& in recenti memoria* } quia exstant, qui de eo testimonium perhibere possint. Et *in Arpinati homine* } qui in patrio municipio natus facile possit cognosci. Veritas *a te postulatur* } quippe qui eiusdem es municipij, ac de eo scripseris. Isto *opusculo* } in Mario. Sed *ut a teste* } Alius est poeta, alius testis ueritatis. Nec *dubito* } Paria figmenta rursus opponuntur. De Egeria sic Liuius lib. i. Lucus erat, quem medium ex opaco specu perennis rigabat aqua: quo quia se saepe Numa sine arbitris, uelut ad congressum deae, inferebat, Camoenis eum lucum sacrauit, quod earum sibi consilia cum coniuge sua Aegeria essent. Aegeriam autem colebant Romanae matronae, quod egerendo partui praeesset, sicuti & Fluoniam, quod sanguinis fluorem in partu sisteret. Tarquinio } Tarquinio Prisco. Vide Liuium lib. i. Apicem } Pileum. Apex est summitas pilei, qualis erat in flaminis pileo uirga lanata, sed ex parte totum pileum significat. Ita Valerius lib. i. de seruata religione. At Sulpicio inter sacrificandum e capite apex prolapsus ei sacerdotium abstulit. Quippe, } ita profecto. Patrem *historiae* } primarium historicum, qui uberius, & ornatius, quam superiores dixerit. Teneo *quam optabam* } Ex loci proximi occasione Atticus historiam exigit, quasi debitam. In *hoc genere* } historico. Abest *enim* } Ratio finis, nempe laus patriae. Potes } quia orator es. Annales *pontificum maximorum* } Romae pontifices maximi historiam scribebant, ut apud Hebraeos, prophetae; apud Persas, Magi; apud Aegyptios sacerdotes. Iucundius } In cognitione antiquitatis iucunditas. Fabium } Pictorem, litterarum, & antiquitatis bene peritum, ut est in Bruto. Catonem } qui libros Originum scripserat, ut in Bruto. Pisonem } qui annales sane exsiliter scriptos reliquit. Fuit in Bruto. Fannium } annalium scriptorem, de quo in Bruto. Venonium } de quo Cicero lib. xii ad Atticum, At moleste fero Venonij historiam me non habere. Quid *tam exsile* } ratio, quod absit historia Latinis litteris. Antipater } de eo in Bruto, Laelius Antipater scriptor (quemadmodum uidetis) fuit, ut temporibus illis, luculentus, iuris ualde peritus, multorum etiam ut L. Crassi magister. Inflavit } maiorem uocis sonum addidit. Metaphora a tibicinibus. Cicero in Acad. Simul ac inflauit tibicen, a perito carmen agnoscitur. Vires *agrestes* } Hac metaphora innuit Antipatrem bonis quidem sententijs usum, sed inornatis. Ac *palaestra;* } ac sine contentione. Asellio } Sempronius. Asellio, qui sub Aemiliano Scipione tribunus militum ad Numantiam fuit, resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. Vide Gellium lib. ii.

CICERO

Nam, quid Aerum memorem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus, & ineptus, datio * *summa impudentia. Sisenna, eius amicus, omnes, adhuc nostros scriptores, nisi forte qui nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superauit. is tamen neque orator in numero uestro umquam est habitus, & in historia puerile quiddam consectatur: ut unum Clitarchum, neque quemquam praeterea de Graecis, legisse uideatur, eum tamen uelle dumtaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus: hoc a te exspectatur, nisi quid Quincto uidetur secus. Q. Mihi uero nihil: & saepe de isto collocuti sumus: sed est quaedam inter nos parua dissensio. A. Quae tandem? Q. A quibus temporibus scribendi capiat exordium. ego enim, ab ultimis, censeo; quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem: ipse autem aequalem aetatis suae memoriam deposcit: ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. Att. Ego uero huic potius assentior. sunt enim maximae res in hac memoria, atque aetate nostra. tum autem, hominis amicissimi, Cn. Pompeij laudes illustrabit. incurret etiam in illum memorabilem annum suum. quae ab isto malo praedicari, quam, ut aiunt, de Remo, & Romulo. M. Intelligo equidem, a me istum laborem iam diu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur uacuum tempus, & liberum. neque enim occupata opera, neque*

impedi-

impedito animo res tanta suscipi potest. utrumque opus est, & cura uacare, & negotio. Att. Quid? ad cetera, quae scripsisti plura, quam quisquam e nostris, quod tibi tandem tempus uasuum fuit concessum? M. Subsecitia quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior: ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum acommodentur, quae scribimus. Historia uero nec institui potest, nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolui: & ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus traducor alio: neque tam facile interrupta contexo, quam absoluo instituta. Att. Legationem aliquam nimirum ista oratio postulat, aut eiusmodi quampiam cessationem liberam, atque otiosam. M. Ego uero aetatis potius uacationi confidebam: cum praesertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem; senectutisq. non inertis grato, atque honesto fungerer munere. sic enim mihi liceret & isti rei, quam desideras, & multis uberioribus, atque maioribus operae quantum uellem dare. Att. Atqui uereor, ne istam caussam nemo noscat, tibiq. semper dicendum sit, & eo magis, quod te ipse mutasti, & aliud dicendi instituisti genus: ut, quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu cecinderat, ipsasq. tardiores fecerat tibias; sic tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid: ut iam oratio tua non multum a philosophorum lenitate absis. quod sustinere cum uel summa senectus posse uideatur, nullam tibi a caussis uacationem uideo dari. Q. At mehercule ego arbitrabar posse id populo nostro probari, si te ad ius respondendum dedisses. quamobrem, cum placebit, experiundum tibi id censeo. M. Siquidem, Quincte, nullum esses in experiundo periculum. sed uereor, ne, dum minuere uelim laborem, augeam; atque ad illam caussarum operam, ad quam ego numquam, nisi paratus, & meditatus, accedo, adiungatur haec iuris interpretatio; quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam maiorem umquam caussam sum ausus accedere. Att. Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsecinis, ut ais, temporibus, & conscribis de iure ciuili subtilius, quam ceteri? nam a primo tempore aetatis iuri studere te memini, cum ipse etiam ad Scaeuolam uentitarem: neque umquam mihi uisus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius ciuile contemneres. M. In longum sermonem me uocas, Attice: quem tamen, nisi Quinctus aliud quid nos agere mauult, suscipiam; &, quoniam uacui sumus, dicam. Q. Ego uero libenter audierim. quid enim agam potius? aut in quo melius hunc consumam diem? M. Quin igitur ad illa spatia nostra, sedesq. pergimus, ubi cum satis erit ambulatum, requiescemus? nec profecto nobis delectatio deerit, aliud ex alio quaerensibus. Att. Nos uero, & hac quidem adire, si placet, per ripam, & umbram. sed iam ordire explicare, quaeso, de iure ciuili quid sentias. M. Ego ne? summos fuisse in ciuitate nostra uiros, qui id interpretari populo, & responsitare soliti sunt; sed eos magna professos, in paruis esse uersatos. quid enim est tantum, quantum ius ciuitatis? quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quam est populo necessarium? Nec uero eos, qui ei muneri praefuerunt, uniuersi iuris fuisse expertes existimo: sed hoc, ciuile quod uocant, eatenus exercuerunt, quod populo praestare uoluerunt: id autem incognitum, est minus necessarium. Quamobrem, quo me uocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum, ac de parietum iure? aut, ut stipulationum, & iudiciorum formulas componam? quae & scripta a multis sunt diligenter, & sunt humiliora, quam illa, quae a nobis expectari puto.

EXPLANATIO

NAM *quid Acrum memorem?* } Sigonius in Scholijs, quibus Fragmenta Ciceronis, ab ipso diligentissime collecta, illustrauit, pro, Acrum, legendum existimat, Macrum: ut sit C. Licinius Maces, cuius in historia Liuij mentio creberrima. quae me ratio, & quia ex Acrum in Macrum facillima mutatio, facile persuasit, ut assentirer doctissimo uiro, cuius auctoritas, uel sine ulla ratione, plurimi est apud me ponderis. Haec Paullus pater. LIBRARIOLIS *Latinis* } historicorum Latinorum exilitate, & ueluti infantia. DACIO *summa impudensia.* } Si legas, In mendacio, ut eidem Sigonio placet; patebit sententia. & sane mendacij Macrum Liuius lib. VII. uidetur arguere. Haec Paullus pater. Verum, cum hic de ingenio, non de fide historicorum, agat Cicero, mihi magis arridet, quod in uetere libro legitur, Multus, & ineptus, ad summam imprudentiam. SISENNA } historicus fuit, de quo in Bruto. EDIDERVNT } publicarunt. CLITARCHVM } Clitarchus Alexandri comes in Asiam fuit, & gestorum eius scriptor, cuius tamen probatus ingenium, fides infamatur, ut ait Quinctilianus lib. x. cap. I. De eo Cicero IX. epist. II. famil. ita scribit: Quo loco, ut saepe ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit, Darium ab Alexandro esse superatum. QVARE } Absoluta inductione Latinorum historicorum, concluditur historiae postulatio AB *ultimis* } a fundatione urbis, uel eiusmodi alijs longissime a nobis distantibus. AEQVALEM } coaeuam. ILLVM *annum* } Periphrasis est consulatus Ciceroniani, de quo tamen Atticus, & Cicero commentarios iam scripserant, ut est prima epistola secundi ad Atticum. QVAM *de Remo, & Romulo.* } quam de longe a nobis distantibus. NEQVE *enim* } Ratio, cur postulatam historiam recuset scribere. QVID? } Obiectio. SVBSECIVA } Solutio obiectionis ex otio, quod maius in historia requiritus. Subseciua tempora dicuntus, quae a legitimis negotijs subsecantur, & detrahuntur. ANIMI *pendere* } cruciari. LEGATIONEM *aliquam* } Legationes nonnumquam senatores, ut libere in prouincijs adesse possent a procuratione reipub. interdum etiam petebant uoti caussa. AETATIS *uacationi* } Nam senibus uacatio dabatur ab onere forensium. MORE *patrio sedens in so-*

lio, &c. } Videtur eiusmodi iuris interpretationem significare, qualem de Q. Mucio Scaeuola ita meminit in Bruto: Ego autem iuris ciuilis studio multum operae dabam Q. Scaeuolae P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendo docebat. ATQVI } Refutatio uacationis ex opposita caussa. ROSCIVS } De eo Cic. lib. 1. de Orat. Solet idem Roscius dicere, se, quo plus aetatis sibi accederet, eo tardiores tibicinis modos, & cantus remissiores esse facturum. NVMEROS } uersus, carmina. A *philosophorum lenitate* } Mollis est enim philosophorum (ut est in orat.) oratio, & umbratilis, nec sententijs, nec uerbis instructa popularibus, nec iuncta numeris, sed soluta liberius, nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nil mirabile, nihil astutum, casta uerecunda, uirgo incorrupta quodammodo, atque sermo potius quam oratio. QVOD *sustinere* } sententia propositionis: Si sustinere dictionem tuam senectus possit, non dabitur uacatio. SI QVIDEM } Recusatio postulationi iuris interpretandi, ex adiunctione labore. PARATVS } confectis scilicet commentarijs caussarum. COGITATIONEM } meditationem, commentationem. HVNC *diem* } aestiuum, quo perorata dicetur haec quaestio. QVIN *igitur* } occasione aestus diurni decoratur dialogus adiunctis loci ad Platonis imitationem, qui primo legum sedes opacas ad requiescendum proponit. Est illud etiam genus orationis in Phaedro de Ilisso flumine, de aquila, platano, uento, herba. SPATIA *nostra*, } loca deambulationi philosophicae destinata. A deambulatione Peripatetica schola denominationem habet. ALIVD *ex alio quaerentibus* } sermonibus nos inuicem consolantibus, modo ambulando, modo sedendo. NOS *uero* } subaudi, parati sumus. PER *ripam, & umbram*, } per laborem, ac requiem, per suprema, & infima, inter aspera, & lenia. Sic paullo supra in hanc sententiam meminit de procera, & tenera palma. EGO *uero* } Sic loqui solent, qui ad respondendum parati sunt. MAGNA *professos in paruis, &c.* } Videtur imitari Platonem, in cuius libro primo Legum, Hospes Cretensem, & Laconicam respub. reprehendit, quod fortitudinem militarem, particulam uirtutis, non totam uirtutem, legibus suis amplecterentur. QVAM *est populo necessarium* } Hoc ad laudem spectat: Cicero autem contra potius significat: dixit enim: Quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quare suspicor de mendo: nisi si quis εἰρωνικῶς dictum uelit. Muretus continuandam orationem putabat, hoc modo, Consuluntur, cum est populo necessarium? mutatio autem fere nulla. nam, Cum, ueteres scribebant, Quom. Haec Paullus pater. CIVILE, *quod uocant* } Nec enim ius ciuile totum est, quod a ueteribus est descriptum: sed id demum ius ciuile fuerit, quo penitus ciuitas regitur. INCOGNITVM, } populo scilicet.

CICERO

ATT. Atqui, si quaeres, ego quid expectem; quoniam scriptum est a te de optimo reipublicae statu, consequens esse uidetur, ut scribas tu idem de legibus. sic.n. fecisse uideo Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. M. Vis ne igitur, ut ille cum Crete Clinia, et cum Lacedaemonio Megillo, aestiuo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Gnosiorum, & spatijs siluestribus crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerump. ac de optimis legibus disputat; sic nos inter has procerissimas populos, in uiridi opacaq. ripa inambulantes, tum autem residentes, quaeramus ijsdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat? Att. Ego uero ista audire cupio. M. Quid ait Quinctus? Q. Nulla de re magis. M. Et recte quidem. nam sic habetote, nullo in genere, disputando, honeste patefieri, quid sit homini a natura tributum; quantam uim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi, efficiendiq. caussa nati, & in lucem editi simus; quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. his enim explicatis, fons legum & iuris inueniri potest. Att. Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. M. Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caueamus in iure, aut quid de quaque consultatione respondeamus. sit ista res magna, sicut est; quae quondam a multis claris uiris, nunc ab uno summa auctoritate & scientia sustinetur. sed nobis ita complectenda in hac disputatione tota caussa est uniuersi iuris ac legum; ut hoc, ciuile quod dicimus, in paruum quendam & angustum locum concludatur. natura enim iuris explicanda nobis est, eaq. ab hominis repetenda natura: considerandae leges, quibus ciuitates regi debeant: tum haec tractanda, quae composita sunt, & descripta, iura, & iussa populorum: in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae uocantur iura ciuilia. Q. Alte uero, et, ut oportet, a capite, frater, repetis, quod quaerimus: & qui aliter ius ciuile tradunt, non tam iustitiae, quam litigandi tradunt uias. M. Non ita est, Quincte: ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quam scientia. Sed haec posterius, nunc iuris principia uideamus. Igitur doctissimis uiris proficisci placuit a lege: haud scio, an recte: si modo, ut ijdem definiunt, lex est ratio summa, insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetq. contraria. eadem ratio cum est in hominis mente confirmata, et confecta, lex est. itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea uis sit, ut recte facere iubeat, uetet delinquere: eamq. rem illi Graeco putant nomine a suum cuique tribuendo appellatam: ego, nostro, a legendo. nam ut illi aequitatis, sic nos delectus uim in lege ponimus: et proprium tamen utrumque legis est. quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque uideri solet; a lege ducendum est iuris exordium. ea est enim naturae uis, ea mens ratioq. prudentis, ea iuris atque iniuriae regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra uersatur oratio; populariter interdum loqui necesse erit, & eam legem, quae scripto sancit, quod uult, aut iubendo, aut uetando, ut uulgus, appellare. Constituendi uero iuris ab illa

summa

summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino ciuitas constituta. Q. Commodius uero, & ad rationem instituti sermonis aptius. M. Vis ne ergo ipsius iuris ortum a fonte repetamus? quo inuento, non erit dubium, quo sint haec referenda, quae quaerimus. Q. Ego uero ita faciendum esse censeo. Att. Me quoque adscribito fratris sententiae. M. Quoniam igitur eius reipublicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis & seruandus status, omnesq. leges accommodandae ad illud ciuitatis genus; serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda: repetam stirpem iuris a natura; qua duce nobis omnis est disputatio explicanda. Att. Rectissime: & quidem ista duce errari nullo pacto potest. M. Das ne igitur hoc nobis, Pomponi, (nam Quincti noui sententiam) deorum immortalium ui, natura, ratione, potestate, mente, numine, siue quod est aliud uerbum, quo planius significem quod uolo, naturam omnem regi? nam si hoc non probas, ab eo nobis caussa ordienda est potissimum. Att. Do sane, si postulas. etenim, propter hunc concentum auium, strepitumq. fluminum, non uereor, condiscipulorum ne quis exaudiat. M. Atqui cauendum est. solent enim, id quod uirorum bonorum est, admodum irasci. nec uero ferent, si audierint, te primum caput libri optimi prodidisse, in quo scripsit, nihil curare deum, nec sui, nec alieni.

EXPLANATIO

Sic *enim fecisse uideo Platonem* } Argumentum a simili. Illvm *enim* } Tusc. 1. M. Cicero: Etenim, inquit, si nullam rationem afferret Plato, uide quid homini tribuam, ipsa auctoritate me frangeret. Vt *ille* } Hospes Atheniensis disputat in legibus, cum Crete Clinia, & Megillo Lacedaemonio. Hospitem igitur Cicero interpretatur esse Platonem. Aestivo *die in cupressetis* } Locus est primo Legum, ubi a Platone fingitur progressio a Gnosijs ad Iouis antrum, & sacrum. Creta autem ubi cupressleta a Platone asperior, at siluestris describitur. Institvtis } moribus. Nvllo *in genere,* } Attingit capita disputationis. Non *ergo* } A duodecim tabulis ueteres iurisconsulti ciuilis iuris interpretationem incipiebant, & a praetoribus posteriores. Caveamvs } demus operam. Ab *uno* } fortasse a Seruio Sulpicio peritissimo iurisconsulto, quem in Bruto mirum inmodum laudat. Nobis *ita complectenda* } Sic emendauimus ex antiquo libro; cum antea legeretur Noris ista. & infra, ex eodem libro sustulimus dictionem, Naturae; quae erat post, Concludatur. Haec Paullus pater. Natvra *enim* } Partitio quedam est librorum de legibus. Alte, *& ut oportet a capite* } Confirmatio positae partitionis. Laudari se a fratre permittit Cicero: idq. tamen non sine exemplo aliquo sui Platonis, qui cum de repub. Cretica, & Laconica primo legum disseruisset, ita se laudari facit a Clinia: Ὦ ξένε Ἀθηναῖε, οὐ γὰρ Ἀττικὸν ἐθέλοιμ' ἂν προσαγορεύειν. δοκεῖς γάρ μοι τῆς θεοῦ ἐπωνυμίας ἄξιος εἶναι μᾶλλον ἐπονομάζεσθαι: O Hospes Atheniensis, non enim Atticum te uelim nominare, uideris enim deae agnomine potius appellandus esse. Hic Clinias deae, Ἀθηνᾶς nempe, cognomento facit Platonem. A *capite* } a principio. Et *qui aliter, &c.* } ut qui a praetoris edicto, aut a XII. tabulis. non enim ij a capite ius ciuile quaerunt, ut breuiter enunciare possint ratas sententias ad beate uiuendum. Non *ita est* } Correctio ex dissimili. Doctissimis *uiris* } philosophos intelligit, quos III. legum significat sibi propositos fuisse. Lex *est ratio* } Legis definitio. Svmma } perfecta, & absoluta. Insita *in natura* } Ad hanc definitionis partem refertur reliqua primi libri disputatio. Confecta } definita. Itaqve } E legis definitione concluditur, prudentiam esse legem, & notatio nominis Graeci, ac Latini profertur. A *legendo* } hoc est, colligendo. Aeqvitatis } iustae distributionis. Delectvs *uim* } libere colligendi uim. Vtrvmqve } scilicet ius distribuens, & uis colligens. Religio autem a Relegendo alibi deducta est, ut sit distributorum recollectio. Qvod *si ita* } Concluditur a legis definitione recte duci legis exordium. hinc initio secundi Cicero: Nihil porro, inquiet, tam aptum est ad ius, quod cum dico, legem a me dici intelligi uolo. Exordivm } origo. Sed *quoniam* } Prolepsis quaedam est, quod populus secus legem sibi definiat, & nullam legem nisi scriptam intelligat. Constitvendi *uero iuris* } Contra populi abusum definienda lex a natura. Nata } sic pro Milone eleganter, & magnifice lex naturalis describitur: Est enim, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Qvam *scripta lex ulla* } Cum patres Romae, plebsq. de legibus diutius contendissent, tandem placuit aequandae libertatis caussa tres legatos Athenas mitti: qui Solonis inclytas leges describerent, & aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, iuraq. noscerent: Itaque a decemuiris primum decem tabulae compositae sunt: quibus duae post adiectae summam Romani iuris compleuerunt, & hae leges decemuirales, quibus Tabulae XII. est nomen. in aes incisae sunt, & in publico propositae. Vide Liuium lib. III. Serendi *etiam mores* } serenda est politica uita, ut ciues sint beati secundum naturam. Repetam *stirpem* } repetam originem. Ista *duce* } Natura, quos ducit, errare non permittit. In hoc sumus sapientes (ait in senectute Cato) quod naturam optimam ducem, tamquam deum sequimur eique paremus. Quid enim est aliud, Gygantum more bellare cum dijs, nisi naturae repugnare? Das *ne* } Postulatur ab Attico prouidentia deorum mundum regi, quia, ut Epicurus otiosos esse deos, nec sibi, nec alteri negotij quidquam exhibere docuerat. Nam *Quincti noui sententiam* } qui Stoicos imitatus deorum prouidentiam multis argumentis probauerit, lib. 1. de diuinat. Do *sane* } concessio iocularia ex adiunctis loci Epicureae personae congruis. Flvminvm } Liris, & Fibreni. Condiscipvlorvm } consectantium Epicuri doctrinam. Virorvm *bonorum est irasci* } Simplicium est uirorum, ut, qui ratione non possunt, iracundia sectas suas propugnare soleant. De Epicureis autem ita Cicero Tusc. 1. Multi iam esse libri Latini dicuntur scripti inconsiderate, ab optimis illis quidem

dem uiris, sed non satis eruditis. Te *primum caput libri optimi prodidisse* ⁆ Defecisse a dogmate, quod Epicurus scripsit primo capite libri, cuius quidem Cicero meminit 11. de Fin. dum Epicureus alloquitur; Quis enim uestrum ait, non edidicit κυρίας δόξας, id est maxime ratas, quia grauissimae sunt, & ad beate uiuendum breuiter enunciatae sententiae? Libri *optimi* ⁆ Nisi, Viri, Legas, non erit, unde pendeat uerbum, Scripsit. Hactenus enim de Epicureis, non de uno Epicuro, locutus est. In *quo scripsit, &c.* ⁆ Epicuri uerba ἐν ταῖς κυρίαις δόξαις: τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Hinc lib. 1. de diuinat. ita inquit Cicero, Video nonnullis uideri Epicurum ne in offensionem Atheniensium caderet, uerbis reliquisse deos, re sustulisse.

CICERO

ATT. Perge, quaeso: nam id, quod tibi concessi, quorsum pertineat, exspecto. M. Non faciam longius. huc enim pertinet: Animal hoc, prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, quem uocamus hominem, praeclara quadam condicione generatum esse a summo deo. solum est enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, & cogitationis; cum cetera sint omnia expertia. quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo, atque terra, ratione diuinius? quae cum adoleuit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia. est igitur (quoniam nihil est ratione melius, eaq. & in homine, & in deo) prima homini cum deo rationis societas: inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est: quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum dijs putandi sumus: inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est: quibus autē haec sunt inter eos communia, & ciuitatis eiusdem habendi sunt: si uero ijsdem imperijs, & potestatibus parent, multo etiam magis. parent autem huic caelesti descriptioni, mentiq. diuinae, & praepotenti deo: ut iam uniuersus hic mundus, una ciuitas communis deorum, atque hominum existimanda sit. & quod in ciuitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoq. praeclarius, ut homines deorum agnatione, & gente teneantur. nam, cum de omni natura quaeritur, disputari solent nimirum ista; perpetuis cursibus, conuersionibus caelestibus extitisse quandam maturitatem serendi generis humani; quod sparsum in terras, atque satum, diuino auctum sit animorum munere: cumq. alia, quibus cohaererent homines, e mortali genere sumpserint, quae fragilia essent, et caduca: animum tamen esse ingeneratum a deo; ex quo uere uel agnatio nobis cum caelestibus, uel gens, uel stirps appellari potest. itaque ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei: ipsisq. in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae nō, etiam si ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur, & agnoscat. Iam uero uirtus eadem in homine, ac deo est, neque alio ullo ingenio praeterea. est autem uirtus nihil aliud, quam in se perfecta, & ad summum perducta natura. est igitur homini cum deo similitudo. quod cum ita sit; quae tandem esse potest propior, certior ue cognatio? itaque ad hominum commoditates, et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata uideantur; nec solum ea, quae frugibus, atque baccis terrae fetu profunduntur, sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad uescendum procreatas. Artes uero innumerabiles repertae sunt docente natura. quam imitata ratio, res ad uitā necessarias sollertia consecuta est. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit; sed etiam sensus tamquam satellites attribuit, ac nūcios: et rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enudauit; quasi fundamenta quaedam scientiae; figuramq. corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. nam, cum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad caeli, quasi cognationis, domiciliq. pristini, conspectum excitauit: tum speciem ita formauit oris, ut in ea penitus recōditos mores effingeret. nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur; & is, qui appellatur uultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores: cuius uim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates, habilitatesq. reliqui corporis, moderationem uocis, orationis uim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis. neque enim omnia sunt huius disputationis, ac temporis: & hunc locum satis, ut mihi uidetur, in ijs libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc, quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse uoluit, generauit, & ornauit deus; perspicuum sit illud, ne omnia differantur, ipsam per se naturam longius progredi: quae, etiam nullo docente, profecta ab ijs, quorum ex prima, & inchoata intelligentia genera cognouit, confirmat ipsa per se rationem, & perficit.

EXPLANATIO

Multiplex ⁆ eruditus, multiplicitati opponitur simplicitas, & bonos uiros simplices, & non satis eruditos dicimus. Solum *est enim* ⁆ Arist. lib. 1. Polit. λόγον δὲ μόνον ὁ ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων. Non *dicam in homine* ⁆ supra enim dixit legem in hominis mente confirmatam esse prudentiam. Perfecta *est* ⁆ nihil ineruditionis habens. Rationis *societas:* ⁆ Idem in compendio sententiarum Stoicarum scri-

bit Arius, κόσμον πόλιν εἶναι ἐκ θεῶν, καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσαν κοινωνίαν δ' ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὅ ἐστι φύσει νόμος. LEGE *consociati homines cum dijs* } hinc a Legendo Legem deduxit, & a Relegendo Religionem: quae ciuitatum fundamentum dicitur. CAELESTI *descriptioni*, } sapientiae. VNIVERSVS *hic mundus* } natura colligens summa, & infima. VNA *ciuitas* } Stoici, ut patet III. de Fin. censent mundum quasi communem ciuitatem hominum & deorum, & unumquemque nostrum huius mundi esse partem. AGNATIONE } Proprie agnatio est propinquorum per uirilis sexus consanguinitatem coniunctio. Nam mulier, ut ait Paullus iurisconsultus, familiae suae & caput; & finis est. GENTE } Gentiles uulgata significatione nobiles appellantur, ita a plebeijs distincti, ut ij aliquando stirpis nomine uideantur appellari quasi plantalem tantum uitam non etiam animalem degerent. Facit cum hac ratione Hominis uocabulum apud Graecos, qui eum ἄνθρωπον, hoc est arborem euersam dixere. Facit etiam, quod Cicero in Timaeo sic scribit: In quibus, qui tales creantur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, diuini generis appellentur, teneantq. omnium animantium principatum. DE *omni natura* } de communi natura. DISPVTARI *solent nimirum ista*; } Vetus liber Maffei habet, Disputari solet nimirum ista: unde mihi orta coniectura est, Nimirum ista, glossam fuisse, eamq. omnino esse inducendam: quod tamen prius non adducar, ut faciam, quam id mihi per antiquos libros licere perspiciam. Haec Paullus pater. PERPETVIS } perennibus, numquam intermittentibus. MATVRITATEM } opportunitatem. GENERIS *humani*; } seminis, ex quo homo generaretur. AVCTVM } uegetatum. ITAQVE *ex tot &c.* } Ex proprietate diuinae notitiae probatur humanum animum a Deo ingeneratum. EFFICIVNT } concludunt. VIRTVS *eadem* } sed Platonici, quae in deo sunt, in homine summissiora censent. Aiunt Stoici igniculos nobis quosdam uirtutum natura insitos esse, qui cum adulti sunt perfectam uirtutem efficiunt. EST *autem uirtus* } Definitio uirtutis, sic V. de Fin. ex Academica sententia definitur uirtus rationis absolutio. Arist. lib. VII. cap. 15. ὁ δὲ λόγος &c. EST *igitur* } Concluditur agnatio deorum, & hominum. ITAQVE *ad hominum* } Continuatur eadem disputatio longa beneficiorum diuinorum erga homines inductione, ex qua pateat illa dei parentis in homines filios agnatio. ARTES } Platonis in Gorgia sententia est, artes omnes imitatione, obseruatione, & experientia repertas esse. CELERITATE } Thaleti attribuitur apud Laertium illud, τάχιστον νοῦς, διὰ παντὸς γὰρ τρέχει. Velocissimum mens; per omnia enim permeat. INTELLIGENTIAS } notiones mente perceptas. AD *caeli conspectum* } ut mente naturam caelestem consideraret. ORIS } faciei, uultus. ARGVTI } indicium praebentes indicari. NOMEN *omnino non habent.* } Graecam linguam in ceteris locupletissimam in re tam familiari indigum fuisse tam mirabile uidetur, ut potius consulto id factum fuisse, facile suspicari possit. De uultu sic in Pisonem Cicero: Non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt: oculi supercilia, frons, uultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est. OMITTO } longiorem diuinorum beneficiorum inductionem perstringit. CONCILIATRIX } Sic a Cicerone Orat. II. Sed tantam uim habet illa, quae a bono poeta dicta est, flexanima, atque omnium regina rerum Oratio. IN *ijs libris* } Lib. VI. de rep. ut ait Lactant. de opificio cap. I. NVNC, *quoniam* } Concluditur princeps quaestio, cur homo ad legem naturaliter tendit. PRINCIPIVM } nobilissimum. LONGIVS } ad maiorem gradum nobilitatis. INCHOATA } imperfecta.

CICERO

ATT. Dij immortales, quam tu longe iuris principia repetis, atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae exspectabam a te de iure ciuili; sed facile patiar, te hunc diem uel totum in isto sermone consumere. sunt enim haec maiora, quae aliorum caussa fortasse complecteris, quam ipsa illa, quorum haec caussa praeparantur. M. Sunt haec quidem magna, quae nunc breuiter attinguntur: sed omnium, quae in hominum doctorum disputatione uersantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse ius. id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem, coniunctionemq. perspexeris. nihil est enim unum uni tam simile, tã par, quam omnes inter nosmetipsos sumus. quod si deprauatio consuetudinum, si opinionum uanitas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocumque coepisset: sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium. itaque, quaecumque est hominis definitio, una in omnes ualet. quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere: quae si esset, non omnes una definitio contineret. etenim ratio, qua una praestamus belluis, per quam coniectura ualemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certe est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. nam & sensibus eadem omnia comprehenduntur: & ea, quae mouent sensus, itidem mouent omnium: quaeq. in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intelligentiae, similiter in omnibus imprimuntur: interpresq. est mentis oratio, uerbis discrepans, sententijs congruens. nec est quisquam gentis ullius, qui, ducem nactus, ad uirtutem peruenire non possit. Nec solum in rectis, sed etiam in prauis actibus insignis est humani generis similitudo. nam & uoluptate capiuntur omnes: quae etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturalis boni. leuitate enim, & suauitate delectans, sic ab errore mẽtis tamquam salutare aliquid adsciscitur. Similiq. inscitia mors fugitur, quasi dissolutio naturae; uita expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continet: Dolor in maximis malis ducitur, cum sua asperitate, tum quod naturae interitus uidetur sequi. Propter honestatis, & gloriae similitudinem, beati, qui honorati sunt, uidentur; miseri autem, qui inglorij. Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores similiter omnium mentes peruagantur. Nec, si opiniones aliae sunt apud

alios,

alios, iecirco, qui canem, & felem, ut deos, colunt, non eadem superstitione, qua ceterae gentes, conflictantur: Quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficij memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos nõ aspernatur, non odit? Quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur; illud extremum est, quod recte uiuendi ratio meliores efficit. Quae si approbatis, pergam ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus prius. Att. Nos uero nihil: ut pro utroque respondeam. M. Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumq. inter omnes, iustos natura nos esse factos: (atque hoc in omni hac disputa- tione sic intelligi uolo, quod dicam naturam esse) tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati, exorianturq. & confirmentur uicia contraria. quod si, quo modo est natura, sic iudicio homines humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent: coleretur ius aeque ab omnibus. quibus enim ratio natura data est, ijsdem etiam recta ratio data est: ergo & lex, quae est recta ratio in iubendo, & uetando: & si lex, ius quoque. at omnibus ratio: ius igitur datum est omnibus. recteq. Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem a natura seiunxisset. id enim querebatur caput esse exitiorum omnium, unde est illa Pythagorica uox, * Ex quo perspicitur, cum hanc beneuolentiam, tam late, longeq. diffusam, uir sapiens in aliquem pari uirtute praeditũ contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile uideatur, sit autem necessarium, ut nihilo sese plus, quam alterum, diligat. quid enim est, quo differat, cum sint cuncta paria? quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit; amicitiae iam nomen occiderit: cuius est ea uis, ut, simul atque sibi aliquid, quam alteri, maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni, disputationiq. nostrae, quo facilius ius in natura esse positum intelligi possit. de quo cum perpauca dixero, tum ad ius ciuile ueniam, ex quo haec omnis est nata oratio.*

EXPLANATIO

QVAM *longe* } quam alte. COMPLECTERIS } perstringis. HOMINVM *doctorum* } Philosophorum. AD *iustitiam* } ad cultum iustitiae. QVOD *si* } Docet unde dissimilitudo inter homines esse uideatur, argumentatque naturalem hominem societatem, unde naturalem quoque legem esse constet, ex similitudine hominum inter se communi, nempe definitione, ratione, rationisq. communibus instrumentis, sensibus, intelligentijs inchoatis, oratione, communi natura, communibus affectibus, communi tum uirtutum amore, tum uitiorum odio. IN *genere* } in natura. QVAE *mouent sensus* } Periphrasis est sensilium. INTERPRES } nuncia. VERBIS *discrepant* } non enim uerba apud omnes eadem sunt, sed sensa, quia a natura proficiscuntur. ILLECEBRA *turpitudinis* } definitio uoluptatis. Illecebra, *δέλεαρ κακῶν*; esca malorum in Timaeo dicitur, de quo sic de Senectute Cicero: Diuine enim Plato escam malorum uoluptatem appellat, quod ea uidelicet homines capiantur, uelut hamo pisces. QVI *canem &c.* } De ijs superstitionibus ample Iuuen. Satyra xv. ILLVD *extremum est, quod recte uiuendi ratio meliores efficit.* } Hoc uidetur dicere: Illud extremum est, recte uiuendi ratione meliores effici. ad hanc sententiam, si quis usum, & proprietatem Latinae linguae tenet, profecto intelliget, non recte accommodari, Quod, quamquam, cum alia einsdem generis exempla intueor, ambigo, quid sentiam: quae collegimus in Commentarijs nostris epist. ad Atticum, cum illud in epistola ultima lib. x i. interpretaremur, Quod minimum uellem spiritum reliquum esse, Haec Paullus pater. *Illud extremum est*: illud concludendum relinquitur. *Recte uiuendi ratio*: quae summa, & conclusio legis est, meliores enim efficiens homines, uidetur hominis naturae congruere. SEQVITVR *igitur* } nimirum in ordine quaestionum propositarum. IVSTOS *natura nos esse factos* } id est, ad iustitiam nos esse natos, ut antea: Nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi nos ad iustitiam esse natos. QVOD *dicam naturam esse.* } Fortasse glossema fuit, Quod dicam natura esse: ut explanaretur illud proxime dictum, Iustos natura nos esse factos. Haec Paullus pater. CORRVPTELAM } Antea dixit: Quod si deprauatio consuetudinum, &c. IGNICVLI *exstinguantur* } Corruptelam, siue turpitudinem, aut deprauationem qua Stoici exstingui censent uirtutis igniculos, consentaneum est ab eisdem existimatam fuisse aqueam. VT *ait poeta,* } Terentium innuere uidetur, in cuius comoedia, Heaut. Chremes sic inquit: Homo sum, humani a me nihil alienum puto. RECTEQ. *Socrates* } Cicero lib. i i i. de offic. Itaque accepimus Socratem exsecrari solitum eos, qui haec naturae cohaerentia opinione distraxissent: cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut quidquid honestum esset, id utile esse censerent: nec utile quidquam, quod non honestum. PYTHAGORICA *uox* } *τὰ τῶν φίλων κοινὰ φιλίαν ἰσότητα* Res amicorum communes, & amicitiam aequalitatem. QVID *enim* } Argumentum a contrario. PRAEMVNIVNTVR } praeparantur, corroborantur. DISPVTATIONIQ. *nostrae* } nimirum de iure ciuili.

CICERO

*Q. Tu uero iam perpauca scilicet, ex his enim, quae dixisti, Attico * uidetur, mihi quidem certe, ex natura ortum esse ius. Att. An mihi aliter uideri possit, cum haec iam perfecta sint? primum, quasi muneribus deorum nos esse instructos, & ornatos: secundo autem loco, unam esse hominum inter ipsos uiuendi parem, communemq. rationem: deinde, omnes inter se naturali quadam indulgentia, & beneualentia, tum etiam societate iuris contineri. quae cum uera esse, recte, ut arbitror, con-*

 cesserimus;

cesserimus; qui iam licet nobis a natura leges, & iura seiungere? M. Recte dicis; & res se sic habet: uerum philosophorum more, non ueterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, quae fuse olim disputabantur, ac libere, ea nunc articulatim, distincteq. dicuntur. nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim, hoc ipsum naturae esse ius, disputarint. Att. Et scilicet tua libertas differendi amissa est: aut tuis es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas. M. Non semper ita: sed, iter huius sermonis quod sit, uides: ad resp. firmandas, & stabiliendas iure, sanandos populos, omnis nostra pergit oratio. quocirca uereor committere, ut non bene prouisa, & diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur: nam id fieri non potest: sed ut ijs, qui omia recta, atque honesta per se expetenda dixerunt; & aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per se ipsum laudabile esset; aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi quod uere laudari sua sponte posset. His omnibus (siue in Academia uetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt: siue Aristotelem, & Theophrastum, cum illis re congruentes, genere docendi paullum differentes, secuti sunt: siue, ut Zenoni uisum est, rebus non commutatis immutauerunt uocabula: siue etiam Aristonis difficilem, atque arduam, sed iam tamen fractam, & conuictam sectam secuti sunt, ut, uirtutibus exceptis, atque uitijs, cetera in summa aequalitate ponerent) his omnibus haec, quae dixi, probentur. sibi autem indulgentes, & corpori deseruientes, atque omnia, quae sequantur in uita, quaeq. fugiant, uoluptatibus, & doloribus ponderantes, etiam si uera dicunt, (nihil enim opus est hoc loco litibus) in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate reip. cuius partem nec norunt illam, nec umquam nosse uoluerunt, paullisper facessant, rogemus. perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila, & Carneade recentem, exoremus; ut sileat. nam, si inuaserit in haec, quae satis scite nobis instructa, & composita uidentur, miras edet ruinas: quam quidem ego placare cupio, submouere non audeo. * Nam & in ijs sine illius suffimentis expiati sumus. at uero scelerum in homines, atque impietatum, nulla expiatio est. itaque poenas luunt, non tam iudicijs, quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt; ubi sunt tamen, persaepe falsa sunt; quam ut eos agitent, insectenturq. furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae, fraudisq. cruciatu. quod si homines ab iniuria poena, non natura, arcere deberet: quaenam solicitudo uexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus; aut iusti sui doloris caussam aliquam fingeret, defensionemq. facinoris a naturae iure aliquo quaereret. quae si appellare audent impij, quo tandem studio colentur a bonis? quod si poena, si metus supplicij, non ipsa turpitudo, deterret ab iniuriosa, facinorosaq. uita: nemo est iniustus; at incauti potius habendi sunt improbi. tum autem; qui non ipso honesto mouemur, ut boni uiri simus, sed utilitate aliqua, atque fructu; callidi simus, non boni. nam, quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi testem, & iudicem? quid in deserto loco, nactus quem multo auro spoliare possit, imbecillum, atque solum? noster quidem hic, natura iustus uir, ac bonus, etiam colloquetur, iuuabit, in uiam deducet: is uero, qui nihil alterius caussa faciet, & metietur suis commodis omnia, uidetis, credo, quid sit acturus. quod si negabit se illi uitam erepturum, & aurum ablaturum: numquam ob eam caussam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malam habeat. o rem dignam; in qua non modo docti, uerum etiam agrestes erubescant. Iam uero illud stultissimum, existimare omnia iusta esse, quae scita sint in populorum institutis, aut legibus: etiam ne, si quae sint tyrannorum leges? si triginta illi Athenis leges imponere uoluissent; aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus; num iccirco, hae leges iustae haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem uellet ciuium, indicta caussa impune posset occidere. est enim unum ius, quo deuincta est hominum societas, & quod lex constituit una, quae lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, siue illa est scripta uspiam, siue nusquam.

EXPLANATIO

TV *uero* } Assensione Attici Epicurei, & Quincti Stoici confirmatur illa conclusio, Ius natura esse positum. ATTICO * *uidetur* } Tale quippiam suspicor deesse, Vt opinor. Vt ita continuata oratione legatur: Attico, ut opinor, uideatur, mihi quidem certe, ex natura ortum esse ius. nam illud, Mihi quidem certe, anteire significat: Vt opinor, uel aliquid eiusmodi. Haec Paullus pater. AN *mihi aliter* } Attribuitur Attico ad confirmandum eius assensionem epilogus trium antecedentium argumentorum. NON *ueterum* } ut Thaletis, Heracliti, Democriti, Anaxagorae, &c. SED *eorum* } ut Platonis, & Aristotelis. ET *scilicet* } Resistitur factae praemunitioni ex adiunctis: Tu liber es, nec soles aliorum opiniones curare. NON *semper* } Profitetur Cicero plerumque ut in quaestionibus Academicis, Natura deorum, Diuinatione Academicum se esse, interdum uero ut hic, de omnibus sectis sequitur, quod sibi commodius est, ad finem disputationis ad omnes populos spectantis. IIS, *qui omnia recta, &c.* } ut Platonici, Peripatetici, Stoici, Aristonij. ET *aut nihil omnino* } ut Stoici. AVT *certe nullum* } ut Platonici, & Peripatetici. SIVE *in Academia uetere* } Platonica doctrina. Cum Speusippo, Xenocrate, Polemone, hi in Academia Platonis gymnasio successerunt. Polemo e luxurioso constantissimus philosophus effectus est. Vide Laertium. Aristoteles uero in Lyceo altero gymnasio docuit, in eodemque Theophrastus, & eius successores. RE *congruentes* } Ita & in l. Academ. Vna,

&

& consentiens duobus uocabulis philosophiae forma instituta est Academicorum, & Peripateticorum; qui rebus congruentes nominibus differebant. ARISTONIS } Aristo Zenonis auditor fuit, de quo Cicero lib. II. de Fin. Quae prima natura appetit, Aristoni, & Pyrrhoni uisa sunt pro nihilo, ut inter optime ualere, & grauissime aegrotare nihil dicerent interesse: contra quos recte iam diu desitum est disputari. HAEC *quae dixi probentur* } Profitebuntur legem esse naturalem, iusque non opinione hominum, sed natura constare, quoniam quod est honestum ducunt expetendũ per se, suaque natura, non opinione. SI UI *autem indulgentes* } Epicureos innuit. IN *hortulis* } in hortulis suis Epicurus Athenis philophatus, eos testamento legauit sectatoribus suis: De his in Fin. sic Atticus loquitur: Sum equidem multum cum Phaedro in Epicuri hortis, cuius imaginem nõ solum in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & anulis habent. AB *omni societate reip. facessant* } ne his opinionibus perturbent animos ciuium. lib. I. de Fin. ait, Vellem equidem, aut ipse doctrinis fuisset instructior (est enim non satis politus ijs artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur) aut ne deterruisset alios a studijs. ACADEMIAM *recentem* } quae res ab alijs decretas, & firmatas in utrumque partem uersabat. EGO } ut uetus Academicus. SUBMOVERE *non audeo* } improbare non audeo: potest enim disputationibus suis aliquid emendare, quod perperam affirmatum sit, sed in ijs, quae instruximus, & composuimus, cupio ut quiescat. NAM *sine illius suffimentis expiati sumus* } Metaphora a sacerdotibus sumpta, qui a noxijs, & fraudibus expiabant, quae poterant expiari. innuit, nihil sceleris contineri in his, quae instruxit, & composuit, sed neque indigere illius expiationibus. nam, cum ius naturale esse statuatur; nullibi possunt impij tacitum iudicium conscientiae subterfugere. QUAE *quondam* } ut aurea aetate, de qua Ouid. I. Metamorph.

Aurea prima sata est aetas, quae uindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.

MULTIFARIAM } multis in locis. PRAESEPE *falsa sunt* } hinc quidam Leges araneorum telis persimiles dixit. IN *fabulis* } In tragoedia furiae Orestem insectantur. SED *angore conscientiae* } Ouid. Fast. I.

Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.

QUOD *si homines* } si ius non esset naturale, remoto supplicij metu, nullus esset impijs, conscientiae terror. QUORUM *tamen* } Remoto supplicij metu, tamen conscientiae terror superest impijs. QUAE *si appellare audeat impij. &c.* } Si, inquit, impij confitentur haec iudicia a natura proficisci, quanto magis id facere debent boni? CALLIDI } Cicero lib. III. de Natura deo. Versutos, inquit, appello, quorum mens celeriter uersatur: callidos autem, quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluit. NAM *quid* } Dissimilitudo iusti, & incauti. NOSTER *quidem* } Iustus si omnes peccandi occasiones habeat, a iustitia tamen numquam discedet. IS *uero* } Iniustus si nil nocuerit, calliditatis caussa, non iustitiae id aget. IAM *uero* } In eos disputat, qui ius nihil aliud esse censent, quam quod lege cautum est: ut hominum institutis, non natura constare uideatur. TRIGINTA *illi Athenis* } Historia est apud Iustinum lib. V. INTERREX *noster* } L. Flaccum intelligit, de quo in Rullum sic loquitur: Omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, ut omnia, quaecumque ille fecisset, essent rata. Etiam regibus exactis Romae dicebatur Interrex, qui, propter absentes, aut mortuos consules, nouis consulibus creandis, aut dictatori creando comitijs praeerat, ut tum L. Flaccus.

CICERO

QUOD si iustitia est obtemperatio scriptis legibus, institutisq. populorũ; et si, ut ijdem dicunt, utilitate omnia metienda sunt; negliget leges, easq. perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. ita fit, ut nulla sit omnino iustitia, si neq. natura est, & ea, quae propter utilitatem constituitur, utilitate alia conuellitur. Atque, si natura confirmatura ius non erit, uirtutes omnes tollantur. ubi enim liberalitas? ubi patriae caritas? ubi pietas? ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae uoluntas poterit exsistere? nam haec nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligendos homines; quod fundamentum iuris est. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos caerimoniae, religionesq. tolluntur: quas non metu, sed ea coniunctione, quae est homini cum deo, conseruandas puto. quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententijs iudicum, iura constituerentur; ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragijs, aut scitis multitudinis probarentur. quae si tanta potestas est stultorum sententijs, atque iussis, ut eorum suffragijs rerum natura uertatur: cur non sanciunt, ut, quae mala perniciosaq. sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus? aut cur, cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere nõ possit ex malo? atqui nos legem bonam a mala nulla alia, nisi naturae, norma diuidere possumus: nec solum ius, & iniuria natura dijudicatur; sed omnino omnia honesta, ac turpia. nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, easq. in animis nostris inchoauit, ut honesta in uirtute ponantur, in uitijs turpia. Haec autem in opinione existimare, non in natura posita, uere dementis est, nam nec arboris, nec equi uirtus quae dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est; sed in natura. quod si ita est; honesta quoque, & turpia natura dijudicanda sunt. nam, si opinione uniuersa uirtus, eadẽ eius etiam partes probarentur. quis igitur prudentem, &, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim uirtus perfecta ratio: quod certe in natura est: igitur omnis honestas eodem modo. nam, ut uera & falsa, ut consequentia & contraria sua sponte, non aliena, iudicantur; sic constans, & perpetua ratio uitae, quae est uirtus,

tur, itemq. inconstantia, quod est uitium, sua natura probatur. Nos ingenia iuuenum non item ad ingenia: natura uirtutes, & uitia, quae exsistunt ab ingeniis, iudicabuntur. an ea non aliter? honesta, & turpia non ad naturam referri necesse erit? Quod laudabile bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est. ipsum enim bonū non est in opinionibus, sed in natura: nam, ni ita esset, beati quoque opinione essent. quo quid dici potest stultius? Quare, cum & bonum, & malum natura iudicetur; & ea sint principia naturae; certe honesta quoque, & turpia simili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda sunt. Sed perturbat nos opinionum uarietas, hominumq. dissensio: &, quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus; illa, quae alijs sic, alijs secus, nec ijsdem semper uno modo uidentur, ficta esse dicimus. quod est longe aliter. nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena deprauat, non multitudinis consensus abducit a uero: animis omnes tenduntur insidiae, uel ab ijs, quos modo enumeraui, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut uolunt; uel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni uoluptas, malorum autem mater omnium; cuius blanditijs corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis. Sequitur, ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio, id quod ante oculos ex ijs est, quae dicta sunt, & ius, & omne honestum sua sponte esse expetendum. etenim omnes uiri boni ipsam aequitatem, & ius ipsum amant: nec est uiri boni, errare, & diligere, quod per se non sit diligendum: per se igitur ius est expetendum, & colendum. quod si ius: etiam iustitia: sic in ea reliquae quoque uirtutes per se colendae sunt.

EXPLANATIO

OBTEMPERATIO *scriptis legibus* } Interdum nomina regunt casus suorum uerborum, ut Reditus in gratiam: sic Obtemperatio legibus. quod ubi fiat a bonis auctoribus, obseruandum est, temere nihil innouandum. VT *ijdem dicunt,* } Epicureos notat, quorum duo capita comparat, & collidit, ius ab institutis ortum esse, & ab utilitate profectum: nam utilitate perrumpentur leges & instituta. ATQVI *si* } Inductione probat uirtutes omnes tolli, si lex non sit naturalis. QVOD *si populorum* } Si iustum opinione contineretur, ius esset latrocinari. ATQVI *nos* } ex opposito concludit legem non constare opinione, quia scilicet natura constet. NAM & } Confirmatio conclusionis ex efficiente caussa legis. HAEC *autem* } Argumentum a paribus, Si arboris, & equi uirtus natura constat, constat & hominis. NAM *si opinione* } Argumentum a genere ad species. CATVM } Varro Catum acutum interpretatur. Et apud Lucilium: Cata dicta. AD *ingenia* } ad opiniones. QVOD *laudabile* } Disputatur ex effectis ad caussam: Si bonum natura non constat, neque beatitudo. QVARE } Conclusio: Bona, & mala natura constant, ergo honesta, & turpia. SINT *principia naturae* } referantur ad naturam, quae inter utraque uersatur. IMITATRIX } quia simile quiddam habeat naturalis boni, lenitatem scilicet, & suauitatem delectans mentem aberrare facit. SCABIE } pruritu. SEQVITVR, } Vltimum huius disputationis caput, quo concluditur primaria quaestio. Quidquid a bonis diligitur, per se diligendum est: Ius a bonis diligitur, Est igitur per se diligendum. QVOD *si ius* } Argumentum a coniugatis.

CICERO

*QVID liberalitas? gratuita ne est, an mercenaria? si sine praemio benigna est, gratuita; si cum mercede, conducta. nec est dubium, quin is, qui liberalis, benignus ne dicitur, officium, non fructum, sequatur. Ergo item iustitia nihil expetit praemij, nihil pretij: per se igitur expetitur. eademq. omnium uirtutum caussa, atque sententia est. Atque etiam, si emolumentis, non suapte sponte, uirtus expetitur; una erit uirtus, quae malitia rectissime dicetur. ut enim quisque maxime ad suum commodum refert quaecumque agit, ita minime est uir bonus: ut, qui uirtutem praemio metiuntur, nullam uirtutem nisi malitiam putent. Vbi enim beneficus, si nemo alterius caussa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsum, cui referunt gratiam, ipsi cernūt grati? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus, & abijciendus est, desperatis emolumentis, & fructibus. quo quid potest dici immanius? quod si amicitia per se colenda est; societas quoque hominū, & aequalitas, & iustitia per se expetenda. quod ni ita est; omnino iustitia nulla est. id enim iniustissimum ipsum est, iustitiae mercedem quaerere. Quid uero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de uerecundia, pudore, pudicitiaq. dicemus? infamiae ne metu non esse petulantes, an legum, & iudiciorum? innocentes ergo, & uerecundi sunt, ut bene audiant; &, ut rumorem bonū colligant, erubescunt: pudici etiam * At me nimirum istorum philosophorum pudet, qui ullum uitium uitare, nisi iudicio ipso notatum, putant. quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, cum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? nā quid aut laudari rite, aut uituperari potest, si ab eius natura recesseris, quod aut laudandum, aut uituperandum putes? an corporis prauitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis; animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis uitijs facillime perspici potest. quid. n. foedius auaritia, quid immanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abiectius tarditate, et stultitia dici potest? quid ergo? eos, qui singulis uitijs excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos, miseros dicimus,*

dicimus, an propter uim, turpitudinemq. uitiorum? quod item ad contrariam laudem in uirtutem dici potest. Postremo, si propter alias res uirtus expetitur; melius esse aliquid, quam uirtutem, necesse est. Pecuniam ne igitur? an honores? an formam? an ualetudinem? quae & cum adsunt, perparua sunt; &, quam diu affutura sint, certum sciri nullo modo potest. An, id quod turpissimum dictu est, uoluptatem? at in ea quidem spernenda, & repudianda, uirtus uel maxime cernitur. Videtis ne, quanta series rerum, sententiarumq. sit, atque ut ex alio alia nectantur? quin labebar longius, nisi me retinuissem. Q. Quo tandem? libenter enim, frater, ad istam orationem tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quo referuntur, & cuius adsciscendi caussa sunt facienda omnia, controuersam rem, et plenā dissensionis inter doctissimos; sed aliquando tamen iudicandam. A. Qui istud fieri potest, L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? A. Quia me Athenis audire ex Phaedro meo memini; Gellium, familiarem tuum, cum proconsul ex praetura in Graeciam uenisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum conuocasse, ipsisq. magnopere auctorem fuisse, ut aliquando controuersiarum aliquem facerent modum: quod si essent eo animo, ut nollent aetatem in litibus conterere, posse rem conuenire: & simul operam suam illis esse pollicitum. M. Ioculare istud quidem, Pomponi, & a multis saepe derisum: sed ego plane uellem me arbitrum inter antiquam Academiam, & Zenonem datum. Att. Quo tandem istud modo? M. Quia de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. Att. Ain' tandem? de una re est solum dissensio? M. Quae quidem ad rem pertineat, una: quippe cum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo iuuaremur in uita, bonum esse decreuerint; hic, nisi quod honestum esset, nihil putarit bonum. Att. Paruam uero controuersiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia. M. Probe quidem sentis, si re, ac non uerbis, dissiderent.

EXPLANATIO

QVID *liberalitas* } Eadem disputatio continuatur inductione uirtutum, quae per se, & sua natura expetuntur, non opinione, & fructu. ERGO *item* } E paribus concluditur idem de reliquis uirtutibus. ATQVI *etiam* } Ex adiunctis argumentatur: Si uirtus fructu expetitur, malitia tantum erit, & astutia. MALITIA } Cicero lib. III. de nat. deo. Est enim malitia uersuta, & fallax nocendi ratio. Et Tusc. IV. Virtutis contraria est uitiositas: sic enim malo, quam malitiam appellare, eam, quam Graeci *κακίαν* appellant: nam malitia certi cuiusdam uitij nomen est, uitiositas omnium. VBI *enim* } Argumentum a coniugatis illustrat propositionem per inductionem partium uirtutis. SANCTA } quam uiolare nefas sit. AMICITIA } Cicero lib. I. de nat. deo. Carum ipsum uerbum est amoris, ex quo amicitiae nomen est ductum: quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus: non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum. prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo. TOTO *pectore* } toto animo. QVOD *si* } A paribus, & adiunctis concludit iustitiam per se expetendam. QVID *uero* } Continuatur inductio aliarum uirtutum, quae per se expetuntur. MODESTIA } Virtus est, per quam honestus pudor moderationem conseruat. TEMPERANTIA } Virtus est, per quam moderate dominamur libidini, ac reliquis non rectis impulsibus animi. CONTINENTIA } Virtus est, per quam in uictu modeste dominamur appetitui. VERECVNDIA } Virtus est, per quam ueremur homines offendere. PVDOR } Virtus est, per quam timemus dedecus, & ruborem affert. PVDICITIA } Virtus est, per quam corporis abusus non permittitur. PETVLANTES } Vitium est, superioribus omnibus uirtutibus oppositum. INNOCENTES } Virtus est, per quam nemini nocemus, & ab alieno abstinemus manus. NVLLVM } neminem. IVDICIO *ipso* } ipsa lege scripta. PERINSIGNES } ualde notabiles. ANIMI *deformitas* } Collatio minoris ad maiorem. AD *contrariam laudem* } nam beati uirtutis laude beati, sicut miseri uitij, turpitudine miseri sunt. SI *propter alias res* } Ex adiunctis disseritur, uirtutem non ob aliud expeti. VIDETIS *ne,* } Ex fine bonorum, qui secundum naturam est, concludit, legem, quia sibi proponit doctrinam summi boni, esse secundum naturam. PLENAM *dissensionis* } Nam ista de finibus dissensio sectas philosophorum potissimum distinxit. L. GELLIO } Orator erat hic Gellius, ut est in Bruto: & Ciceroni ciuicam coronam deberi a repub. dixit, ut est in Pisonem. Sed, & pro Sextio a Cicerone uir clarissimus, & fortissimus consul dicitur. Meminit & huius Plutarchus in Cicerone. EX *Phaedro meo* } Epicureus fuit hic Phaedrus, de quo Cicero lib. I. de Fin. Nisi tu Phaedrum, inquam, mentitum, aut Zenonem putas, quorum utrumque audiui &c. PROCONSVL } cum imperio consulari. AVCTOREM } hortatorem, suasorem. POLLICITVM. } Foedum glossema sequebatur in omnibus libris: Si posset inter eos aliquid conuenire: quod scriptus liber non habet, nec omnino sententia postulat: itaque deleuimus. Haec Paullus pater. QVIA *de re una* } de summo bono. quod enim Zeno solum summum bonum, Academia summum quidem bonum, sed non solum, aiebat esse. QVIPPE *cum* } Dissensio in definitione boni. PERPARVAM *uero* } id est, neque paruam, & eam, quae dirimat omnia.

CICERO

A. Ergo assentiris Antiocho, familiari meo, (magistro enim, non audeo dicere) quo cum uixi, & qui me ex nostris paene conuellit hortulis, deduxitq. in Academiam perpauculis passibus. M. Vir iste fuit ille quidem prudens, & acutus, & in suo genere perfectus, mihique, ut scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, nec ne, mox uidero; hoc dico, controuersiam totam istam posse sedari. A. Qui istuc tandem uides? M. Quia si, ut Chius Aristo dixit, solum bonum esse diceret, quod honestum esset; malumque, quod turpe; ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse: ualde a Xenocrate, & Aristotele, & ab illa Platonis familia discreparet; essetq. inter eos de re maxima, & de omni uiuendi ratione dissensio: nunc uero, cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum; bonum dicat; itemq. dedecus illi summum malum, hic solum, diuitias, ualetudinem, pulchritudinem, commodas res appellet, non bonas; paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: sentit idem, quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed uerborum discordia, controuersia nata est de finibus: in qua, quoniam usucapionem XII. tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci ueterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus; nec Mamilia lege singuli, sed nos tres arbitri fines rogemus. Q. Quamnam igitur sententiam dicimus? M. Requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, ijsq. parere. Q. Praeclare, frater, iam nunc a te uerba usurpantur ciuilis iuris, & legum: quo de genere exspecto disputationem tuam. nam ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognoui. & certe ita res se habent, ut, ex natura uiuere, summum bonum sit, id est, uita modica, & apta, uirtute perfrui, aut naturam sequi, & eius quasi lege uiuere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur; quod inter haec uelit uirtute tamquam lege uiuere. quapropter hoc diiudicari, nescio an umquam, sed hoc sermone certe non potest: siquidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus. A. At ego huc declinabam, nec inuitus. Q. Licebit alias: nunc id agamus, quod coepimus, cum praesertim ad id nihil pertineat haec de summo malo, bonoq. dissensio. M. Prudentissime, Quincte, dicis. nam, quae a me adhuc dicta sunt, *

Q. Nec Lycurgi leges, neque Solonis, neque Charondae, neque Zaleuci, nec nostras XII. tabulas, nec plebiscita desidero: sed te existimo cum populis, tum etiam singulis hodierno sermone legem uiuendi, & disciplinam daturum esse.

EXPLANATIO

Ergo *assentiris*] Significat huius conciliationis auctorem fuisse Antiochum, qui, ut est primo de Natu. deo. librum edidit de hac conciliatione. Non *audeo*] propter Epicureos. Hortulis,] Metonymia est, pro secta Epicurea. Perpauculis *passibus*] uel minimis disputationibus. Vir *iste fuit*] Sic Antiochus in Lucullo laudatur; Antiochus me ualde mouet, uel quod amaui hominem, sicut ille me, uel quod ita iudico politissimum, & acutissimum nostrae memoriae philosophorum omnium. Nunc *uero*] Declaratur consensio rerum in bonis corporis, & fortunae. Quoniam *usucapionem*] locus ex ambiguo de finibus agrorum, & bonorum. Vt enim per arbitros reguntur fines agrorum spatio quinque pedum, quod usucapi non possit, & terminis per ueterem possessorem, a quo pacti sunt demonstratis: sic per nos arbitros constituantur bonorum, & malorum definitiones differentia a ueteribus lata, & posita. Depasci] usucapi. Acuto *homine*] Periphrasis est Zenonis Stoici. Nec *Mamilia lege singuli, sed nos tres arbitri fines regemus.*] Pro, Nos, antiqui libri habent, Ex ijs, mendose, sed unde tamen elici ueritas possit. nam a Cicerone scriptum, E XII, suspicari licet: ut de XII. tabulis intelligatur. Praeclare, *frater*] Ad dialogi decorum collaudatur Cicero sicut ante, his uerbis, Alte uero, & ut oportet a capite frater repetis, quod quaerimus. Ita *res se habent*,] hi sunt termini, quos Socrates pegit. Inter *haec*] quae natura postulat. Siquidem *id*,] onus nimirum ostendendi terminos. Nec *Lycurgi leges*,] Lycurgus Lacedaemonijs, Solon Atheniensibus leges tulerunt, eaq. Graecorum legislatorum praecipua lumina fuerunt. De ijs Plutarchus, in eorum uitis. Charondas Tyrius Catanensibus leges tulit, & Zaleucus Locrensis Zephyrijs Italiae populis. De ijs Valerius lib. VI. capit. 5. Plebiscita] Liuius lib. III. De lege Horatia, omnium primum cum ueluti in controuerso iure esset, tenerentur ne patres plebiscitis, legem centuriatis comitijs tulere, ut, quod tribuni plebis iussissent, populus teneret.

CICERO

M. Est huius uero disputationis, Quincte, prorsum id, quod exspectas, atque utinam esset etiam facultatis meae: sed profecto ita se res habet, ut, quoniam uitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemq. uirtutum, ab ea uiuendi doctrina ducatur. ita fit mater bonarum omnium rerum sapientia: a cuius amore, Graeco uerbo, philosophia nomen inuenit: qua nihil a dijs immorta-

immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum uitae datum est. haec enim una nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus. cuius praecepti tanta uis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. nam, qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum; ingeniumq. in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoq. munere deorum semper dignum aliquid & faciet, & sentiet; &, cum se ipse perspexerit, totumq. tentarit, intelliget quemadmodum a natura subornatus in uitam uenerit, quantaq. instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendamq. sapientiam; quoniam principio, rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo, ac mente conceperit; quibus illustratis sapientia duce, bonum uirum, & ob eam ipsam caussam cernat se beatum fore. nam, cum animus, cognitis perceptisq. uirtutibus, a corporis obsequio, indulgentiaq. discesserit, uoluptatemque, sicut labem aliquam decoris, oppresserit; omnemq. mortis, dolorisq. timorem effugerit; societatemq. caritatis coierit cum suis; omnesq. natura coniunctos suos duxerit; cultumq. deorum, & puram religionem susceperit; & exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenij aciem ad bona deligenda, & reijcienda contraria; quae uirtus ex prouidendo est appellata prudentia: quid eo dici, aut cogitari poterit beatius? idemq. cum caelum, terras, maria, rerumq. omnium naturam perspexerit; eaque unde generata, quo reditura, quando, quo modo obitura, quid in ijs mortale, & caducum, quid diuinum, aeternumq. sit, uiderit; ipsumq. ea moderantem, & regentem paene prehenderit; seseq. non unis circumdatum moenibus popularem alicuius definiti loci, sed ciuem totius mundi, quasi unius urbis agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu, & cognitione naturae, dij immortales, quam se ipse noscet, quod Apollo praecepit Pythius; quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae uulgo dicuntur amplissima. Atque haec omnia, quasi saepimento aliquo, uallabit differendi ratione, ueri, & falsi iudicandi scientia, & arte quadam intelligendi, quid quamque rem sequatur, & quid sit cuique contrarium. cumq. se ad ciuilem societatem natum senserit; non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros uiros, qua praecepta salutis, & laudis apte ad persuadendum edat suis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare a flagitio, consolari possit afflictos, factaque, & consulta fortium, & sapientum cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. quae cum tot res, tantaeq. sint, quae in homine inesse perspiciantur ab ijs, qui se ipsi nelint nosse; earum parens est, educatrixq. sapientia. Att. Laudata quidem a te grauiter, & uere: sed quorsus haec pertinent? M. Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi iam sumus: quae tanta esse nolumus. non enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. deinde facio & libenter, &, ut spero, recte, quod eam, cuius studio teneor, quaeq. me, quicumque sum, effecit, non possum silentio praeterire. A. Enimuero facis & merito, & ipse; fuitq. id, ut dicis, in hoc sermone faciendum.

EXPLANATIO

VITIORVM *emendatricem &c.*] Duo propria legis officia, emendatio uitiorum, & commendatio uirtutum. ET *mater sapientia*] Ab ea enim proficiscitur lex uitiorum emendatrix, & uirtutum commendatrix. QVA *nihil*] E Timaeo Platonis, id acceptum est, cum de oculis loquitur: *ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ᾽ ἦλθεν, οὔθ᾽ ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν*: E quibus philosophiam adepti sumus, quo bono maius nec accedit, nec accidet umquam mortalium generi donatum a dijs. Idem Cicero Tuscul. I. Philosophia uero omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum; ut ego, inuentum deorum? SED *Delphico deo*] Sapientum sententiae Delphis in Apollinis templo sculpebantur, & tamquam oracula deo attribuebantur. Tres autem sententias Chilo Lacedaemonius Delphis conseruauit, (ut est apud Plinium lib. VII.) quae sunt: Nosse se quemque: Nihil nimium cupere: Comitem aeris alieni, atque litis, esse miseriam. NAM, *qui se ipsum*] Delphici oraculi uis declaratur. INGENIVM] Animum. IN *se*] in corpore. SICVT *simulacrum*] Plato in Phaedone, & in Theaeteto docet hominem esse dei similitudinem, & beatum fore, cum recuperarit suae similitudinis exemplar. TANTO *munere*] animo scilicet, qui ingenitus est corpori. SVBORNATVS] adumbratus. In malam partem accipimus, cum subornatos testes audimus. VENERIT] descenderit. QVONIAM *principio.*] Quoniam, dixit, ut caussam afferret, cur dixisset, A natura subornatus. QVIBVS *illustratis*] Quibus intelligentijs in lucem positis. NAM, *cum animus,*] Inductio trium philosophiae partium, nimirum Ethicae, Physicae, & Dialecticae, quas percepimus e primis intelligentijs a natura illustratis. SOCIETATEMQVE *caritatis*] Putarit se caritate, & amicitia cum hominibus coniunctum. EX *prouidendo*] Notatione sui nominis prudentia definitur, sicut antea lex a legendo. VNDE *generata*] In elementis, & inde compositis comprehenditur Physica. QVOD *in ijs mortale*] Plato praeter deum animosque tum stellarum, tum hominum, nil aeternum facit: mundum enim creatum docet, & ita compactum, ut dissolui quidem non possit, nisi ab eo, qui colligauit, ut est in Timaeo. IPSVMQVE] Periphrasis est summi dei. SESEQVE] Stoicorum sententia est, de qua etiam in Academicis. IN *hac ille*] statuit Apollinis oraculum expleri cognitione Physica. QVASI *saepimento.*]

Sumpsit hoc de Stoicorum opinionibus: nam hi, ut ostendit Laertius, Dialecticam περιφράγματι, id est saepimento, comparabant. ILLA *subtilis* } Zenonis est hoc post Aristotelem, dicere omnem uim loquendi in duas distributam partes, Dialecticam, & Rhetoricam: Rhetoricamque, quod fusa, & perpetua sit, palmae similem esse, Dialecticam uero pugno, quod Dialectici compressius, & subtilius disputent. Quod discrimen etsi persaepe sequitur Cicero, aliquando tamen aperte deridet, ut II. de Fin. Quasi uero, inquit, perpetua oratio Rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. QVA *regat* } collaudatio Rhetoricae. QVAE *cum tot* } Conclusio est, quod eae res sint naturales homini, & philosophiae partes, unde constat philosophiam in natura positam. PRIMVM *ad ea* } Ratio laudatae philosophiae est, ut lex quoque laudetur, quae philosophia ipsa est, & quia Cicero ex ea effectus est orator. QVICVMQVE *sum*, } Sic in Oratore perfecto: Et fateor me Oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiae spatijs exstitisse. ET *merito*, } Est enim philosophia omni laude digna. ET *ipse*; } qui eius studio teneris, & effectus es, quicumque es.



IN M. TVLLII. CICERONIS DE. LEGIBVS LIBRVM. II.

Commentarius Aldi Mannuccij.



CICERO

SED uis ne, quoniam & satis iam ambulatum est, & tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus, & in insula, quae est in Fibreno, (nam id opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo demus operam sedentes? M. Sane quidem. nam illo loco libentissime soleo uti, siue quid mecum ipse cogito, siue aliquid scribo, aut lego. Att. Equidem, qui nunc primum huc uenerim, satiari non queo; magnificasq. uillas, & pauimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. ductus uero aquarum, quos isti nilos, & euripos uocant, quis non, cum haec uideat, irriserit? itaque, ut tu paullo ante, de lege, & de iure differens, ad naturam referebas omnia: sic in his ipsis rebus, quae ad requietem animi, delectationemq. quaeruntur, natura dominatur. quare antea mirabar, (nihil.n.his in locis, nisi saxa, et montes, cogitabam: idq. ut facerem, & orationibus inducebar tuis, & uersibus) sed mirabar, ut dixi, te tam ualde hoc loco delectari: nunc contra miror, te, cum Roma absis, usquam potius esse. M. Ego uero, cum licet plures dies abeße, praesertim hoc tempore anni, & amoenitatem, & salubritatem hanc sequor. raro autem licet. sed nimirum me alia quoque caussa delectat, quae te non attingit ita. Att. Quae tandem ista caußa est? M. Quia, si uerum dicimus, haec est mea, & huius fratris mei germana patria. hinc enim orti stirpe antiquissima sumus: hic gens, hic sacra, hic maiorum multa uestigia. quid plura? hanc uides uillam, ut nunc quidem est, lautius aedificatam patris nostri studio: qui, cum eßet in firma ualetudine, hic fere aetatem egit in litteris: sed hoc ipso in loco, cum auus uiueret, & antiquo more parua eßet uilla, ut illa Curiana in Sabinis, me scito eße natum. quare ineßt nescio quid, et latet in animo, ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: si quidem etiam ille sapientissimus uir, Ithacam ut uideret, immortalitatem scribitur repudiasse. Att. Ego uero tibi istam iustam caußam puto, cur huc libentius uenias, atque hunc locum diligas. quin ipse, uere dicam, sum ipsi uillae amicior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus, & procreatus es. mouemur enim, nescio quo pacto, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt uestigia. me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis, exquisitisq. antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum uirorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus: studioseq. eorũ etiam sepulcra contemplor. quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi ostendisse. Att. Et quidem, me cognoße, admodum gaudeo. sed illud tamẽ quale est, quod paullo ante dixisti, hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam eße uestram? num quid uos duas habetis patrias? an ne est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego mehercule & illi, et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram ciuitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi R. ciuitatem susceptus est. ita, cum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris: ut uestri Attici, prius quam Theseus eos demigrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes conferre se iussit, & Sunij erant ijdem, & Attici: sic nos & eam patriam dicimus, ubi nati & illam, qua excepti sumus: sed neceße est caritate eam praestare, qua reip. nomen uniuersae ciuitatis est: pro qua mori, & cui nos

totoe dedere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus. dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo, dum illa sit maior, & haec in ea contineatur.

EXPLANATIO



LLI *alteri flumini* } Duo enim flumina Ciceronis fundum Arpinatem alluebant, Liris, & Fibrenus. Silius lib. I I X. QVI *nunc* } adulta aestate. MAGNIFICASQ. *uillas,* } Vt Luculli, Hortensij, Philippi. NILOS *& Euripoe* } Ita nocarant aquaeductibus exundantes, & Euboici Euripi similitudinem habentes. NISI *saxa* } Cicero ad Att. Nam Arpinum quid ego te inuitem: τρηχεῖ, ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, οὔτι ἔγωγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. ET *uersibus* } Vt Mario poemate. PLVRES *dies abesse* } Aberat enim Roma Arpinum. Hoc *tempore anni* } estate. AMOENITATEM } Ita in epist. ad Q. fratrem: Ego ex magnis caloribus, non enim meminimus maiores, in Arpinati summa cum amoenitate fluminis me refeci ludorum diebus. GERMANA *patria.* } uera patria. ORTI *stirpe antiquissima* } Ferunt Ciceronem Arpini natum matre Heluia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorum genere. VT *illa Curiana in Sabinis,* } De hac Curij uilla ita Cicero in lib. de senectute Catonem loquentem inducit: Ergo in hac uilla M'. Curius cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis, cuius quidem uillam ego contemplans, abest enim non longe a mea, admirari satis non possum uel hominis ipsius continentiam, uel temporum disciplinam. ITHACAM *ut uideret* } Ita lib. I. de Orat. Cuius rei tanta uis, ac natura est, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tamquam nidulum affixam, sapientissimus uir immortalitati anteponeret. MOVEMVR *enim* } Eadem lib. 5. de Finibus. OPERIBVS } qualia erant propylaea illa a Pericle exstructa. EXQVISITISQ. *artibus* } ut picturis, & statuis. INCVNABVLA } Ita uocantur lectuli infantium in cunis. ILLA *patria communis?* } nimirum Roma. Ea enim est Municipum communis patria, & ita municipes ciues Romani. VNAM *naturae,* } id est, in qua nati sunt. ALTERAM *ciuitatis:* } nimirum, cuius facti sunt municipes. LOCI *patriam* } germanam scilicet. ALTERAM *iuris:* } ciuitatis, in quam susceptus est. VT *uestri Attici, prius quam Theseus eos demigrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes conferre se iussit, & Symfrantidem & acticios sic nos &c.* } Sic duo ueteres libri: a quibus minimum ceteri dissentiunt. mendum tollere, & integritatem loco restituere conatus est, homo doctrina insigni, Hadrianus Turnebus; &, litterarum similitudinem imitatus, legendum putauit, pro, Et Symfrantidem & acticis, Et Sunij erant ijdem, & Attici. qui licet ab antiqua scriptura non longe discesserit; ueritatem tamen fortasse non attigit. quo enim teste probatur, & Sunios fuisse eosdem, & Atticos, prius quam a Theseo ex agris in unam urbem cogerentur? Sunium in Attica Promontorium satis notum: incolae tamen Atticae regionis, in qua duodecim opida fuere, non ab uno Sunio potius, quam a reliquis, nomen capere debuerunt. quamquam nec Sunium inter ea uideo nominatum. nam duodecim illa opida sic a Strabone appellata: Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelia, Eleusis, Aphydna, Thoricus, Braurō, Cytherus, Sphettus, Cephesia, Phalerus. itaque uerius, ut mihi uideor, legendum opinor: Et Symfratoras esse ex Atticis: id est, ut, qui erant antea, & dicebantur Attici a regione, in unam urbem congregati, tribuum societate iungerentur. φρατρία enim tribus: unde φράτορες: quo uerbo usus est Aristophanes in Pluto, & Aristoteles Polit. I I. inde Συμφράτορες. Illud quoque, Prius quam Theseus, mutandum credo, & reponendum, Postquam Theseus. nam, cum hic Cicero loquatur de duabus patrijs, naturae una, ciuitatis altera: naturae, qualis Catoni Tusculum fuit, Arpinum Ciceroni; Ciuitatis, qualis utrique Roma: quomodo ad hanc sententiam pertinet exemplum Atticorum, prius quam ex agris in urbem se conferrent, id est, cum unam tantum naturae patriam haberent, illam alteram ciuitatis adepti nondum essent? IN *astu* } Athenas. Terent. An in astu uenit. QVA *reip.* } Caritate ciuitas reip. nomen obtinet. QVASI *consecrare* } ut ab ea recedere, aut aliquid auferre non liceat, quasi dijs in perpetuum dicauerimus.

CICERO

ATT. *Recte igitur Magnus ille noster, me audiente, posuit in iudicio, cum pro Balbo tecum simul diceret, remp. nostrā iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conseruatores exstitissent: ut iam uidear adduci, hāc quoque, quae te procreauit, esse patriam tuam. Sed uentū in insulam est. hac uero nihil est amoenius. ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus; & diuisus aequaliter in duas partes latera haec alluit; rapideq. dilapsus, cito in unum confluit; & tantū complectitur, quod satis sit modicae palaestrae, loci: quo effecto, tamquam id habuerit operis, ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandū, statim praecipitat in Lirem, &, quasi in familiam patriciam uenerit, amittit nomen obscurius, Liremq. multo gelidiorem facit. nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim; ut uix pede tentare id possim: quod in Phaedro Platonis facit Socrates. M. Est uero ita: sed tamen huic amoenitati, quemadmodum ex Quincto saepe audio, Thebanus Epirotes tuus ille nihil, opinor, concesserit. Q. Est ita, ut dicis. caue enim putes Attici nostri Amalthea, platanisq. illis quidquā esse praeclarius. sed, si uidetur, considamus hic in umbra,*

umbra, atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, reuertamur. M. Praeclare exigis, Quincte: at ego effugiße arbitrabar: & tibi horum nihil deberi potest. Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem. M. Ab Ioue Musarum primordia, sicut in Aratio carmine orsi sumus. Q. Quorsum istuc? M. Quia nunc itidem ab eodem, & a ceteris dijs immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Q. Optime uero, frater: & fieri sic decet. M. Videamus igitur rursus prius, quam aggrediamur ad leges singulas, uim, naturamq. legis: ne, cum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis, ignoremusq. uim sermonis eius, quo iura nobis definienda sint. Q. Sane quidem hercle: & est ista recta docendi uia. M. Hanc igitur uideo sapentissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenijs excogitatam, nec scitum aliquod eße populorum; sed aeternum quiddam, quod uniuersum mundum regeret, imperandi, prohibendiq. sapientia. ita principem legem illam, & ultimam, mẽtem eße dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut uetãtis dei: ex qua illa lex, quam dij humano generi dederunt, recte est laudata. est enim ratio, mensq. sapientis ad iubendum, & ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties iam iste locus a te tactus est: sed, ante quam ad populares leges uenias, uim istius caelestis legis explana, si placet; ne aestus nos consuetudinis absorbeat, & ad sermonis morem usitati trahat. M. A paruis enim, Quincte, didicimus, Si in ius uocat, *atque eiusmodi alias leges nominare. Sed uero intelligi sic oportet, & haec, & alia iußa, ac uetita populorum, uim nõ habere ad recte facta uocandi, & a peccatis auocandi: quae uis non modo senior est, quam aetas populorum, & ciuitatum, sed aequalis illius, caelum, atque terras tuentis, & regentis, dei. neque enim eße mens diuina sine ratione potest: nec ratio diuina non hanc uim in rectis, prauisq. sanciendis habet. nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus adsisteret, a tergoq. pontem interscindi iuberet, iccirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam fortitudinis lege, atque imperio putabimus. nec si, regnante L. Tarquinio, nulla erat Romae scripta lex de stupris, iccirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius uim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit. erat enim ratio, profecta a rerum natura, & ad recte faciendũ impellens, & a delicto auocans: quae non tum denique incipit lex eße, cum scripta est, sed tum, cum orta est: orta est autem simul cum mente diuina. Quamobrem lex uera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad uetandum, ratio est recta summi Iouis. Q. Assentior, frater, ut, quod est rectum, uerum quoque sit, neque cum litteris, quibus scita scribuntur, oriatur, aut occidat.*

EXPLANATIO

POSVIT } dixit. CVM *pro Ambio* } Quis hic Ambius fuerit, ignoratur: neque pro eo Ciceronem, aut Pompeium dixisse, comperimus: utrumque autem pro Balbo; pro quo exstat luculenta Ciceronis oratio: itaque reposui, Balbo, approbante Maffei libro scripto. Haec Paullus pater. DVO *sui conseruatores* } Marius, & Cicero. HOC *quasi rostro finditur Fibreus;* } Allusio ad aquilam Promethei in Caucaso religati, fibras exedentem. quamquam & nauium rostris finduntur aquae. MODICAE *palaestrae* } Graecorum more palaestras in uillis Romani Ciceronis aetate habere coeperunt. QVASI *in familiam patriciam* } Translatio ab ijs, qui in adoptionem transeuntes propriae familiae nomen relinquebant. AMITTIT *nomen* } nam post confluentem non iam Fibrenus, sed Liris tantum dicitur. Lirem sulphureum nominat Silius lib. I I X. FACIT *Socrates* } In Platonis Phaedro in fontem, qui erat iuxta Ilyssum, pede immisso frigus aquae tactu explorat. THENANVS } Mendosum uerbum. fortasse, Thyamis. quod in Epiro flumen fuit ad Att. epist. I I. lib. I. Plin. lib. I V. cap. I. AMALTHEO } Sic uocabatur amoenissimum in Pomponij uilla gymnasium ab Amalthea capra. Graecis etiam nominibus erant in Tusculano Lyceum, & Academia, duo Ciceronis gymnasia. Varro, Nec putant se habere uillam nisi multis uocabulis retineant Graecis. Cicero lib. I. ad Att. Velim ad me scribas, cuiusmodi sit ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ, & quae poemata, quasque historias de ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. NIHIL *deberi potest* } non uis tibi deberi. AB *Ioue Musarum primordia* } Aratus Solensis φαινόμενα scripsit, quorum principium est Ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν ἄρρητον. id est, Ab Ioue incipiamus, quem numquam mittamus indictum, & tacitum. Hunc imitatus Virgil. Ecl. I I I. dixit, Ab Ioue principium Musae. Iouem Stoici solum deorum omnium esse immortalem putant, alijs omnibus in exustione pereuntibus: Arcemq. illius quandam in mundi centro commenti sunt. RECTA *docendi uia* } Vt a definitione proficiscatur omnis institutio. HOMINVM *ingenijs* } Vt Legislatorum. PRINCIPEM, *& ultimam* } supremam, & infimam. EX *qua* } principe lege. ILLA *lex.* } ultima scilicet. HVMANO *generi* } unde dicta est naturalis. RECTE *est laudata* } nam legis humanae laus ex diuina redundat. AD *populares leges* } id est, scriptas, ut sentit uulgus. ISTIVS *caelestis legis* } quam supra principem dixit. AESTVS *consuetudinis* } altera lex nimirum, ciuilis est, quae in opere aestuat, & Ioui dicata est. ABSORBEAT, } attrahat: Metaphora ab aestuantibus. A *paruis* } dum essemus paruuli. SI *in ius uocat* } Initium est alicuius legis X I I. tabularum, de quibus infra: Discebamus enim pueri X I I. ut carmen necessarium, quas iam nemo discit. Sed & communem patriam, patriam iuris paullo supra nominauit Cicero. NON *modo senior* } sublimior. CAELVM } caelestem legem. ATQVE *terras* } humanas, siue ciuiles leges. SINE *ratione* } qua meatur, & regatur. IN *rectis, prauisq.* } & proinde correlatiuis. ADSISTERET, } praesens staret. FORTITVDINIS *lege,* } summa ratione insita in natura. Coclitis historia narratur a Liuio lib. I I. ab

v. c. & eiusdem lib. 1. historia Sex. Tarquinij. A *rerum natura*] Naturam Zeno definit esse ignem artificiosum ad gignendum progredientem uia. QVAMOBREM] legis principis definitio. RATIO *est recta*] id est ad recte faciendum impellens. VERVM *quoque sit*] id est, uerae legis potestatem obtineat.

CICERO

M. Ergo, ut illa diuina mens, summa lex est: item, quod in homine est perfectum, est in mente sapientis. quae sunt autem uarie, & ad tẽpus descripta populis, fauore magis, quam re, legum nomen tenent. omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis dosent. Constat profecto, ad salutem ciuium, ciuitatumq. incolumitatem, uitamq. hominum & quietam, & beatam inuentas esse leges; eosque, qui primum eiusmodi scita sanxerint, populis ostendisse se ea scripturos, atque laturos, quibus illi adscriptis, susceptisque, honeste, beateq. uiuerent: quae cum ita sompofita, sanctaq. essent, eas leges uidelicet nominarent. ex quo intelligi par est, eos, qui perniciosa, & iniusta populis iussa descripserint, cum contra fecerint, quam pollisiti, professiq. sint, quiduis potius tulisse, quam leges: ut perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse uim, et sententiam iusti, & iuris legendi. Quaero igitur a te, Quincte, si ut illi solent; quo si ciuitas sareat, ob eam ipsam caussam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id est ne numerandum in bonis? Q. As maximis quidem. M. Lege autẽ carens ciuitas est ne ob ipsum habẽda nullo loco? Q. Dici aliter non potest. M. Nésesse est igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorsus assentior. M. Quid, quod multa perniciose, multa pestifere ssisrun tur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua sõcessu suo sanxerint? nam neque medicorum praesepta dici uere possent, si quae insfij, imperitiq. pro salutaribus mortifera consfripserint; neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiam si pernisiosum aliquid populus acceperis. ergo est lex iustorum, iniustorumq. distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principsm expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplisio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos. Q. Praeslare intelligo: nes uero iam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. M. Igitur Titias, & Appuleias leges nullas putas? Q. Ego uero ne Liuias quidẽ. M. Es recte, quae praesertim uno uersiculo senatus, puncto temporis, sublatae sint. lex autem illa, cuius uim explisaui, neque tolli, neque abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges rogabis uideliset, quae numquam abrogentur? M. Certe, si modo asseptae a duobus uobis erunt. sed, ut uir doctissimus fecit Plato, atque idem grauissimus philosophorum omnium, qui princeps de rep. conscripsit, idemq. separatim de legibus eius, id mihi credo esse fasiendum, ut, prius quam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam: quod idem & Zaleucum, & Charondam fecisse uideo: cum quidem illi non studij, & delectationis, sed reip. caussa leges ciuitatibus suis scripserint: quos imitatus Plato, uidelicet hoc quoque legis putauit esse, persuadere aliquid, non omnia ui, ac minis cogere. Q. Quid, quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timaeus? M. At Theophrastus auctor, haud deterior, mea quidem sententia: meliorem multi nominant: commemorant uero ipsius ciues, nostri clientes, Locri. sed, siue fuit, siue non fuit, nihil ad rem: loquimur, quod traditum est. Sit igitur hoc iam principio persuasum ciuibus, dominos esse omnium rerum, as moderatores deos, eaque, quae gerantur, eorum geri ui, ditione, atque numine, eosdemq. optime de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mense, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque, & impiorum habere rationem. his enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili, & a uera sententia. quid est enim uerius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem, & mentem putet inesse, in caelo, mundoq. non putet? aut ut ea, quae uix summa ingenij ratione comprehendat, nulla ratione moueri putet? quem uero astrorũ ordines, quem dierum, noctiumq. uicissitudines, quem mensium temperatio, quemq. ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino numerari qui decet? cumq. omnia, quae rationem habent, praestent ijs, quae sint rationis expertia; nefasq. sit dicere, ullam rem praestare naturae omnium rerum; rationem inesse in ea, confitendum est. Utiles esse autem has opiniones, quis neget? cum intelligat, quam multa firmentur iureiurando, quantae salutis sint foederum religiones, quam multos diuini supplisij metus a scelere reuocarit, quamq. sancta sit societas ciuium inter ipsos, dijs immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus. Habes legis prooemium: sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo uero, frater, & in hoc admodum delector, quod in alijs rebus, alijsq. sententijs uersaris, atque ille. nihil enim tam dissimile est, quam uel ea, quae ante dixisti, uel hos ipsum legis exordium. unum illud mihi uideris imitari orationis genus. M. Uellem fortasse: quis enim id potest, aut umquam poterit imitari? nam sententias interpretari perfacile est: quod quidem ego facerem, nisi plane esse uellem meus. quid enim negotij est, eadem prope uerbis ijsdem conuersa dicere? Q. Prorsus assentior: uerum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. sed iam exprome, si placet, istas leges de religione.

EXPLANATIO

QVOD *in homine est perfectum,*] id est summa lex, & ratio. AD *tempus*] pro condicione temporis. CONSTAT *profecto,*] A fine docet leges esse laudabiles. SVSCEPTIS] & quo delectus

lectus in lege, quemadmodum dixit lib. I. COMPOSITA } collecta. LEGENDI. } id est colligendi, & eligendi. ILLI *solent;* } nimirum Stoici, a quibus ista de summa lege sumpta sunt. HABENDA *nullo loco?* } nihili aestimanda? NAM *neque medicorum* } A simili sumpto ex Platonis dialogo de lege probat legem esse non posse, quae perniciosa decernat. CVICVIMODI } id est, cuiuscumque modi. Ita pro Roscio: Vereor enim, cuicuimodi es, Rosci, ne ita hunc uideat seruare, ut tibi non pepercerim. AD *antiquissimam naturam* } simulacrum antiquissimae rerum naturae. IGITVR *Titias, & Appuleias leges nullas putas?* } Vbi mendosum aliquid in libris occurrit, primum inspicere diligenter soleo ueteres libros, non modo ut litteras omnes, sed ipsam etiam litterarum formam considerem, quo facilius mendi originem deprehendam: deinde, si scriptis etiam in libris ueritas obscuratur, ad coniecturam confugio, quae magnam saepe lucem attulit; ut hic, nisi fallor. nam, cum in antiquo libro uiderem, Tucias, & Appuleias leges putaui, suam loco integritatem restitui, si legeretur, Titias, & Appuleias; minime dubitans, quin eae significentur leges, quas Sex. Titius, & L. Appuleius Saturninus, inuita nobilitate, plebis commodo, & uoluntati seruientes, pertulerunt: quas postea senatus, quod non modo parum utiles reip. uerum etiam exitiosae uiderentur, sustulit. historiae testimonia requirentur: haec sunt: Cicero pro C. Rabirio, perduellionis reo, Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suae, condemnatus est. Et Val. Max. lib. VIII. cap. I. Sex. quoque Titium similis casus prostrauit. erat innocens: erat, agraria lege lata, gratiosus apud populum: tamen, quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragijs eum tota concio oppressit. Libro etiam de Oratore secundo hic noster: Nam & testimonium saepe dicendum est, ac non numquam etiam accuratius; ut mihi necesse fuit in Sex. Titium, seditiosum ciuem, & turbulentum. explicaui in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno pl. pro rep. restitissem: quaeq. ab eo contra remp. facta arbitrarer, exposui. Cum igitur constet, eodem tempore & amicissimos, & tribunos pl. malarumq. legum latores fuisse Titium, & Saturninum; &, cum in antiquo libro scriptum esse uideam Tucias: non dubito, quin mihi hoc studiosi libenter tribuant, ut, Titias, reponam. Haec Paullus pater. NE *Liuias quidem* } M. Liuij Drusi trib. pl. leges omnes, Philippus Cos. obtinuit a senatu, ut uno senatusconsulto tollerentur. Asconius auctor. VERSICVLO } cum pronunciatum est contra auspicia, referente Philippo cos. latas uideri. PERSVADERE *aliquid* } Plato omnibus fere legibus exordium praeponit, quo legis aequitatem suadet. TIMAEVS? } Simile quid legitur lib. VI. ad Att. Fuit is Timaeus historicus acerbissimus in omnes conuiciator. QVID *enim uerius,* } Argumento Stoicorum probat deum esse. Nam si in homine inest ratio, multo magis in mundo: ratio autem illa, & mens deus est. ASTRORVM *ordines* } Ab astrorum ordine probat dei prouidentiam. GRATVM *esse* } pium, & religiosum aduersus deos ex memoria beneficiorum. CVMQVE *omnia* } Hoc etiam argumentum refertur a Balbo lib. II. de nat. deo. NATVRAE *omnium* } mundo. QVANTAE *salutis* } quam salutares.

CICERO

M. *Expromam equidem, ut potero; &, quoniam & locus, & sermo familiaris est, legum leges uoce proponam. Q. Quidnam id est? M. Sunt certa legum uerba, Quincte, neque ita prisca, ut in ueteribus ijs, sacratisq. legibus; & tamen, quo plus auctoritatis habeant, paullo antiquiora, quam hic sermo est. eum morem igitur cum breuitate, si potero, consequar. leges autem a me edentur non perfectae, nam esset infinitum, sed ipsae summae rerum, atque sententiae. Q. Ita uero necesse est. quare audiamus.*

M. Ad diuos adeunto caste: pietatem adhibento: opes amouento: qui secus faxit, deus ipse uindex erit. separatim nemo habessit deos, ne ue nouos: sed ne aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. constructa a patribus delubra in urbibus habento: lucos in agris habento: & larum sedes; ritus familiae, patrumq. seruanto. diuos, & ollos, qui caelestes semper habiti, colunto: & ollos, quos endo caelum merita uocauerint, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum; ast olla, propter quae datur homini adscensus in caelum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem: earumq. laudum delubra sunto, nec ulla uitiorũ. sacra sollemnia obeunto. ferijs iurgia amouento, easq. in famulis, operibus patratis, habento: itaque, ut ita cadat in annuis amfractibus, descriptum esto: certasq. fruges, certasq. bacas sacerdotes publice libanto, hoc certis sacrificijs, ac diebus: itemq. alios ad dies ubertatem lactis, feturaeq. seruanto. id quod ne committi possit, ad eam rem ratione cursus annuos sacerdotes finiunto: quaeq. quoique diuo decorae, grataeq. sint hostiae, prouidento: diuisq. alijs alij sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto: uirginesq. Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum: quoq. haec priuatim, & publice modo, rituq. fiant, discunto ignari a publicis sacerdotibus: eorum autem duo genera sunto; unum, quod praesit caerimonijs, & sacris; alterum, quod interpretetur fatidicorũ, & uatũ effata incognita, quom senatus populusq. adsciuerit: interpretes autem Iouis optimi maximi publici augures signis, & auspicijs postea uidento, disciplinam tenento: sacerdotes uineta, uirgetaque, & salutem populi auguranto: quiq. agent rem duelli, quiq. popularem, auspicium praemonento: olliq. obtemperanto: diuorumq. iras prouidento, ijsq. apparento: caeliq. fulgura regionibus ratis temperanto: urbemque, agros, & templa, liberata, & effata habento: quaeq. augur iniusta, nefasta, uitiosa, dira defixerit, irrita, infectaq. sunto: quiq. non paruerit, capital esto: foederum, pacis, belli, indutiarum, oratorum, fetiales iudices sunto: bella disceptanto: prodigia, portenta ad Etruscos, & haruspices, si senatus iussit, deferunto: Etruriaq. principes disciplinam doceto: quibus diuis creuerint, procuran-

to: ijdemq. fulgura, atque obstita pianto: nocturna mulierum sacrificia ne sunto, praeter olla, quae pro populo rite fient: ne ue quam initianto, nisi, ut assolet, Cereri, Graeco sacro: sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto; quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto: ludis publicis, quod sine curriculo, sine certatione corporum fiat, popularem laetitiam in cantu, & fidibus, & tibijs moderanto, eamq. cum diuum honore iungonto: ex patrijs ritibus optima colunto: praeter Idaeae matris famulos, eosq. iustis diebus, ne quis stipem cogito: sacrum, sacro ue commendatum qui clepsit, rapsitque, paricida esto: periurij poena diuina, exitium; humana, dedecus: incestum pontifices supremo supplicio sanciunto: impius ne audeto placare donis irā deorum: caute uota reddunto: poena uiolati iuris esto. ne quis agrum consecrato. auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. Sacra priuata perpetua manento: deorum manium iura sancta sunto: homines leto datos diuos habento: sumptum in ollos, luctumq. remouento.

EXPLANATIO

IN *ueteribus ijs, sacratisq. legibus* } Cum in antiquo libro sit, Ex ijs, pro 115; legendum puto, In ueteribus XII, sacratisq. legibus. ADEVNTO *caste:* } Columella, His autem omnibus placuit eum, qui rerum harum officium susceperit, castum esse, continentemq. oportere: quoniam totum in eo sit, ne contrectentur uascula, uel cibi, nisi aut ab impube, aut abstinentissimo rebus uenereis. PIETATEM } Pietas, ut Trismegistus, Lactantiusq. demonstrant, nihil aliud est, quam dei notio, & cultus. primus autem deorum cultus, ut inquit eleganter Seneca, est deos credere, deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla est maiestas. HABESSIT } id est, habeat. Confusionem enim haberet religio, si quis priuatos deos coleret. NE *ne nouos, sed ne aduenas,* } Veram lectionem puto, Ne ue nouos, & ne aduenas; parua admodum, & prope nulla mutatione; siquidem, Set, ueteres scribebant pro, Sed: & saepe hoc mendi genus deprehendimus, cum alicuius uerbi prima littera ex ultima antecedentis sumpta, & repetita est. Mattei liber habet, Ne ue nouos, siue aduenas. antiquitatem magis oleret, Ne ne nouos, ne ue aduenas. Haec Paullus pater. LVCOS } Siluas, quas dijs consecratas ferro temerare nefas erat. Plinius de Arboribus, Haec fuere numinum templa, & in ijs silentia ipsa adoramus. LARVM *sedes* } Teste Plauto, familiae Lar pater habebatur ab antiquis: & in canis figura efformabatur. Ouidius in Fastis Lares domus custodes uigiles dicit, quos geminos ediderat Lara Nympha, primum compressa a Ioue, deinde a Mercurio in Luco. Plutarchus in Problemat. Cur, inquit, Laribus, quos proprie Praestites uocant, Canis assistit, ipsi autem Lares canum uestibus uestiuntur? Plautus in Aulul. Larem familiarem loquentem facit, thure, uino, coronis sibi quotidie sacrificari. QVI *caelestes semper* } qui diui semper fuerunt, non per ἀποθέωσιν facti. OLLOS, *quos endo caelum* } In Caelum: Endo, pro, In, ueteres utebantur. Cicero lib. II. de nat. deo. Suscepit autem uita hominum, & consuetudo communis, ut beneficijs excellentes uiros in caelum fama, ac uoluntate tollerent: hinc Hercules, Castor, & Pollox &c. NEC *ulla uitiorum.* } Hoc, a sequentibus uerbis seiunctum, cum antecedentibus coniunxi, quod animaduersum nondum erat. Haec Paullus pater. FERIIS *iurgia* } Ita Cicero lib. I. de diuinat. Rebusq. diuinis, quae publice fierent, ut fauerent linguis, imperabatur: inq. ferijs imperandis, ut litibus, & iurgijs se abstinerent. EASQ. *in famulis* } feriari sinant famulos absolutis operibus rusticis. IN *annuis amfractibus* } in anni curriculis, & fastis: CERTASQ. *fruges* } Antiqui frugibus in sacrificijs utebantur. Plinius scribit Numam instituisse deos fruge colere, & mola salsa supplicare, & far torrere. ALIOS *ad dies* } ad alias ferias, ut scilicet rerum istarum copia suo tempore suppetat sacrificijs. In *quod ne committi possit* } In quo ne peccari possit, uiq. istarum rerum suppetat ubertas. DECORAE } idoneae. Non enim fetus illico sacris idoneus erat, uerum ouis die septimo, suis decimo. GRATAEQ. } singulis dijs suae quondam erant hostiae, Cereri porca, Baccho caper, Neptuno taurus: nec aliena hostia deus placabatur. IGNEM *foci* } Vestae sacer erat focus, in quo seruabatur ignis sempiternus, a uirginibus, quae Vestales dicebantur, & in eo res diuina Laribus plerumque fiebat. CAERIMONIIS, *& sacris;* } placandis dijs. EFFATA *incognita* } ut quae in Sibyllinis continebantur. AVGVRES } Hos lib. III. Iouis consiliarios, & administros esse datos ait. POSTEA *uidento* } Si Postea, pro, Deinde, accipiamus, otiosum uerbum uidebitur in lege breuissime conscripta. itaque aliter interpretor: ut sit, Postea, pro, In futurum, & quod postea euenturum est. DISCIPLINAM } Auguralem scientiam. AVGVRANTO } augurio capto exoranto. AVSPICIVM *praemonento* } premonento eos, quale sit eorum auspicium. DIVORVMQ. *iras* } cum irati sint dij. APPARENTO } more prisco: id est parento, ut nihil geratur irato deo. RATIS } certis, definitis. TEMPLA *liberata & effata,* } Ex antiquorum testimonio, & auctoritate reposuimus, Effata. nam M. Varro de lingua Lat. Hinc, inquit, Effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum caelestium extra urbem agris sint effati. hinc Effari templa dicuntur. ab auguribus effantur, qui in his fines sunt. hinc Fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sint finem. Et Gellius lib. XIII. cap. 14. de pomerio, his uerbis: Pomerium quid esset, augures populi R. qui libros de auspicijs scripserunt, istiusmodi sententia definierunt: Pomerium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, pone muros, regionibus certis determinatus: qui facit finem urbani auspicij. Et in eodem cap. Neque postea D. Iulius, cum pomerium proferret, intra effatos urbis fines inclusit. Pomerium est circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant. Vti appareat, Effari, & Consecrari idem esse. Praeterea Liuius lib. I. Iouis Statoris

aedem

aedem notam, ut Romulus ante uouerat: sed fanum tantum, id est locus templo effatus iam sacratus fuerat. Haec Paullus pater. *Liberata:* Liberata, inquit Festus, antiqui pro Effata, id est Locuta dixere. DEFIXERIT } praemonuerit. CAPITAL } Ita prisci. Plautus: Numquam aedepol fugiet, tametsi capital fecerit. FETIALES } Collegium Fetialium his rebus, quas lex memorat, praeerat, ut Liuius, & Dionysius explicant. Ius Fetialium etiam esse ait Dionysius disceptare iusto ne, & pio bello res repeti possint. AD *Etruscos, & haruspices,* } Placeret, Ad Etruscos haruspices. uide de Diu. lib. 1. ETRVRIAQ. *principes, &c.* } Etrusci ex disciplina sua doceant principes. Cicero lib. 1. de diuinat. Etruria autem de caelo tacta scientissime animaduertit, eademq. interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris, atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus, tum cum florebat imperium, decreuit, ut de principum filijs sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur. OBSTITA } Cloatius, & Aelius Stilo Obstitum esse aiunt uiolatum, tactumq. de caelo. Est & Obstitum obliquum & mendosum. Lucret. Omnia mendose fieri, atque obstita necesse est. PRAETER *olla, quae &c.* } praeter sacrificium Bonae deae, quod noctu pro populo fiebat, Damium dicebatur hoc sacrum, ut Festus scribit, & Bona de Damia, & eius sacerdos Damias. De hoc sacro ita Seneca in epistolis: Credat aliquis pecuniam esse uersatam in eo iudicio, quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Caesaris uxore in operto commiserat, uiolatis religionibus eius sacrificij, quod pro populo fieri dicebatur, sic semotis extra conspectum omnibus uiris, ut picturae quoque masculorum animalium contegerentur. Eius sacri meminit & Iuuen. CERERI, *Graeco sacro:* } quod a feminis innuptis fiebat. Dionysius lib. 1. Cicero pro Cornelio Balbo, Sacra Cereris, Iudices, summa maiores nostri religione confici caerimoniaq. uoluerunt: quae cum essent assumpta de Graecis & per Graecas sunt semper curata sacerdotes, & Graeca omnia appellata. SACRVM *commissum* } peccatum in dies festos, & sacra, uel prudenter commissum est, uel imprudenter. prudentia impia est, nec expiari potest: imprudentia expiatur: Macrobius: Praeter multam uero affirmabant, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiari non posse Scaeuola pontifex asseuerabat. SIVE *curriculo, siue certatione* } In hoc meam potius coniecturam, quam ueteres libros, sequi placuit. nam, Sine, ut antea legebatur, sententiae repugnat, quam indicat Cicero infra, his uerbis: Ludi publici sint corporum certatione. &c. Haec Paullus pater. Ego mendosum locum opinor. Cum enim & Circenses ludi, & scenici significentur, ut infra patet, quibus necesse est, circensibus tribui curriculum, & certationem corporum, scenicis uero cantum, fides, tibias. IDEAE *matris* } Ab Ida monte Phrygiae ita appellabatur Mater magna, quam ex Pessinunte Romam aduectam Nasica hospitio accepit Megalensibus eius famuli Galli stipem cogebant. CLEPSIT, *rapitq.* } id est clepserit, & rapuerit, ut supra, Iussit, pro Iusserit. VIOLATI *iuris* } Violatae religionis. Sic infra interpretatur hunc locum. SACRA *priuata* } Ita Cicero pro Murena: Sacra interire illi uoluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum caussa reperti sunt. DEORVM *manium* } Animos humanos e corpore liberatos, quia manere crederent, Manes a ueteribus uocatos uideri potest, cum sepulcris inscriberent, D. M. eisq. parentarent, & sacra priuata perpetuo manere uellent.

C I C E R O

ATT. Conclusa quidem est a te tam magna lex sanequam breuis: &, ut mihi quidem uidetur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae, nostrisq. moribus. M. An censes, cum in illis de rep. libris persuadere uideatur Africanus, omnium rerump. nostram ueterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimae reip. leges dare consentaneas? Att. Immo prorsus ita censeo. M. Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optimum reip. contineant: &, si quae forte a me hodie rogabuntur, quae non sint in nostra rep. nec fuerint, tamen erant fere in more maiorum, qui tum, ut lex, ualebat. Att. Suade igitur, si placet, istam ipsam legem; ut ego, Vti rogas, possim dicere. M. An tandem, Attice, non es dicturus aliter? Att. Prorsus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter: in minoribus, si uoles, remittam hoc tibi. atque mea quidem sententia est. M. At, ne longum fiat, uidete. Att. Vtinam quidem: quid enim agere malumus? M. Caste iubet lex adire ad deos, animo uidelicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori praestet, obseruetur q. ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id seruandum magis. nam incestum uel adspersione aquae, uel dierum numero tollitur: animi labes, nec diuturnitate uanescere, nec manibus ullis elui potest. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoueri iubet: significat probitatem gratam esse deo, sumptum esse remouendum. quid est enim, cum paupertatem diuitijs etiam inter homines esse aequalem uelimus, cur eam, sumptu ad sacra adhibito, deorum aditu arceamus? praesertim cum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum, & colendum uia. Quod autem non iudex, sed deus ipse uindex constituitur: praesentis poenae metu religio confirmari uidetur. Suosq. deos, aut nouos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum, & ignotas caerimonias, non a sacerdotibus, non a patribus acceptas. Deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi. Patrum delubra esse in urbibus censeo: nec sequor magos Persarum: quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia, ac libera; quorumq. hic mundus omnis templum esset, & domus. melius Graeci, atque nostri, qui, ut augerent pietatem in deos, easdem illos urbes, quas nos, incolere uoluerunt. affert enim haec opinio reli-

gionem utilem ciuitatibus: siquidem & illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo uiro, tum maxime & pietatem, & religionem uersari in animis, cum rebus diuinis operam daremus: & quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit; homines existimare oportere, omnia, quae cernerent, deorum esse plena: fore enim omnes castiores, uelutiq. in fanis essent, maxime religiosos. est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus. Eandemq. rationem luci habent in agris. Neque ea, quae a maioribus prodita est, cum dominis, tum famulis, posita in fundi, uillaeq. conspectu, religio Larum repudianda est. Iam ritus familiae, patrumq. seruari, id est, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a dijs quasi traditam religionem tueri. Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, & ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse, sed fortium, bonorumq. diuinos. Bene uero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu: quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt: ut, illa qui habeant, habent autem omnes boni, deos ipsos in animis suis collocatos putent. nam illud uitiosum Athenis, quod Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliae fanum, & Impudentiae. uirtutes enim, non uitia consecrare decet. araq. uetus stat in Palatio Febris: & altera in Exquilijs malae Fortunae, detestataeq. omnia eiusmodi repudianda sunt. quod si fingenda nomina uice poetae, at potius uincendi, atque potiundi stataßandi cognomina, quae Statoris, & Inuicti Iouis, rerumq. expetendarum nomina, ut Salutis, Honoris, Opis, Victoriae. quoniamq. exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam spes a Calatino consecrata est: Fortunaque, sis uel Huiusce diei; nam ualet in omnes dies: uel Respiciens, ad opem ferendam: uel Fors, in quo incerti casus significantur magis: uel Primigenia, a gignendo.

Multa desunt.

EXPLANATIO

NVMAE } qui Romanae reip. religionem, & caerimonias constituerat. VTI *rogas* } Allusit ad tabellas, in quibus scriptum erat, Vti rogas. uide ad Att. lib. I. & Liuium lib. XXXIII. Haec Paullus pater. DICERE. } pro, Sciscere. nam ad ueterem consuetudinem respexit: cum suffragium uoce ferebatur ante legem Carbonis, de qua meminit infra lib. III. Haec Paullus pater. AN *tandem, Attice, non es dicturus aliter?* } Rectius opinor, Ain tandem? Sic locutus alibi quoque. ut lib. I. Ain tandem? etiam à Stoicis ista tractata sunt? & epist. 21. lib. IX. Fam. & lib. IV. de Fin. in principio. Nec semel Terentius. Haec Paullus pater. REMITTAM *hoc* } nimirum, ut suadeas. ATQVE *mea quidem sententia est.* } Non satis hoc apte mihi uidetur coniungi, cum antecedentibus Attici uerbis: & malim ad M. Ciceronem transferri: qui se quoque dicat idem sentire de suadenda lege, sed ereri, ne mox Attico, & Quincto longior uideatur oratio. Haec Paullus pater. INCESTVM } libidinis pollutionem incestum dixit quasi non castam rem, ne foeda loqueretur. NEC *manibus ullis* } quantum uis te manibus eluas. SVOS } priuatos, ac proprios, qui non coluntur publice. ACCEPTOS } approbatos. INFLAMMASSE *templa Graeciae* } Id Aeschylus in Persis conqueritur. EANDEMQ. *rationem* } quam in urbis habent delubra, ut augeatur hominum pietas in deos. ID *est, tueri.* } hoc ipsum tueri. CONSECRATVR *manu.* } Cicero pro domo, Postem teneri oportere in dedicatione templi uideor audisse. Liuius lib. II. de dedicatione templi Capitolini, Postem iam tenenti consuli foedam inter precationem deum nuncium incutiunt. CYLONIO *scelere* } De Cylonio Phauorinus. ita legendum, non Celonio, ex Thucy. Historiam ita scribit Thucydides lib. I. Cylon quidam Atheniensis fuit uir Olympionices, uetusta nobilitate, magnaque potentia. ipsi Delphis oraculum consulenti respondit deus, ut maximis Iouis ferijs Athenarum arcem occuparet. Is postquam Olympia, quae in Peloponneso celebrantur, aduenere, arcem inuasit. Quod ubi cognitum est, Athenienses ex agris populariter in eos ad opem urbi ferendam concurrerunt, ac sedentes iuxta obsederunt. Ceterum, qui cum Cylone obsessi erat, & ab annona, & ab aqua misere conflictabantur. Cylon igitur, eiusque frater clam fugam faciunt: reliqui ad aram, quae in arce erat, supplices considerunt: quos sedibus extractos Atheniensium custodes, ut in aede iam iamq. animam acturos uiderunt, ne quid sceleris admitterent, extra abductos obtruncarunt. sed & quosdam, qui ad Eumenidum aras consederant, in transitu iugularunt. Inde piaculares deaeque sacri ipsi posteriq. eorum uocati sunt. Epimenidem decem ante res Persicas annis Athenas scelere Cylonio ex dei oraculo expiasse meminit Plato primo legum. Lustrauit autem non solum Athenas, uerum etiam alias multas urbes Epimenides, si Pausaniae fides habenda est. ARAQ. *uetus, &c.* } Muretus ita legit: Araque, quae uetus stat in Palatio, Febris; & altera Esquilijs Malae Fortunae, detestataq. omnia eiusmodi, repudianda sunt. uide de nat. de. lib. III. Haec Paullus pater. VICE *poetae* } fortasse legendum, Victae, & Potuae: de quibus deabus Arnobius aduersus gentes. STATORIS } Statori Ioui aedem uouit Romulus. auctor Liuius. INVICTI *Iouis* } Iuppiter inuictus Romae colebatur. Ouid. lib. VI. Fast. HVIVSCE *diei;* } Huiusque diei, in antiquo libro, & in uetere lapide Capitolino. Pli. XXXIV. cap. 8. FORS } Varro lib. V. de ling. Lat. PRIMIGENIA, } Plutarch. in Problem.

CICERO

*CVm est uel feriarum, festorumq. dierum ratio, in liberis requietem habet litium, & iurgiorum; in seruis, operum, & laborum: quas compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. quod tempus, ut sacrificiorum libamenta seruentur, fetusq. pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio interkalandi est: quod institutum perite a Numa, posteriorum pontificum negligentia dissolutum est. Iam illud ex institutis pontificum, & haruspicum non mutandum est, quibus hostijs immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. Plures autem deorum omnium, & singuli singulorum, sacerdotes, & respondendi iuris, & conferendarum religionum facultatem afferunt. Cumq. Vesta quasi focum urbis, ut Graeco nomine est appellata, quod nos prope idem Graecum interpretatum nomen tenemus, complexa sit; ei colendae uirgines praesint: ut aduigiletur facilius ad custodiam ignis; & sentiant mulieres in natura feminarum omnem castitatem peti. Quod sequitur uero, non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad ciuitatis statum, ut sine ijs, qui sacris publice praesunt, religioni priuatae satisfacere non possint. continet enim remp. consilio, & auctoritate optimatum semper populum indigere: descriptioq. sacerdotum, nullum iustae religionis genus praetermittit. nam sunt ad placandos deos alij constituti, qui sacris praesunt sollemnibus; ad interpretanda alij praedicta uatum, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset. Maximum autem, & praestantissimum in rep. ius est augurum, & cum auctoritate coniunctum. neque uero, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperijs, & summis potestatibus comitiatus, & concilia uel instituta dimittere, uel habita rescindere? quid grauius, * quam rē susceptam dirimi, unus si augur, Aliter, dixerit? quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius, aut dare, aut non dare? quid, leges, non iure rogatas, tollere, ut etiam decreto collegij, ut Liuias consilio Philippi consulis, & auguris? nihil domi, nihil militiae per magistratus gestum, sine eorum auctoritate, posse cuiquam probari? Att. Age, iam ista uideo, fateorq. esse magna: sed est in collegio uestro inter Marcellum, & Appium, optimos augures, magna dissensio. nam eorum ego in libros incidi, cum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse reip. composita, alteri disciplina uestra quasi diuinare uideatur posse. hac tu de re, quaero, quid sentias. M. Ego ne? diuinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, esse censeo, & huius hanc ipsam partem, quae est in auibus, ceterisq. signis disciplinae nostrae: quod cum summos deos esse concedamus, eorumq. mente mundum regi, & eorundem benignitatem hominum consulere generi, & posse nobis signa rerum futurarum ostendere; non uideo, cur esse diuinationem negem. sunt autem ea, quae posui; ex quibus id, quod uolumus, efficitur, & cogitur. Iam uero, permultorum exemplorum, & nostra plena est resp. & omnia regna, omnesq. populi, cunctaeq. gentes, augurum praedictis multa incredibiliter uera cecidisse. neque enim Polyidi, neque Melampodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset; neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeq. Pisidarum, nisi uetustas ea certa esse docuisset. nec uero Romulus noster auspicato urbem condidisset: neque Attij Nauij nomen memoria floreret tam diu, nisi hi omnes multa ad ueritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est, quin haec disciplina, & ars augurum euanuerit iam & uetustate, & negligentia. ita neque illi assentior, qui hanc scientiam negat, umquam in nostro collegio fuisse: neque illi, qui esse etiam nunc putat. quae mihi uidetur apud maiores fuisse duplex, ut ad reip. tempus non numquam, ad agendi consilium saepissime pertineret. Att. Credo hercle ita esse; istiq. rationi potissimum assentior. sed redde cetera. M. Reddam uero, & si potero, breui.*

EXPLANATIO

FERIARVM, *festorumque* } Festi dies latius patent, quam feriae, cum ludi festi dies sint, non tamen feriae. Interkalatio anni confert, ut feriae anniuersario suo tempore redeant perfecto opere rusticorum, & libamenta, quae ferijs quibusque offerenda sunt, suo tempore habeantur. CONFERENDARVM } Sic antiquus liber: & omnino melius, quam, Confitendarum, ut ante. plures autem sacerdotes ideo probat, ut de religionibus inter se conferre possint. Haec Paullus pater. CVMQ. *Vesta* } Vesta a Graecis ἑστία dicitur: quae dictio ἐσχάραν quoque id est focum significat. Cicero lib. II. de nat. deo. In ea dea, quae est rerum custos intimarum, omnis & precatio, & sacrificatio extrema est. OPTIMATVM } nam pontifices ex optimatibus sunt, & principibus ciuitatis, cum ex senatoribus creentur. ALII *praedicta natum* } ut Decemuiri libris Sybillinis praefecti. NEQVE *multorum*, } Multa enim sunt uaticinandi genera, quae Rom. populus non probauit. SVM *augur* } Ab exsulio reuersus Cicero in augurum collegium ab Hortensio cooptatus fuit. COMITIATVS } comitia. CONCILIA } Laelius Felix apud Gellium sic ait: Is, qui non uniuersum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non comitia, sed concilium edicere debet. SI *unus augur*, *Aliter, dixerit.* } Sic antiquus liber. ego, quo minor mutatio fiat, legerem, Ali die, pro, Alio die: antique: cum etiam in generandi casu dicerent, Alius, a nominatiuo, hic, & haec Alis, & hoc Ale. de hoc augurum more in nunciando, cum

impedire comitia uellent, in II. Philippica: Confecto negotio bonus augur, Alio die, inquit. Sed in his libris de legibus libentius, quam alibi, antiqua uerba Cicero usurpat; quo plus auctoritatis ipsa res, ab antiquis etiam ducta moribus, habeat. Haec Paullus pater. SE *abdicent consules:* } Vide lib. II. de natu. deo. AGENDI *ius* } nam augurato id fiebat. QVID, *leges, non iure rogatas tollere, ut etiam decreto collegij, ut Liuias consilio Philippi consulis, & augucis?* } Nulla certior est coniectura, quam quae nititur historia. hic pro, Etiam, satis liquet, nomen legis esse reponendum, *quae* sicuti Liuiae leges, a Druso latae, ex uoluntate senatus, decreto augurum, sublata sit. &, quoniam hoc ipso in libro mentio iam facta est de legibus Titijs, Appuleijs, Liuijs; quod rationibus, ut puto, non leuissimis probaui: propterea crederem & hic legendum esse, Titiam, non Etiam. Haec Paullus pater. NIHIL *domi,* } nihil in urbe. INTER *Marcellum, & Appium,* } De his lib. II. de diuinat. Equidem assentior C. Marcello potius, quam Appio Claudio, qui ambo mei collegae fuerunt: existimoque ius augurum, etsi diuinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea reip. caussa reseruatum, ac retentum. CETERISQVE *signis* } de quibus lib. I. de diuinat. NEQVE *illi assentior* } nimirum Marcello. NEQVE *illi, qui esse &c.* } nimirum Appio. AD *reip. tempus* } Ad reipub. utilitatem, ut scilicet religionem animus obijceret. AD *agendi consilium* } ad explorandum deorum consilium in rebus agendis.

C I C E R O

SEQVITVR enim de iure belli: in quo & suscipiendo, & gerendo, & deponendo ius plurimum ualet, & fides: horumq. ut publici interpretes essent, lege sancimus. Iam de haruspicum religione, de expiationibus, & procurationibus, satis superq. in ipsa lege dictum puto. Att. Assentior; quoniam omnis haec in religione uersatur oratio. M. At uero, quod sequitur, quo modo aut tu assentiare, aut ego reprehendam, sane quaero, Tite. Att. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificijs mulierum. Att. Ego uero assentior, excepto praesertim in ipsa lege, sollemni sacrificio, ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidaeq. uestri, & augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Rom. sed omnibus bonis, firmisq. populis leges damnas. Att. Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. M. Ego uero excipiam. nam mihi cum multa eximia, diuinaq. uidentur Athenae tuae peperisse, atque in uita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysterijs, quibus ex agresti, immaniq. uita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus, initiaq. ut appellantur, ita re uera principia uitae cognouimus. neque solum cum laetitia uiuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. ✻ Quid autẽ mihi displiceat in nocentes, poetae indicant comici. qua licentia Romae data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne imprudentiam, quidem oculorum adijci fas fuit? A. Tu uero istam Romae legem rogato, nobis nostras ne ademeris. M. Ad nostras igitur reuertor: quibus profecto diligentissime sanciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat; initienturq. eo ritu Cereri, quo Romae initiantur. quo in genere seueritatem maiorum senatus uetus auctoritas de Bacchanalibus, & consulum, exercitu adhibito, quaestio, animaduersioq. declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte uideamur, in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nouos uero deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta ueteris comoediae, uexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alij dij, peregrini iudicati, e ciuitate eijciantur. Publicus autem sacerdos imprudentiam, consilio expiatam, metu liberet; audaciã in admittendis religionibus foedis damnet, atque impiam iudicet. Iam ludi publici, cum sint cauea, circoq. diuisi, sint corporum certatione, cursu, & pugillatione, luctatione, curriculisq. equorum usque ad certam uictoriam circo constituti: cauea, cantu, ac fidibus, & tibijs, dummodo ea moderata sint, ut lege praescribitur. assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam uarios canendi sonos: quorũ, dici uix potest, quãta sit uis in utramque partem. nãque & incitat languẽtes, et languefacit excitatos: & tum remittit animos, tum contrahit. ciuitatumq. hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum uocum seruare modum. quarum mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine, corruptelaq. deprauati, ut quidam putant: aut quod, cum seueritas eorum ob alia uitia cecidisset, tum fuit in auribus, animisq. mutatis etiam huic mutationi locus. quamobrem ille quidem sapientissimus Graeciae uir, longeq. doctissimus, ualde hanc labem ueretur: negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. ego nec tam ualde id timendum, nec plane contemnendum puto. illa quidem, quae solebant quondam compleri seueritate iucunda Liuianis, & Naeuianis modis, nunc ut eadem exsultẽt, ceruices oculosq. pariter cum modorum flexionibus torqueant. grauiter olim ista uindicabat uetus illa Graecia, longe prouidens, quam sensim pernicies illapsa ciuium animos malis studijs, malisq. doctrinis, repente totas ciuitates euerteret. siquidem illa seuera Lacedaemon neruos iussit, quos plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demi. Deinceps in lege est, ut de ritibus patrijs colantur optimi. de quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent; oraculum editum est, eas, quae essent in more maiorum. quo cum iterum uenissent; maiorumq. morem dixissent saepe esse mutatum; quaesissentque, quem morem potissimum sequerentur e uarijs: respondit, optimum. & profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum, & deo proximum, quod sit optimum. Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies, propriam Idaeae matris, excepimus. implet n. superstitione animos, & exhaurit domos. Sacrilego

poena est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit; sed etiam ei, qui sacro commendatum. quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos in delubro pecuniam dicitur. Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiae, ciuis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. Sed iam de periurijs, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est.

EXPLANATIO

PVBLICI *interpretes essent* } quos Feriales nominauit. Dionysius Ferialium collegium a Numa institutum scribit. IN *religione* } cui parendum est, & non contradicendum. EXCEPTO *sacrificio* } nimirum publico illo, quod Vestales Bonae deae faciebant. IACCHVM } Multi fuere Bacchi, primum tamen e Ioue, & Proserpina natum dixit Cicero lib. III. de nat. deo. his uerbis: Dionysios multos habemus, primum e Ioue, & Proserpina natum &c. & lib. II. Liberum Semele natum, non eum, quem nostri maiores auguste, sancteq; Liberum cum Cerere, & Libera consecrauerunt. Quod quale sit, ex mysterijs intelligi potest. Primum hunc siue Bacchum, siue Iacchum (nam Iacchi nomen Eleusinij deabus ita familiare fuisse, inquit Herodotus, ut Dianae Virbius, Adonis Veneri, & Atys Cibeli) quidam in fabulis biformem relatum dicunt, quia primus nuptias instituerit: alij, quia primus boues ad iugum iunxerit. Orpheus tamen in hymno in Misen Bacchum, ita cecinit: Ἄρσενα καὶ θῆλυν διφυῆ. id est Femina, masq. simul, gemina huic natura. Huic qui initiaretur, bis eum inuocare solitos dicunt, clamando ἴακχ' ὦ ἴακχε. ad innuendam eius duplicem naturam. Iacchi meminit etiam Claudianus in his:

Ecce procul ternis Hecate uariata figuris
Exoritur, laetusq. simul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica tigris
Velat, & auratos in nodum colligit ungues,
Ebria Meonijs figit uestigia thyrsis.

EVMOLPIDAEQ. *nostri* } Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Eumolpidaeq. nostri. Haec Paullus pater. *Eumolpidae:* Eumolpus Eleusinius fuit, Musaei poetae filius, Orphei discipulus. Initiandi ritum inuenit, & de sacris Cereris, & mysterijs conscripsit, ab eoque Eumolpidae uocabantur mysteriorum illorum sacerdotes. Bacchanalia nocturnum sacrum Graecum seminarium omnium scelerum inuestigata, & multorum poena sublata fuere Sp. Postumio, & Marcio Philippo cos. auctor Liuius belli Maced. lib. IX. QVIBVS *initiati sumus* } tamquam augusta, sanctaque. PRINCIPIA *uitae* } nam inuento frumento Ceres homines feros, & uagantes collegisse dicitur, eosq. legibus subiugasse, quibus iustitia omnibus seruaretur. CVM *spe meliore* } credebant enim apud inferos in beatorum insulis futuros initiatos, reliquos autem in coeno uolutari, ut est apud Diogenem Laertium, & apud Aristoph. in Ranis. IN *nocentes* } Longe discedit ab antiquis libris eorum coniectura, qui legendum existimant, In nocturnis. alij coniungunt cum posteriore sententiae parte: ut sit: poetae comici indicant iunocentes. mihi omnino mendosum uidetur. Haec Paullus pater. POETAE *indicant Comici* } Quorum comoediae saepe habent argumenta puellarum stupratarum in Cereris peruigilationibus. Plaut. in Aulul. Qui illam stuprauit nocte Cereris uigilijs. EGISSET *ille* } Clodium notat, de quo paullo supra. ADTICI *fas* } Persuasum enim erat oculos amitti ab ijs, qui sacra ea uidissent, Cicero de haruspicum responsis: Aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti. NOBIS } Atheniensibus. INITIENTVRQ. } Interdiu, non ut Athenis, noctu. LEGE *perpetua* } nam ad bonitatem, & firmitatem populorum legem instituebat. sic supra Cicero dixit: Non enim populo Romano, sed omnibus bonis, firmisq. populis leges damus. VETERIS *comoediae* } Nunc non exstat comoedia, quam Cicero citat. SABAZIVS } Liber pater, siue Bacchus, a σαβάζειν, quod est Bacchari Sabazius dicitur. Inde Sauazare iuxta Italicum idioma uir doctus deflexum putauit. Diodorus lib. v. de Sabazio ita scribit: Traditur quoque & alter multa prior aetate fuisse Dionysius, quem ferunt ex Ioue, & Proserpina natum, a nonnullisq. appellatum Sabazium, cuius genus, sacra, honores, propter pudorem, nocturna occultaq. agunt. hic dicitur propter ingenij acumen primus boues ad iugum iunxisse, eorumq. opera iacta semina frugem reddidisse, qua ex re illum cum cornibus finxerunt. CONSILIO *expiatam,* } cum, quod imprudenter commisit, id sciens expiauit. ADMITTENDIS *religionibus foedis* } Iulius Paulus Sentent. v. Qui nouas, inquit, & usu, uel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum mouentur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur. CVRSV } Triplex equorum cursus, κέλητι, id est equo uno; ἵπποις, duobus desultorijs; ἅρματι bigis, aut quadrigis. Vide inscriptiones Odarum Pindari. Homerus Iliad. Ψ posuit octo ludorum genera, equorum cursus, caestus, lucta, cursus, certamen lanceae, discus, sagitta, iaculum. CAVEA } id est theatro, CANTV, *uoce,* } Sustuli dictionem, Voce, tum quia non erat in antiquo libro, tum quia glossema uisa est antecedentis dictionis. praeterea, qui locus legis hic exponitur, in eo Vocis nulla mentio. sunt enim ibi haec: Populum laetitiam in cantu, & fidibus, & tibijs moderanto. Haec Paullus pater. PLATONI } in lib. de rep. & de legibus. MORES *lapsi* } hinc simplicem, & antiquam musicam probat Plato, nihilq. in ea innouari permittit. Aegyptios laudans, apud quos neque pictura, neque choreae, nec musica immutabatur; sed Isidis poemata semper canebant. NEGAT *enim* } Plato lib. IV. de rep. refert Damonem dixisse, Musicae modos in rep. mutari non posse, quin protinus maximarum legum sequatur immutatio. LIVIANIS, *& Naeuianis* } Cicero modos antiquos probat, quales a Liuio Andronico, & Naeuio antiquis poetis compositi erant. EADEM *exsultent,* } eadem saltent. CVM *modorum flexionibus* } cum cantici flexionibus. TORQVEANT. }

Meliore,

Meliore, ut opinor, sententia, legeretur, Torquent. Haec Paullus pater. TIMOTHEI *fidibus demi.* } Cum in antiquo libro scriptum uideam, Inde, pro, Demi; in alio autem, Inde demi: malim, Incidi. nam Graeco uerbo, *ἀποτέμνει*, quo Plutarchus utitur, cum hanc rem narrat, *ἐν Λακωνικοῖς ἀποφθ.* magis respondet, Incidi, quam, Demi. Haec Paullus pater. IMPLET *superstitione* } olim namque Isidis sacerdotes, alijq. diuinatione quadam, & caerimonia non exiguum aes colligebant, & prauam religionem inducebant. quod genus homines Aeruscatores fere uocabant. APVD *Solos* } Ita uocatur Ciliciae urbs apud Issum. Solebant autem ueteres diuitias suas templis committere, quasi seruarentur deorum religione, & fide. ATHENIENSIS *Clisthenes* } Ab hoc remp. expulsis tyrannis, optime constitutam fuisse, scribit Isocrates in Areopagitico. IVNONI *Samiae* } hoc est Sami religiose culta. Est autem Samus insula Cariae opposita, Parthenia prius, alijsq. nominibus appellata, teste Stephano. Varro scribit, Sami Iunonem adoleuisse, & etiam Ioui nupsisse, itaque ibi nobilissimo, & antiquissimo templo eius fuisse simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrata.

CICERO

DONIS impij ne placare audeant deos, Platonem audiant: qui uetat dubitare, qua sit mente futurus deus, cum uir nemo bonus ab improbo se donari uelit. Diligentia uotorum satis in lege dicta est, ac uoti sponsio, qua obligamur deo. Poena uero uiolatae religionis, iustam recusationem non habet. quid ego hic sceleratorum utar exemplis, quorum plenae tragoediae? quae ante oculos sunt, ea potius attingantur. etsi haec commemoratio, uereor, ne supra hominis fortunam esse uideatur: tamen, quoniã sermo mihi est apud uos, nihil reticebo: uelimq. hoc, quod loquar, dijs immortalibus gratum potius uideri, quam graue. Omnia tum perditorum ciuium scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt: uexati nostri lares familiares: in eorum sedibus exaedificatũ templum Licentiae: pulsus a delubris is, qui illa seruarat. circumspicite celeriter animis, (nihil enim attinet quemquam nominari) qui sint rerum exitus consecuti. nos, qui illam custodem urbis, omnibus ereptis nostris rebus, ac perditis, uiolari ab impijs passi non sumus; eamq. ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus; iudicia senatus, Italiae, gentium denique omnium conseruatae patriae consecuti sumus. quo quid accidere potuit homini praeclarius? quorum scelere religiones tum prostratae, afflictaeq. sunt; partim ex illis distracti, ac dissipati iacent; qui uero ex ijs & horum scelerum principes fuerunt, & praeter ceteros in omni religione impij, non solum uita cruciati, atque dedecore, uerum etiam sepultura, & iustis exsequiarum caruerunt. Q. Equidem ista agnosco, frater; & meritas dijs gratias ago: sed nimis saepe secus aliquanto uidemus euadere. M. Non enim, Quincte, recte existimamus, quae poena diuina sit: & opinionibus uulgi rapimur in errorem, nec uera cernimus: morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicij, hominum miserias ponderamus: quae fateor humana esse, & multis bonis uiris accidisse: sceleris autem poena tristis, &, praeter eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. uidimus, qui nisi odissent patriam, numquam nobis inimici fuissent, ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia; quid agerent, modo timentes, uicissim contemnentes religiones; iudicia perrupta ab ijsdem, corrupta hominum, non deorum. Reprimam iam, & non insequar longius, eoq. minus, quo plus poenarum habeo, quam petiui. tantum ponam, duplicem poenam esse diuinam, quod constet & uexandis uiuorum animis, & ea fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio uiuorum, & gaudio comprobetur. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentior: qui, si modo interpretari potuero, his fere uerbis utitur. Terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est. quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem, & argentum in urbibus, et priuatim, & in fanis inuidiosa res est. Tum ebur ex inanimo corpore extractum, haud satis castum donum deo. Iam aes, atque ferrum, duelli instrumenta, non fani ligneum autem quodque uoluerit, uno e ligno dedicato, itemq. lapideum, in delubris communibus. Textile, ne operosius, quam mulieris opus menstruum. Color autem albus praecipue decorus deo est, cũ in ceteris, tum maxime in textili. tincta uero absint, nisi a bellicis insignibus. Diuinissima autem dona aues, & formae ab uno pictore uno absolutae die. itemq. cetera huius exempli dona sunto. Haec illi placent. sed ego cetera nõ tam restricte praefinio, uel hominum uitijs, uel subsidijs temporum uictus. terrae cultum segniorem suspicor fore, si ad eam tuendam, ferroq. subigendam, superstitionis aliquid accesserit.

EXPLANATIO

NE *placare* } scilicet, faciendo dijs rem diuinam. PLATONEM } lib. IV. de leg. *Παρὰ δὲ μιαροῦ δῶρα οὔτ' ἄνδρ' ἀγαθὸν, οὔτε θεὸν ἐστί ποτε τό γε ὀρθὸν δέχεσθαι.* DILIGENTIA *uotorum* } qua uota redderent. VIOLATAE *religionis* } supra dixit: Poena uiolati iuris esto: IVSTAM *recusationem non habet* } cum fraudis, & impietatis cruciatu semper uexentur. NE *supra hominis fortunam &c.* } ne mihi nimium arrogare uidear. APVD *nos,* } Ita superius dixit, Quoniam & sermo, & locus familiaris est. NOSTRI *lares familiares:* } Sunt enim etiam Lares publici. TEMPLVM *Licentiae* } Cicero pro Domo: Tu in ciuis domo simulacrum non Libertatis publicae, sed Licentiae collocasti. Plutarchus in Cicerone: *Ὁ δὲ Κλώδιος ἐξελάσας τὸν Κικέρωνα,*

ἐξήλασε, κατέπρησε μὲν αὐτοῦ τὰς ἐπαύλεις, κατέπρησε δὲ τὴν οἰκίαν, καὶ τῷ τόπῳ ναὸν ἐλευθερίας ἐπωκοδόμησε. id est, Clodius Ciceronis, quem exterminarat, & uillas inflammanit, & aedes incendit, illicq. Libertatis templum construxit. ILLAM *custodem urbis*] Mineruam intelligit: nam Plutarch. Ea, inquit, Ciceroni probabantur: ac protinus Mineruae simulacrum, quod iamdiu domi locatum supra modum colebat, in Capitolium delatum dicauit, subscripsitq. Mineruae Romae custodi. IN *ipsius patris domum*] In templum Iouis Capitolini. IVDICIA *conseruatae patriae*] nam Pater patriae dictus. PARTIM] Sallust. quoque in oratione C. Cottae semel Partim usurpat: Quorum alia toleraui, partim repuli deorum auxilijs, & uirtute mea. DISTRACTI] a coniurata societate. IVSTIS *exsequiarum*] ad Clodium respicit, cuius cadauer semiustulatum dilaniandum prope canibus relictum est, ut in orat. pro Milone docet. OPINIONIBVS *uulgi*] existimantis miserias dolore corporis. OFFENSIONE] condemnatione. HVMANA] in homines expetere solere. EOS *euentus*,] cruciatus. IVDICIA *perrupta*] ea intelligit, quibus absolutus est de Clodius de uiolata religione Bonae deae. TANTVM *ponam, duplicem poenam esse &c.*] Hunc locum ope duorum ueterum librorum, quorum unum doctissimus uir, omniumque; quos nouerim, humanissimus, Hannibal Cruceeius mihi commodanit, facile correxi; coniectura nihil opus fuit. Haec Paullus pater. VTITVR] lib. XII. de legibus. γῆ μὲν οὖν ἑστία τε τῶν οἰκήσεως ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν. &c. INVIDIOSA *res*] Quae finitimos ad inuidiam impellit, & nonnunquam ad inferendum bellum spe praedae. INANIMO *corpore*] Ante, Inani: ego & ex uetere libro, &, ut puto, recte, Inanimo. minor etiam mutatio, Inanimi, ex Inani; sed antiquum librum sequi malo. Haec Paullus pater. NON *satis castum*] non satis conueniens deorum simulacris, & fanorum ornamentis. quidquid enim ex cadauere est, funestum censebant. DVELLI *instrumenta non fani*] ubi deorum pacem petimus. ALBVS.] quia non est infectus. TEXTILI] Vt panno, uel tela, quae dicabitur. FORMAE] imagines. SVNTO.] ἔστω, dixit Plato. SED *ego cetera &c.*] Assentior, inquit, Platoni terram non esse consecrandam: cetera, de quibus praecipit, non tam restricte praefinio. FARROQ. *subigendam*] uomere arandam, & ligone pastinandam. *Subigendam*: Sic opinor, melius, quam Subijciendam, ut antea legebatur. hoc quoque ex antiquo libro. Haec Paullus pater.

CICERO

ATT. Habeo ista: nunc de sacris perpetuis, et de manium iure restat. M. O miram memoriam, Pomponi, tuam. at mihi ista exciderant. Att. Ita credo: sed tamen hoc magis eas res & memini, et exspecto, quod & ad pontificium ius, & ad ciuile pertinent. M. Vero: & apertissima sunt istis de rebus & responsa, & scripta multa: & ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad potero, eius ipsius generis ius ciuile nostrum, sed ita, locus ut ipse notus sit, ex quo ducatur quaeque res, & ars iuris: ut non difficile sit, quaecumque noua caussa, consultatio ue acciderit, eius tenere ius, cum scias a quo sit capite repetendum. Sed iurisconsulti, siue erroris obijciendi caussa, quo plura, & difficiliora scire uideantur; siue, quod similius ueri est, ignoratione docendi; (nam non solum, scire aliquid, artis est, sed quaedam ars etiam docendi) saepe, quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur: uelut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scaeuolae faciunt, pontifices ambo, & idem iuris peritissimi? saepe, inquit Publij filius, ex patre audiui, pontificem bonum neminem esse, nisi qui ius ciuile cognosset. totum ne? quid ita? quid enim ad pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut ullo omnino? ergo quod cum religione coniunctum est: (id autem quantulum est?) de sacris credo, de uotis, de ferijs, de sepulcris, et si quid eiusmodi est. cur igitur haec tanta facimus, cum cetera perparua sint? de sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conseruentur, & deinceps familijs prodantur: &, ut in lege posui, perpetua sint sacra. hoc posito, haec iura, pontificum auctoritate, consecuta sunt, ut, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, ijs essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia uenerit. hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri. quaeruntur enim, qui adstringantur sacris. Heredum caussa iustissima est. nulla est enim persona, quae ad uicem eius, qui e uita emigrarit, propius accedat. Deinde qui morte, testamento ue eius tantundem capiat, quantum omnes heredes: id quoque ordine: est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco: si nemo sit heres, qui de bonis, quae eius fuerint, cum moritur, usuceperit plurimum. Quarto: si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius, qui plurimum seruet. Externa illa persona est, ut is, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminiq. eam soluerit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit. Haec nos a Scaeuola didicimus, non ita descripta ab antiquis. nam illi quidem his uerbis docebant: tribus modis sacris adstringi, hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat; aut, si maior pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit. sed pontificem sequamur. Videtis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices pecuniam sacris coniungi uolunt: ijsdemq. ferias, & caerimonias adscribendas putant. atque etiam dant hoc Scaeuolae, quod est partitionis caput; si in testamento deducta, scripta non sit, ipsiq. minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. in donatione, hoc idem secus interpretantur. et quod paterfamilias in eius donatione, qui in ipsius potestate esset, approbauit, ratum est: quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est. his propositis quaestiunculae multae nascuntur, quas qui non intelligat, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat: ueluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur, ac post de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte, id,

quod

quod ab eo, cuius ipse heres esset, praetermissum fuisset; eaq. pecunia non minor esset facta, cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset relicta; qui eam pecuniam exegisset, solum, sine coheredibus, sacris alligari.

EXPLANATIO

AD *pontificium ius*, } ad religionem. AD *ciuile* } ad ius singulorum. VERO: *& apertissima sunt* } Hoc meum est. nam omnes & scripti, & impressi, quos uiderim, libri, Vera, & apertissima sunt. mihi & consuetudo uetus Latine loquendi, & ipsa sententia, Vero, demonstrauit esse uerius. est enim pro, Sane. Sic locutus est in Bruto: sic alibi. Locus etiam de Diuinatione lib. 1. mendose legebatur, &, Vere, pro, Vero, impressi libri habebant. Haec Paullus pater. IN *hoc omni sermone* } scilicet, de legibus. NOSTRVM } Romanumq. SED *ita, &c.* } non uerbose, sed eatenus, ut intelligi possit. QVAEQVE *res* } quaeque pars. DIFFICILE *sit, qui paullum modo ingenio possit moueri, quaecumque noua, &c.* } Hoc, Qui paullum modo ingenio possit moueri, in nostrum librum ut reciperem, uisum non est. nam neque uidi esse in antiquis libris, & speciem glossematis aliquam praesefert. etiam, Ingenio moueri, quam Latinum, & usuatum sit, uidendum. Haec Paullus pater. CAVSSA *consultatione* } Caussa in foro tractatur ab Oratoribus: Consultatio a Iurisconsultis explicatur. POSITVM *est in una cognitione* } simplici capite comprehenditur. SCAEVOLAE *ambo*, } nimirum P. Mucius pater, & Q. Mucius Publij filius, cui Cicero operam dedit. QVID *ita?* } Non est, inquit, pontifici necessarium ius ciuile; sed ius tantum priuatorum sacrorum. Quare adiunctione iuris ciuilis perturbatum est ius pontificium. HAEC *tanta facimus* } ciuilibus iuribus addimus pontificia. CETERA } iura, quae pontifici necessaria sunt. PERPETVA *sint sacra.* } Superuacaneum est, Sacra. PECVNIA } bona hereditaria. AD *uicem* } ad locum, siue munus, ut eadem prope persona uideatur. ID *quoque ordine* } Id quoque recte dicitur. PROINDE *habeatur*, } Ita habeatur sacris obnoxius. A *Scaeuola* } Q. Scaeuola. AB *antiquis* } scilicet, pontificibus. PONTIFICEM } Q. Scaeuolam, iuris pontificij peritiorem. PECVNIAM } hereditatem, quae pars est ciuilis iuris. PARTITIONIS *caput*; } Hoc ex ingenio, uir acumine ingenij, doctrinaq. excellens, Rancouetus praeclare, apteq. in primis ad sententiam, emendauit. Veteres libri, Partitio ut. Sed supra dictum est: Dant hoc Scaeuolae, quod est partitionis caput. Haec Paullus pater. DEDVCTA } ea pars, quae deducta est ab herede, quo minus caperet, quam ceteris heredibus relinqueretur. Haec Paullus pater. SECVS } dissentiunt a se ipsis. in testamento enim, quod scriptum non est, probant tamen. In donatione uero filij familias, si donauit insciente patre non probant. Haec Paullus pater. IN *eius donatione* } iure ab eo donata. SI *ad caput referat* } ad legem, ex qua pendent, refertur. SVPERIORE *exactione*, } coniuncta cum ea, quam primus heres cepisset.

CICERO

QVIN etiam cauent, ut, cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes & libram heredes testamenti soluat: propterea quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset. Hoc ergo loco, multisq. alijs, quaero a uobis Scaeuolae, pontifices maximi, & homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit, quod ad ius pontificium ciuile appetatis. ciuilis enim iuris scientia pontificium quoddam modo tollitis. nam sacra cum pecunia, pontificum auctoritate, nulla lege coniuncta sunt. itaque, si uos tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas: sed, quod ijdem iuris ciuilis estis peritissimi, hac scientia illa eluditis. placuit P. Scaeuolae, & Coruncanio, pontificibus maximis, itemq. ceteris, qui tantundem caperent, quantum omnes heredes, sacris alligari. habeo ius pontificium: quid huc accessit ex iure ciuili? partitionis caput, scriptum caute, ut centum nummi deducerentur. inuenta est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. quod si hoc, qui testamentum faciebat, cauere noluisset; admonet iurisconsultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. super dicebant; qui quid cepisset, adstringi: rursus sacris liberentur. Hoc uero nihil ad pontificium ius, & e medio est iure ciuili, ut per aes & libram heredes testamenti soluant; & eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitq. ea non * *doctum hominem sane, cuius fuit Attius perfamiliaris. sed mensem credo extremum anni, ut ueteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare pietatis adiunctum putabat. Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra, & gentem inferri fas negent esse: idq. apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popillia iudicauit. nec uero tam Denicales, quae a nece appellatae sunt, quia resident mortui, quam ceterorum caelestium quieti dies, feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac uita migrassent, in deorum numero esse uoluissent. eas in eos dies conferre ius, quibus nec ipsius, neque publicae feriae sint, totaq. huius iuris compositio pontificalis magnam religionem, caerimoniamq. declarat. Necesse est edisseri a nobis, qui finis funestae familiae, quod genus sacrificij lare, uernecibus fiat, quemadmodum os receptu, terra obtegatur, quaeq. in porca contracta iura sint, quo tempore incipiat sepulcrum esse, & religione teneatur. Ac mihi quidem antiquissimum sepulturae genus illud fuisse uidetur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur, redditur enim terrae corpus, & ita locatum,*

tatum, ac situm, quasi operimento matris obduci-tur.eodemq. ritu in eo sepulcro, quod procul ad Fontis aras, regem nostrum Numam conditum, accepimus: gentemq. Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marij sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla uictor, acerbiore odio incitatus, quam si tam sapiens fuisset, quam fuit felix. quod haud scio, an timens suo corpori posse accidere, primus e patricijs Cornelijs igni uoluit cremari: declarat etenim Ennius de Africano,

Hic est ille situs.

uere: nam siti dicuntur ij, qui conditi sunt. nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta, & corpus incensum est. & quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, ut humati dicantur id erat proprium tum in ijs, quos humus iniecta contegeret: eumq. morem ius pontificale confirmat. nam prius, quam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba, tum & ille humatus est, & sepulcrum uocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. itaque in eo, qui in naui necatus, deinde in mare proiectus esset, decreuit P. Mucius, familiam puram, quod os supra terram non extaret, porcam heredi esse: C. Cotta censet habendas triduum ferias, & porco femina piaculum pati: si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum, & ferias.

EXPLANATIO

SINE *religione*} sine crimine. religio enim est, id est animi culpa, plus capere, quam liceat. PONTIFICUM *auctoritate*,} ipsi enim pontifices sacra cum pecunia coniunxerunt: cum lex id tantum caueat, ne sacra intereant. HAC *scientia illa eluditis.*} nam calliditate iuris ciuilis pecuniam onere sacrorum liberantes, ius pontificum euertitis. CORVNCANIO} auctor est Pomponius T. Coruncanium Romae ius profiteri primum coepisse, & multa eius responsa extasse. HABEO *ius pontificium:*} nimirum, ne sacra intereant. PARTITIONIS *caput*} Ita & in praecedentibus. CAVERE *noluisset*;} deductionem facere noluisset ad liberandum legatarium. DOCTVM *hominem*} Decimum Brutum intelligit, de quo idem Cicero pro Archia, Decimus quidem Brutus summus uir, & imperator, Attij amicissimi sui carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornauit suorum. Illustratur hic locus ex Plutarch. problem. ubi inquit: Cur, cum ceteri Romani Februario mortuis parentarent, Decimus Brutus, ut Cicero scribit, id Decembri faciebat. HOSTIA *maxima*} ut iuuenco, aut tauro. DENICALES} Denicales, inquit Festus, feriae colebantur, cum hominis mortui caussa familia purgabatur. RESIDVNT} quiescunt. FVNESTAE} funere pollutae. OS *receptum*,} in reliquo corpore comburendo. Recipere, antiqua lingua Latina, ualet, excipere: ut cum ruta caesa recipi dicuntur in lege praediorum. Haec Paullus pater. IN *porca*} Festus ait porcam Cereri mactari ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non iniecisset. Varronis uero uerba haec sunt, Quod humatus non sit heredi porca praecidanea suscipienda Telluri, & Cereri, aliter familia pura non est. QVO *tempore*} nam, ut infra docebit, sepulcrum non ante incipit, quam iniecta sit gleba. APVD *Xenophontem Cyrus*} sic enim apud Xenophontem humari se praecipit Cyrus, Meum autem corpus, filij, cum e uita migrauero, neque in auro, neque in argento, neque alio quopiam loculo condatis: uerum terrae quamprimum reddatis. quid enim praestabilius, ac beatius, quam cum humo misceri, quae omnia bona parit, & educat? AD *Fontis aras*,} Liuio, Plutarcho, & Plinio testibus, Numa in Ianiculo in arcis lapideis cum suis libris sepultus est. C. *Marij*} Plinius lib. VII. cap. 54. Ipsum cremare apud Romanos non fuit ueteris instituti: terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum. Et tamen multae familiae priscos seruauere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus: idq. uoluisse, ueritum talionem, eruto C. Marij cadauere. FELIX.} Sic malo, quam, Vehemens: quod antea legebatur. malo autem, quia & in antiquo libro sic est, & habet quiddam, quod magis cum sententia congruere uideatur. Haec Paullus pater. NEC *tamen &c.*} Transfert sermonem ad eos, qui cremabantur. nam, si hoc uelis referre ad id, quod proxime antecessit, Qui conditi sunt: pugnabunt inter se cum subiungatur, Corpus incensum est: quod non dicitur de ijs, qui conduntur. C. *Cotta*} Sic antiquus liber: alij, Contra: ut ad Mucium referatur: quo sensu, ego non uideo. nam, quem hic locum habet, Contra? non enim opponi uideo posse proximis superioribus uerbis. malo igitur, C. Cotta fuit enim pontifex, sicut Mucius, ut ex libris de nat. dea. II. & III. constat. Haec Paullus pater.

CICERO

ATT. *Video, quae sint in pontificio iure: sed quae ro, ecquidnam sit in legibus. M. Pauca sane, Tite, &, uti arbitror, non ignota uobis: sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad ius sepulcrorum. hominem mortuum, inquit lex in XII, in urbe ne sepelito, ne ue urito. credo, uel propter ignis periculum. Quod autem addit, Ne ue urito, indicat non, qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. Att. Quid? qui post duodecim in urbe sepulti sunt clari uiri? M. Credo, Tite, fuisse, aut eos, quibus hoc ante hanc legem uirtutis caussa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri iure tenuerunt: aut eos, si qui hoc, ut Fabricius, uirtutis caussa soluti legibus consecuti sunt. sed in urbe sepeliri lex uetat. sic decretum a pontificum collegio, non esse ius in loco publico fieri sepulcrum. nostis extra portam Collinam aedem Honoris. aram in eo loco fuisse, memoriae proditum est. ad eam cum lamina esset inuenta,*

& in ea scriptum, Domina honoris; *ea caussa fuit aedis huius dedicandae. sed, cum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. statuit enim collegium, locum publicum non potuiße priuata religione obligari. Iam cetera in* X I I. *minuendi sumptus, lamentationesq. funeris, translata de Solonis fere legibus. hoc plus, inquit, ne facito. rogum ascia ne polito. nostis, quae sequuntur. discebamus enim pueri* X I I, *ut carmen necessarium, quas iam nemo discit. extenuato igitur sumptu tribus ricinijs, & uinculis purpurae, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem. Mulieres genas ne raduntо: ne ne leßum funeris ergo habento. hoc ueteres interpretes, Sex. Aelius, L. Acilius, non satis intelligere se dixerunt; sed suspicari, uestimenti aliquod genus funebris. L. Aelius, lessum, quasi lugubrem eiulationem, ut uox ipsa significat: quod eo magis iudico uerum esse, quia lex Solonis id ipsum uetat. haec laudibilia, & locupletibus fere cum plebe communia, quod quidem maxime e natura est, tolli fortunae discrimen in morte. Cetera item funebria, quibus luctus augetur, duodecim sustulerunt. Homini, inquit, mortuo ne ossa legito, quo post funus facit. excipit bellicam, peregrinamq. mortem. Haec praeterea sunt in legibus, de unctura: Quae seruilis unctura tollitur, om-* * *nisq. circumpotatio. quae & recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent. Ne sumpenosa respersio, ne longae coronae: nec acerrae praetereantur. Illa iam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam uirtute partam, & ei, qui peperisset, & eius parenti, sine fraude eße lex impositam iubet, credoque, quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectiq. plures inferrentur, id quoque ne fieret, lege sanctum est: qua in lege cum esset, Neue aurum addito, quam humane excipit altera lex, ne, quoi auro dentes uincti eßene, ast im cum illo sepelire, urere ne si fraude esto. & simul illud uidetote, aliud habitum esse, sepelire, & urere. Duae sunt praeterea leges de sepulcris: quarum altera priuatorum aedificijs, altera ipsis sepulcris canet. nam, quod rogum bustum ne nouum uetat propius sexaginta pedes adijci aedes alienas inuito domino, incendium ueratur acerbum: Quod autem forum, id est, uestibulum sepulcri, bustium ne usucapi uetat, tuetur ius sepulcrorum. haec habemus in duodecim, sane secundum naturam; quae norma legis est: reliqua sunt in more; funus ut indicatur, si quid ludorum; domusq. funeris utatur accenso, atque lictoribus; honoratorum uirorum laudes in concione memorentur; easq. etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen Naeniae; quo uocabulo etiam Gracchos cantus lugubres nominantur. Q. Gaudeo* * *nostra iura ad naturam accommodari, maiorumq. sapientia admodum delector. M. Sed credo, Quincte, ut ceteri sumptus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri: quos enim ad sumptus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulcro uides. sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem, alioqui multa exstarent ampla maiorum. M. Nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubemur sumptus, & luctum remouere a deorum manium iure, hoc intelligunt, in primis sepulcrorum magnificentiam esse minuendam. nec haec a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. nam & Athenis iam illo more a Cecrope, ut aiunt; permansit hoc ius terra humandi: quam cum proximi iniecerant, obductaq. terra erat; frugibus obserebatur: ut sinus, & gremium quasi matris mortuo tribueretur: solum autem frugibus expiatum ut uiuis redderetur. sequebantur epulae, quas inirent propinqui coronati: apud quas de mortui laude cum quid ueri erat praedicatum e nam mentiri nefas habebatur: ad iusta coniecta erant. postea quam, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera, & lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt. quam legem eisdem prope uerbis nostri decemuiri in decimam Tabulam coniecerunt: nam de tribus ricinijs, & pleraque illa, Solonis sunt: de lamentis uero expressa uerbis sunt: Mulieres genas ne raduntо, ne ne leßum funeris ergo habento.*

EXPLANATIO

IN *legibus* ʒ in X I I. tabulis. IN *urbe ne sepelito* ʒ Haec lex a Solone sumpta est. Initio enim quisque in suis aedibus sepeliebatur, cineres tamen. IN *loco publico* ʒ in urbe. sepulcra enim iuris priuati sunt. MINVENDI *sumptus* ʒ quae pertinerent ad minuendum sumptum. Hoc *plus* ʒ Quid, si, Opus, legas? nam & infra: Opere tectorio sepulcrum exornari non licebat. Aut, Hoc plus, intellige, plus eo quod supra definitum esset. omiserunt enim fortasse quaedam ex lege X I I. tabularum. Sed magis placet, Opus ne facito. quod explanatur sequentibus uerbis: Rogum ascia ne polito. nam, rogum ascia polire, est opus facere. Sunt, qui ita distinguant: Hoc plus inquit: Ne facito rogum, ascia ne polito. Sed non puto rogum prohiberi, cum uri concedatur. prohibebatur autem rogus ascia politus, non omnis rogus. Haec Paullus pater. RICINIIS ʒ Sunt, qui Ricinium dictam putant uestem, cuius dimidia retrorsum iaceretur a reijciendo. DECEM *tibicinibus*, ʒ In nobilium olim funeribus tuba, in pauperum, & plebeiorum tibia canebant. GENAS *ne raduntо:* ʒ Plin. lib. X I. cap. 38. Infra oculos malae homini tantum, quas prisci genas uocabant X I I. tab. interdicto radi a feminis eas uetante. Pudoris haec sedes. Ibi maxime ostenditur rubor. Solon, inquit Plutarchus, ἀμυχὰς κοπτομένων ἀφεῖλεν, i. lacerationes plangentium sustulit. NE *ne leßum* ʒ Cicero Tusc. I I. Et hic nimirum est fletus, quem X I I. tab. in funeribus adhiberi uetuerunt. E *natura* ʒ secundum naturam. POST *funus facit* ʒ & per consequens duplicantur impensae, cum iustus non statim sepelitur, aut alibi. EXCIPIT &c. ʒ pium enim est reliquias maiorum sepulcris inferri. VNCTVRA, *quae* ʒ Mancum puto locum esse, & fortasse supplendum sic: Vnctura, circumpotationeque: deinde sequantur uerba legis: Seruilis unctura tollitur. mendosum enim opinor, Tollitur. Haec Paullus pater. NE *sumptuosa respersio* ʒ Plin. lib. X I V. cap. 12. Numae legis Postumia lex est, Vino rogum ne respergito. ACERRAE ʒ arae ante mortuum poni solitae, in quibus

odores

odores incendebant, auctor Festus. PRAETEREANTVR. ʒ Quid hoc significat? interpres, unus ille, qui omnium est optimus, aut quasi nimis apertum, aut, quod sibi parum satisfaceret, omisit. mihi placeret magis, & mutatione fieret minima, Praeferantur. Haec Paullus pater. SEPELIRE, *urere ne si fraude esset* ʒ Antiquus liber mendose, Sepeliretur, & ne se fraudi esset. Alij emendarunt, Sepelire, urere ue, se fraude esto: suamque correctionem Sex. Pompeij testimonio probare conantur, aiunt enim; Se, Pompeius inquit, pro sine, inueniuntur posuisse antiqui. Hoc an ipsi ita scriptum in Festo uiderint, ignoro: ego scriptum uideo, Sed: & in antiquo lapide, nuper in Gallia reperto, eodem modo. Itaque malui legere sic; Sepelire, urere, ne si fraude esto. mutatione minima; praeterea Festi auctoritate adductus. is enim; Ne si, pro sine, dictum a ueteribus tradit. Haec Paullus pater. ACERBVM: ʒ Corrupta dictio, meo quidem iudicio. quid enim hic addatur, Acerbum? obseruetur in antiquis libris, an uestigia sint aliqua ueritatis; unde fortasse Aedium, aut Aedificiorum, legi possit. Haec Paullus Pater. SI *quid ludorum* ʒ si ludi sint. DOMVSQ. *funeris* ʒ Multis ab hinc annis adduxit me locus interrogationis in Vatinium, ipsaq. simul sententia, ut legendum suspicarer, Dominusq. funeris. meam coniecturam probauit in suo commentario is, qui mihi probatur maxime, Hadrianus Turnebus. Haec Paullus pater. ACCENSO, ʒ ministro magistratuum, qui populum uocet. Varro, Qui exercitum imperaturus erat, accenso dicit hoc, Calpurni uoca in Licium omnes Quirites huc ad me. accensus dicit sic: Omnes quirites in Licium uisite huc ad iudices, GRACCHOS ʒ Ignota mihi dictio; sed ita est in antiquis libris. Graecos, Parisini. Haec Paullus pater. SED *credo, Quincte*, ʒ Ita pergit Marcus oratione continuata, quasi Quinctus nihil dixerit. quod est in dialogis usitatum. hoc monere uolui, quia uideo nonnullos de mendo suspicari, offensos, ut puto, particula Sed. Haec Paullus pater. CREDO *uides sed.* ʒ Ceteri omnes libri: Vidisse credo, ego, coniectura ductus, Vides. sed credo. Nec dubito, quin ordinem uerborum attente considerantibus, nostra correctio probetur. Haec Paullus pater. IAM *illo more* ʒ quo nondum scriptis legibus regebatur ciuitas. A *Cecrope* ʒ Cecrops ex Aegypto profectus urbem Athenarum primus omnium mortalium condidisse dicitur: eamque de nomine Palladis, quae Sais apud Aegyptios uocabatur, ut ait Charax Mitilenaeus, Athenas nominasse. Phauorinus Cecropem Athenis primum nuptias instituisse scribit, & Iunonem Gameliam, hoc est nuptialem, & Gameliona mensem: atque ob id in fabulas relatum fuisse biformem, seu naturae duplicis. PROXIMI *fecerant*, ʒ Pro, Fecerant, reposui Iniecerant. nam, cum in corrigendo tum litterarum similitudinem, tum sententiam sequi solitus sim; hoc in loco neque a litteris longius discedo; cum Iniecerant, de litteris extremis antecedentis uerbi, & de Fecerant, conficiam: neque sententiam, ut opinor, a Ciceronis mentem alienam induco. nam ipsemet ante ostendit, hic legendum, Iniecerant. ut subaudiatur, Terra. dixit enim. Quod nunc communiter in omnibus sepultis penitus, humari dicuntur; id erat proprium tum in ijs, quos humus contegeret. Haec Paullus pater. AD *iusta coniecta erant*. ʒ Mendum omnes uident, tollere nemini adhuc licuit. conanti quidem uiro docto, quem ego probare soleo maxime, non successit. sua tamen, quod ille ait, cuique sponsa. mihi placet sic: Iusta confecta erant. funeris enim extrema pars erat laudatio. ea cum erant absoluta iusta confecta erant. Haec Paullus pater. POSTEA *quam*, ʒ Suspicor, cum in antiquis libris esset, Postea quom, factum esse ab imperitis librarijs: Postea quam, qui non intelligerent, pro, Cum, scribi solere, Quom. quod mendum in ultimam quoque epistolam lib. 11. fam. irrepserat. quo in loco, & in hoc ipso, magis omnino placet, Postea cum. Haec Paullus pater.

CICERO

De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, ue ne alienum inferat, poenaq. est, si quis bustum (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam uiolarit, deiecerit, fregerit. sed post aliquanto, propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico uidemus, lege sanctum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo: neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos uocant, licebat imponi: nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, si qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. sublata etiam erat celebritas uirorum, ac mulierum, quo lamentatio minueretur. habet enim luctum cōcursus hominum. quocirca Pittacus omnino accedere quemquam uetat in funus aliorum. sed ait rursus idem Demetrius, increbuisse eam funerum sepulcrorumq. magnificentiam, quae nunc fere Romae est. quam consuetudinem lege minuit ipse: fuit enim hic uir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam ciuis e rep. maxime, tuendaeq. ciuitatis peritissimus. iste igitur sumptum minuit non solum poena, sed etiam tempore: ante lucem enim iussit efferri. sepulcris autem nouis finiuit modum. nam super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam, tribus cubitis ne altiorem, aut mensam, aut labellum: & huic procurationi certum magistratum praefecerat. Haec igitur Athenienses tui. sed uideamus Platonem, qui iusta funerum reijcit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. de sepulcbris autem dicit haec: Vetat ex agro culto, eo ne qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro: sed quae natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorū corpora sine detrimento uiuorum recipiat, ea potissimum ut compleatur. quae autem terra fruges ferre, et ut mater cibos suppeditare possit, eā ne quis nobis minuat, ne ue uiuus, ne ue mortuus. extrui autē uetat sepulcrum altius, quam quod quinque diebus homines quinque absoluerint: nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam ne plus quattuor herois uersibus, quos longos appellat Ennius. habemus igi-

tur huius quoque auctoritatem summi uiri de sepulcris: a quo iterum funerum sumptus praefinitur ex censibus, a minis quinque usque ad minam. deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, & reliqua post mortem tranquillitate bonorum, poenis impiorum. Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionis locum. Q. Nos uero, frater, & copiose quidem, sed perge cetera. M. Pergam equidem: &, quoniam libitum est uobis me ad haec impellere, hodierno sermone conficiam, spero, hoc praesertim die. uideo enim Platonem idem fecisse, omnemq. orationem eius de legibus, peroratam esse uno aestiuo die. sic igitur faciam, & dicam de magistratibus: id enim est profecto, quod constituta religione remp. contineat maxime. Att. Tu uero dic, & istam rationem, quam coepisti, tene.

EXPLANATIO

ALIENVM} scilicet cadauer. MONVMENTVM} Quidquid mortui caussa factum est, etiam si ibi sepultus non sit. CERAMICO} Ceramici duo erant Athenis, ut alibi diximus. HERMAS} Hermae erant Mercurij statuae truncae, quae sepulcris imponebantur. PVBLICIS *sepulturis*} quae in Ceramico publice excitabantur ijs, qui bello occubuerant cum inscriptionibus indicantibus ubi quisque perijsset. SI *qui publice*} Malim, Nisi qui publice. quod, ut mihi uidetur, ipsa postulat sententia. Haec Paullus pater. PITTACVS} Hic in septem Graeciae sapientibus est numeratus. EFFERRI} cum in urbe sepelire non liceret. NOVIS} quae in posterum fierent. MENSAM} quadratum lapidem in mensae formam. LABELLVM} lapidem concauum in parui labri formam. DICIT *haec:*} lib. XII. de legibus. VT *compleatur*} Subaudi, iubet. nam ex negante uerbo, Vetat, elicit affirmationem, ut epist. 30. lib. XII. Fam. Nec mihi molestiam &c. quo loco uide nostros comment. EADEM *illa*} quae in Phaedone, & alibi multis locis disserit. PERGE} subaudi, explicare. Hoc *praesertim die*} aestiuo, scilicet.



IN

M. TVLLII. CICERONIS

DE. LEGIBVS

LIBRVM. III.

Commentarius Aldi Mannuccij.



CICERO

SEQVAR igitur, ut institui, diuinum illum uirum, quem, quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est. Att. Platonem uidelicet dicis. M. Istum ipsum, Attice. Att. Tu uero eum nec nimis ualde umquam, nec nimis saepe laudaueris. nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari nolunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. M. Bene hercle faciunt. quid enim est elegantia tua dignius? cuius & uita, & oratio consecuta mihi uidetur difficillimam illam societatem grauitatis cũ humanitate. Att. Sane gaudeo, quod te interpellaui: quandoquidem tam praeclarum mihi dedisti iudicij tui testimonium. sed perge, ut coeperas. M. Laudemus igitur prius legem ipsam ueris, & proprijs generis sui laudibus. Att. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. M. Videtis igitur, magistratus hanc esse uim, ut praesit, praescribatq. recta, & utilia, & coniuncta cum legibus. ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: uereq. dici potest, magistratum, legem esse loquentem; legem autem, mutum magistratum. nihil porro tam aptum est ad ius, condicionemq. naturae, (quod cum dico, legem a me dici intelligi nolo) quam imperium: sine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. nam & hic deo paret, & huic oboediunt maria, terraeque, & hominum uita iussis supremae legis obtemperat. atque, ut ad haec citeriora ueniam, & notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. quod genus imperij primum ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur. idq. in rep. nostra maxime ualuit, quoad ei regalis potestas praefuit. deinde etiam deinceps posteris prodebatur, quod & in ijs etiam, qui nunc regnant, manet. quibus autem regia potestas non placuit, non ij nemini, sed non semper uni parere uoluerunt. nos autem, quoniam leges damus liberis populis; quaeq. de optima rep. sentiremus, in sex libris ante diximus; accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, ciuitatis statum. Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia, ac diligentia esse ciuitas non potest, quorumq. descriptione omnis reip. moderatio continetur. neque solum ijs praescribendus est imperandi, sed etiam ciuibus obtemperandi modus. nam & qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modeste paret, uidetur, qui aliquando imperet, dignus esse. itaque oportet & eum, qui paret, sperare se aliquando imperaturum; & illum, qui imperat, cogitare breui tempore sibi esse parendum. nec uero solum ut obtemperent, oboediantq. magistratibus, sed etiam ut eos colant, diligantque, praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus. noster uero Plato Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi caelestibus, sic hi aduersentur magistratibus. quae cum ita sint, ad ipsas iam leges ueniamus, si placet. Att. Mihi uero & istud, & ordo iste rerum placet.

EXPLANATIO



SEQVAR } imitabor. NOSTRI *illi*, } scilicet, Epicurei. ELEGANTIA *tua* } cultu uitae tuae. DIFFICILLIMAM } Hinc Cicero de Bruto, Quid enim, inquit, tam distans, quam a seueritate comitas? quis tamen umquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? LEGEM *ipsam* } quam de magistratibus rogaturi sumus. VT *praesit* } Magistratus definitio. VT *enim magistratibus, &c.* } Cicero pro Cluentio: Legum ministri, magistratus: legum interpretes, iudices. NEC *domus ulla &c.* } Gradatim adscendit a familia ad mundum communem deorum, & hominum ciuitatem. CITERIORA } terris uiciniora. REGIBVS } Arist. lib. I. Polit. καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη. AD *iustissimos* } Cicero lib. II. de Offic. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. MAGISTRATIBVS } Aristot. lib. VI. capit. 8. τῶν ἀναγκαίων ἀρχῶν χωρὶς ἀδύνατον εἶναι τὴν πόλιν. QVORVMQVE } Arist. lib. VI. Polit. cap. 8. τῶν δὲ πρὸς εὐταξίαν, καὶ κόσμον, ἀδύνατον, οἰκεῖσθαι καλῶς. CHARONDAS } Charondae uerba apud Stobaeum.

CICERO

M. Iusta imperia sunto, iisq. ciues modeste, ac sine recusatione parento. magistratus nec oboedienté & noxium ciuẽ multa, uinculis, uerberibus ue coerceto: ni par, maior ue potestas, populus ue prohibessit, ad quos prouocatio esto. cum magistratus iudicassit, irrogassit ue, per populum multae poenae certatio esto. militiae ab eo, qui imperabit, prouocatio ne esto. quodq. is, qui bellum geret, imperassit, ius, ratumq. esto. minores magistratus, partiti iuris, plures in plura sunto. militiae quibus iussi erunt imperanto. aerarijq. tribuni sunto. domi pecuniam publicam custodiunto. uincula sontium seruanto. capitalia uindicanto. aes, argentum, aurum ue publice signanto. lites cõtractas iudicanto. quodcumque senatus creuerit, agunto. suntoq. aediles curatores urbis, annonae, ludorũq. sollemnium. ollisq. ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto. Censores populi aeuitates, soboles, familias, pecuniasq. censento. urbis templa, uias, aquas, aerarium, uectigalia tuentor; populiq. partes in tribus distribuunto. exin pecunias, aeuitates, ordines partiuntor. equitum, peditumq. prolem describunto. caelibes esse prohibento. mores populi regunto. probrum in senatu ne relinquunto. bini sunto. magistratum quinquennium habento. reliqui magistratus annui sunto. eaq. potestas semper esto. iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicari ue iubeat, praetor esto. is iuris ciuilis custos esto. huic potestate pari, quotcumque senatus creuerit, populus ue iussit, tot sunto. regio imperio duo sunto: iiq. praeeundo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantor. militiae summum ius habento, nemini parento. ollis salus populi suprema lex esto. eundem magistratum, ni interfuerint X anni, ne quis capito, aeuitaté annali lege seruãto. ast, quando duellum grauius, discordiae ciuium, escunto ne amplius sex mẽses, si senatus creuerit: idem iuris, quod duo consules, teneto: isque aue sinistra dictus, populi magister esto. equitem cumque qui regat, habeto, pari iuri cum eo, quicũque erit iuris disceptator. ast, quando consulis est, magistratus ue populi, nec reliqui magistratus ne sunto; auspicia patrum sunto; olliq. ex se produnto, qui comitiatu creare consules rite possit. imperia, potestates, legationes, cum senatus creuerit, populus ue iussit, ex urbe exeunto. duella iusta iuste geriunto. socijs parcunto. se & seruos continento. populi sui gloriam augento. domum cum laude redeunto. rei suae ergo ne quis legatus esto. Plebes quos pro se, contra uim, auxilii ergo, X creassit, tribuni eius sunto. quodq. ij prohibessint, quodq. plebem rogassint, ratum esto. sanctiq. sunto: ne ue plebem orbam tribunis relinquunto. omnes magistratus auspicium, iudiciumq. habento: ex quis senatus esto. eius decreta rata sunto. ast, ni potestas par maior ue prohibessit, S.C. perscripta seruanto. is ordo uitio uacato. ceteris specimen esto. creatió magistratuum, iudicia populi, iussa, uetita cum sciscentur, suffragia optimatibus nota, plebi libera sunto. ast, quid erit, quod extra magistratus coaeratore usu sit, qui coaeret, populus creato, eiq. ius coaerandi dato. cum populo, patribusq. agendi ius esto, consuli, praetori, magistro populi equitumque, eique, quem produnt patres consulum rogandorum ergo: tribunisque, quos sibi plebes rogassit, ius esto cum patribus agendi. ijdem ad plebem, quod censuerint, ferunto. quae cum populo, quaeq. in patribus agentur, modica sunto. senatori qui nec aderit, aut caussa, aut culpa esto. loco senator, & modo orato: caussas populi teneto. uis in populo abesto. par, maior ue potestas plus ualeto. ast, qui turbassit in agendo, fraus actoris esto. intercessor rei malae, salutaris ciuis esto. qui agent, auspicia seruanto. auguri parento. promulgata, proposita, in aerario * cognita, agunto. nec plus quam de singulis rebus consulunto. rem populum docento: doceri a magistratibus, priuatisq. patiuntor. priuilegia ne irroganto. de capite ciuis nisi per maximũ comitiatum, ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto. donum ne capiunto, ne ue danto, ne ue petenda, ne ue gerenda, ne ue gesta potestate, quodquis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto. Censores fide legem custodiunto. priuati ad eos acta referunto. nec eo magis lege liberi sunto.

Lex recitata est: disce rem, & tabellam iubebo dari.

EXPLANATIO

IVSTA *imperia* } id est, cum legibus iuncta. MVLTA } pecunia. Ni *par &c.* } non enim decet esse imperium sine prouocatione. PROHIBESSIT } id est, prohibuerit. POENAE } Poenae ue, antiquus liber. non displicet. CERTATIO } disceptatio. populus enim suffragijs uel firmabat, uel abrogabat multam, quam magistratus dixisset. PARTITI *iuris* } cuiusmodi erant quaestores tribuni militum, & aerarij, qui non habebant ius uniuersum, siue non partitum, ut illi, qui cum imperio praesunt exercitui. PLERA } id est pleraque. ita Pacuuius apud Festum in Teucro, & Priscianus lib. v. AERARIIQ. *tribuni sunto.* } Sic duo ueteres libri. placet. nam & auctoritatem habet antiquitas; &, Aerarij, addit placet: ut aerarij tribuni distinguantur ab alijs tribunis, nempe a tribunis mil. a tribunis pl. Haec Paullus pater. CAPITALIA *uindicanto.* } de hoc magistratu sic Sallustius: In eum locum postquam demissus est Lentulus, uindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. & Cicero ad Trebatium, Treuiros uites censeo: audio capitales esse; mallem auro, aere, argento essent. CVRATORES } Cicero in Verrem; Nunc sum designatus aedilis. habeo rationem, quid a populo Rom. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum caerimonia Cereri, Libero, Liberaeq. faciendos: mihi Floram matrem populi Rom. plebiq. Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione, Ioui, Iunoni, Mineruaeq. esse faciundos: mihi sacrarum aedium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam. POPVLI *aeuitates* } scilicet, aetatem militiae aptam, suffragijs ferendis, publicis muneribus, & ciuilibus obeundis. SOBOLES *&c.* } Annotabant etiam prolem seruos, & censum, ut munia, & tributa pro facultatibus irrogarentur. CAELIBES *esse* } Plato quoque pecunia multandum, & ignominia notandum censet, qui neglexisset a tricesimo anno ad tricesimum quinctum uxorem ducere. PROBRVM *&c.* } probrosos senatores eijciebant e senatu. SEMPER *esto* } cauet, ne intermittatur: censoria potestas. nam id saepe factum est. TOT *sunto* } nam praetorum numerus certus non erat. IIQ. *praeeundo* } Festus, Praetoria, inquit, porta in castris appellatur, qua exercitus in proelium educitur: quia initio praetores erant, qui nunc consules, & ij bella administrabant, quorum tabernaculum quoque dicebatur praetorium. ANNALI *lege* } cauebat enim, qua aetate quis honores peteret. AVT *sinistra* } Varro, Quod, quae sinistra sunt bona auspicia existimantur. Cicero. Quamquam non ignoro, quae bona sint sinistra nos dicere. AST, *quando consul is est, magistratus ue populi, nec reliqui magistratus ne sunto; auspicia patrum sunto;* } Alij putant intelligi, neque consulari umquam imperio, neque dictatoris potestate magistratus reliquos tolli. mihi longe alia mens est. loquitur enim hic Cicero de comitijs consularibus. quae cum habere consul tantum posset, ut apud Gellium lib. XIII. capit. 14. Messalla significat; uidetur significare Cicero, Si consul in rep. non sit, ei muneri interregem a patribus creatum, succedere oportere. id ita esse, quae subsequuntur uerba declarant: olliq. ex se produnto, qui comitiatu creare consules rite possit. Sed utinam, quam facile sententiam uidere, item uerba corrigere liceret. conemur tamen, quantum in nobis est: & primum antiquo libro, deinde etiam coniectura duce ueritatem inuestigemus. Habet igitur Sigonij scriptus liber: Ast, quando consulis est, magistratus ue populi nec Romani, reliqui magistratus ne sunto; auspicia patrum sunto. Ego suspicor scripsisse Ciceronem: Ast, quando consul isset, magistratus ue populi Rom. reliqui magistratus ne sunto; auspicia patrum sunto. Iisset, autem explano, Perijsset: primum, quod uti leniore uerbo, ominis caussa, Cicero uoluerit: deinde, quod ab usu tamen Latinae linguae non recesserit. nam Lucretius, tum poeta ingeniosus, tum optimus Latinitatis auctor, idem uerbum ad eandem sententiam transtulit lib. VI.

Qui fuerant autem, praesto contagibus ibant.

Graeci etiam, Οἴχεται, pro, Obijt, interdum dicunt, & Οἰχόμενος, mortuus. Magistratus autem populi Rom. praetor fuit, ea caussa primum creatus, ut absentibus consulibus, populo Rom. ius diceret. itaque saepe praetor populi Rom. nominatur. Quod sequitur, Reliqui magistratus ne sunto, ualet: reliqui magistratus nihil iuris in auspicijs, quod quidem attinet ad creationem consulum, habento. nam, etsi, praeter consulem, & praetorem, reliqui omnes magistratus auspicari poterant, creandis tamen consulibus auspicia habere non poterant. consul enim, & praetor, ut ait idem Messalla, tantum a consule creabantur. ad reliquos autem magistratus centuriata comitia, id est ea, quibus & praetor, & consul creabantur, nihil attinebant. propterea interrex a patribus prodebatur, qui consules crearet. Auspiciorum autem patricios omnes magistratus fuisse participes, indicat illud in epistola ad M. Brutum, Dum unus erit auspicius magistratus, auspicia ad patres redire non possent. Qui sunt, quaeret aliquis, praeter consulem, & praetorem, auspiciorum participes magistratus? omnes reliqui, siue patricij, siue plebeij: patricij quidem, a quo primum tempore sunt instituti; quod Liuius, & alij saepe testantur. plebeij autem, non cum creari coepti sunt, sed aliquanto post, rerum paene omnium communionem plebe postulante. Patricij uero magistratus, praeter consulem, & praetorem, qui maiores magistratus dicebantur, duo tantum erant ordinarij, id est quotannis creati, aedilis curulis, & quaestor: item ordinarius quidem censor, non tamen quotannis creatus, sed quincto quoque anno, nec annuo umquam magistratu, sed primum quinquennali, post annuo, & semestri. atque is quoque inter maiores magistratus numerabatur. Dictator autem extraordinarius erat, periculosissimis reip. temporibus, extremi remedij gratia, dictus. Plebeij magistratus, tribunus pl. aedilis pl. triumuiri, & alij, annuo iure. Ergo, ut ad prima redeam consule, & praetore exstinctis, creari a patribus interregem Cicero iubet; & addit, Ex se, id est, e gente patricia. nec enim plebeia familia natus, licet senator esset, interrex fieri poterat, Cicerone, & Pediano testibus.

Patres

Patres autem hic non ſenatus uniuerſus, ſed patricij tantum ſenatores intelliguntur: ut in epiſtola ad Paetum: Ad patres, cenſeo, reuertare. nam interregem, ut patricium, ſic a patricijs tantum creari oportebat: ergo non a cuncto ſenatu: cum alij ſenatores patricij, alij plebeij eſſent. Verum, ſi praetor neque conſulem, neque praetorem rogare poterat; quod Meſſalla tum ex perpetua maiorum conſuetudine, tum ex Tuditani commentarijs probat: cur addit Cicero, Magiſtratus ue populi Romani? Quia poterat praetor conſulare munus in rep. ſuſtinere: unde illud in epiſtola ad Plancum: Litteras ad Cornutum, praetorem urbanum, detulimus: qui, quod conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more maiorum. Quod ſi non ſolum conſule, ſed praetore etiam reſp. careret; optimum Ciceroni uidetur, antequam annus exeat, interregem prodi. quod antea numquam ante exitum anni factum erat. Sin, mortuo conſule, praetor ſupereſſet: indicat, non eſſe prodendum interregem; cum ſit a quo reſp. geratur; ſed exitum anni exſpectandum, cum, remp. nullo magiſtratu capeſſente, interregem creari neceſſe eſſet: a quo centuriatis comitijs conſules, & mox a conſulibus praetores, ac reliqui deinceps magiſtratus fierent. Haec Paullus pater. CONTINENTO } ne ſcilicet audeant in ſocios. PLEBES } ita antiquitus. ſenſus eſt, ut plebs creet decem tribunos. ad quos prouocationem habeatur aduerſus uim conſulum. SANCTIQ. *ſunto* } id eſt, inuiolabiles. INUICSUM } prouocationem. AST, *ni poteſtas par, maior ue probibeſſit, S. C. perſcripta ſeruanto.* } Praeclare corrigit hunc locum antiquus liber, hoc modo: Aſt poteſtas par, maior ue prohibeſſit, perſcripta ſeruanto. nam, Aſt, ſignificat, At ſi. quod etiam eodem modo paullo poſt bis uſurpatur. Deleui autem illud, S. C. eo fidentius, quod uideo hic non de ſenatus conſultis, ſed de ſenatus decretis, quibus intercederetur, intelligi: quae non Senatus conſulta, ſed Senatus auctoritates uocabantur. non enim omnia decreta, ſenatus conſulta ſunt, ſed ea, quibus interceſſum non eſt, aut quae legitimo die, loco, ſaluis denique legibus facta ſunt. quod ſi uel interceſſum eſſet, uel non legitimo ſenatorum numero, aut die, aut loco facta eſſent, Senatus auctoritates dicebantur: qua de re plenius in noſtris Commentarijs epiſt. Fam. Hoc igitur dicit Cicero: Si ſenatus decretis interceſſerit magiſtratus aliquis, par ei magiſtratui, aut maior, quo referente decretum fuerit; tunc ea decreta perſcripta ſeruanto. Verbum autem, Decreta, iterandum non fuit, cum proxime dixiſſet, Eius decreta ratam ſunto. Haec Paullus pater. SVFFRAGIA *optimatibus nota* } Hic ego, quod olim adoleſcentulus mutaui, neque nunc laudo, quia ueteribus in libris aliter uideo ſcriptum eſſe, ſic, inquam, Cum ſuffragio conſciſcerentur, optimatibus nota; neque tamen, cur reprehendam, habeo; cum ſententia ſatis apta ſit ad id, de quo agitur; eaq. ab ipſo Cicerone, ſuas leges interpretante, confirmetur. eſt enim infra ſic: Proximum autem eſt de ſuffragijs: quae iubeo nota eſſe optimatibus. Haec Paullus pater. COERATORE *oeſus ſit; qui coeret, populus creato, eiq. ius coerandi dato.* } Ita legendum. Et paullo poſt: Ad plebem, quod oeſus erit, ferunto. pro, Quod cenſuerint; quod eſt in uulgatis. Antiqui Coeratorem, pro Curatorem, & Coerare, pro, Curare dixere. Cicero I. ad Att. epiſt. Thermus eſt curator uiae Flaminiae. ROGANDORVM } rogatis ſuffragijs creandorum. CVM *patribus agendi* } referendi ad ſenatum. MODICA } modeſta. LOCO } id eſt, ordine inſtituto. ſic enim Tranquillus; Ac poſt nouam affinitatem Pompeium primum rogare ſententiam coepit, cum Craſſum ſoleret: eſſetq. conſuetudo, ut quem ordinem interrogandi ſententias cos. Kal. Ian. inſtituiſſet, eum toto anno conſeruaret. VIS *in populo abeſto* } nihil per uim agatur cum populo. PROPOSITA } & populus otioſe poſſit eam cognoſcere. IN *aerario cognita,* } Quis putet, In aerario, mendoſum non eſſe? Interpres tamen, ut ſincerum, & apertum, tacitus praeterijt. cui quia plurimum tribuo; ueritus interdum ſum, ne ſine cauſſa de mendo ſuſpicarer. Sed profecto non inanis eſt noſtra ſuſpicio. non enim aut ita hoc poteſt coniungi, Propoſita in aerario; aut hoc modo, In aerario cognita. nam neque, ſi quid agendum cum populo eſſet, proponebatur in aerario, neque cognoſcebatur. proponebatur autem in foro, ut populus cognoſceret. deinde agebatur: & populus de re iam cognita ſuffragium ferebat. Quare, niſi eſſet contra meum inſtitutum aliquanto liberior coniectura, libenter legerem, Propoſita in foro, cognita agunto. uel ſic etiam, Promulgata in foro, cognita agunto. nam Promulgare, eſt proponere, quaſi Prouulgare, ut ait Feſtus. Vt fortaſſe aliquis addiderit, Propoſita, ut interpretaretur, Promulgata. NEC *plus quam &c.* } Cicero pro domo. Quae eſt alia uis, quae ſententia Caeciliae legis, & Didiae, niſi haec, ne populo neceſſe ſit in coniunctis rebus compluribus, aut id quod uelit accipere, aut id quod uelit repudiare? PRIVILEGIA *ne irroganto.* } Cicero pro domo. Vetant leges ſacratae, uetant XII. tabulae, leges priuatis hominibus irrogari: id eſt enim priuilegium. QVOD *quis earum rerum migraſſit* } Video eſſe, qui legendum putent, Quo, pro, Quod, offenſi opinor non ſatis uſitato genere loquendi: cum tamen eodem modo dixerit Cicero lib. III. de Fin. Qui id conſeruaret, eum iuſtum; qui migraret, iniuſtum ferre. Et lib. I. de diuin. ubi legitur, Ne communi iure migrare uideatur, habent ueteres aliquot libri, Communia iura. Quaſi, Migrare, ualeat, Mutare. Gellius quoque lib. II. cap. 29. Caſſita, inquit, nidum migrat. Haec Paullus pater. LEX *recitata eſt:* } Legum rogationes imitatur Cicero. DISCE *rem,* } cum alloquatur duos, non placet magnopere, unitatis numero, Diſce rem: &, quoniam mos hic erat apud Romanos, ut, lege recitata, diſcederent, magiſtratu ita iubente; deinde tabellis diſtributis, ſuffragia ferrentur: propterea non diſpliceret, Diſcede, pro, Diſce rem. Pedianus morem illum ſignificat his uerbis: His peractis, cum id ſolum ſupereſt, ut populus ſententiam ferat, iubet unumquemque is, qui legem fert, diſcedere. Haec Paullus pater.

CICERO

Q. Quam breui frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio, sed ea paene nostrae ciuitatis: etsi a te paullum allatum est noui. M. Rectissime, Quincte, animaduertis. haec est enim, quam Scipio laudat in libris illis, & quam maxime probat, temperationem reip. quae effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. nam sic habetote, magistratibus, iisque, qui praesint, contineri remp. & ex eorum cōpositione, quod cuiusque reip. genus sit, intelligi. quae res cum sapientissime, moderatissimeq. constituta esset a maioribus nostris: nihil habui, sane non multum, quod putarem nouandum, in legibus. Att. Reddes igitur nobis, ut in religionis lege fecisti admonitu, & rogatu meo, sic de magistratibus, ut disputes, quibus de caussis maxime placeat ista descriptio. M. Faciam Attice, ut uis; & locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum, disputatumq. est, explicabo; &, ut institui, nostra iura attingam. Att. Istud maxime exspecto disserendi genus. M. Atqui pleraque sunt dicta in illis libris, quod faciendum fuit, cum de optima rep. quaereretur: sed huius loci de magistratibus, sunt propria quaedam a Theophrasto primum, deinde a Diogene Stoico quaesita subtilius. Att. Ain tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt? M. Non sane, nisi ab eo, quem modo nominaui, & postea a magno homine, & in primis erudito, Panaetio. nam ueteres uerbo tenus, acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem, atque ciuilem, de rep. disserebant. ab hac familia magis ista manarunt, Platone principe: post Aristoteles illustrauit omnem hunc ciuilem in disputando locum; Heraclidesq. Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophrastus uero, institutus ab Aristotele, abundauit, ut scitis, in genere rerum: ab eodemq. Aristotele doctus Dicaearchus, huic rationi, studioq. non defuit. post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioq. non modo in solem, atque in puluerem, sed in ipsum discrimen, aciemq. produxit. Nam & mediocriter doctos, magnos in rep. uiros, & doctissimos homines, non nimis in rep. uersatos, multos commemorare possumus: qui uero utraque re excelleret, ut & doctrinae studiis, & regenda ciuitate princeps esset, quis facile, praeter hunc, inueniri potest? Att. Puto posse, & quidem aliquem de tribus nobis. sed perge, ut coeperas. M. Quaesitum igitur ab illis est, placeret ne unum in ciuitate esse magistratum, cui reliqui parerent: quod, exactis regibus, intelligo placuisse nostris maioribus: sed, quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam, postea non tam regni, quam regis uitiis repudiatum est; nomen tantum uidebitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit. quare nec Ephori Lacedaemone sine caussa a Theopompo oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni. nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat, esset. hoc enim primum minuit consulare ius, quod exstitit ipse, qui eo non teneretur: deinde, quod attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, sed etiam priuatis consuli non parentibus. Q. Magnum dicis malum. nam ista potestate nata, grauitas optimatium cecidit, conualuitq. ius multitudinis. M. Non est ita, Quincte: non enim ius illud solum superbius populo, sed uiolentius uideri necesse erat, quo posteaquam modica, & sapiens temperatio accessit, conuersa lex in omnes est.

Multa desunt.

donum cum laude redeunto. nihil enim praeter laudem bonis, atque innocentibus, neque ex hostibus, neque a sociis reportandum. Iam illud apertum profecto est, nihil esse turpius, quam quemquam legari, nisi reip. caussa omitto quemadmodum isti se gerant. atque gesserint, qui legatione hereditates, aut syngraphas suas persequuntur. in hominibus est hoc fortasse uitium. sed quaero, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo reip. manere? quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere uideatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi leuissimus tribunus pl. tum intercessisset, sustulissem: minui tamen tempus: & quod erat infinitum, annuum feci. ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. sed iam, si placet, de prouinciis discedatur, in urbemq. redeatur. Att. Nobis uero placet: sed iis, qui in prouinciis sunt, minime placet. M. At uero, Tite, si parebunt his legibus, nihil erit iis urbe, nihil domo sua dulcius; nec laboriosius, molestiusq. prouincia.

EXPLANATIO

EA *paene* } nam pauca immutauit Romanorum magistratuum. IN *illis libris,* } quos de rep. Rom. conscripsit. TEMPERATIONEM } moderatam mixtionem ex summis, mediis, & infimis ordinibus. QVOD *cuiusque reip. sit,* } ut tyrannidem, monarchiam, oligarchiam, aristocratiam, democritiam. NOVANDVM } mutandum. DOCTISSIMIS } philosophis. VERBO *tenus,* } nam fingebant rem. AB *hac familia* } Stoicorum. PLATONE *principe:* } cuius dogma secuta est. ABVNDAVIT } ualde uersatus est. Ex *umbraculis eruditorum,* } nam Stoici ciuem nullum nisi sapientem putabant, & nullam ciuitatem nisi e sapientum coetu constantem. IN *solem, atque in puluerem,* } ad agricolas. SED *in ipsum discrimen* } In militiam. INTELLIGO *placuisse* } consules enim exactis regibus regium imperium habebant Romae. THEOPOMPO } Vi-

de Arist.lib.v.Polit.cap.xi. Ne *id, quod fuerat, esset.* § Ne regia potestas, quae urbe exacta est, maneret in consulibus. Attulit *auxilium* § nam ad tribunum pl. saepe appellabant. aduersus uim consulum. Ius *multitudinis* § Nam, ut inquit Sallustius, Cn. Pompeio, & M. Crasso cos. tribunicia potestas restituta est, homines adolescentes summam potestatem nacti, quibus aetas, animusq. ferox erat, coepere, senatum criminando, exagitare plebem. Temperatio § quae tribunicia potestate cos. opposita, acquisita est. Conversa *lex in omnes est.* § omnes legibus teneri coeperunt. Iam *illud apertum est* § Liberas reprehendit legationes, de quibus ita etiam in Rullum: Hereditatum obeundarum caussa, quibus nos legationes dedistis, qui & priuati, & priuatim ad negotium exierunt non maximis opibus, neque summa auctoritate praediti: tamen auditis profecto, quam graues eorum aduentus socijs uestris esse soleant. Legari § legatum mitti. Reapse § reipsa. De *prouincijs discedatur* § nostra, inquit, oratio e prouincialibus magistratibus transeat ad Romanos. His *legibus* § quae iubent, ne quis rei suae caussa sit legatus.

CICERO

*Sed sequitur lex, quae sancit eam tribunorum pl. potestatem, quae in rep. nostra est. de qua disseri nihil necesse est. Q. At mehercule ego, frater, quaero de ista potestate quid sentias. nam mihi quidem pestifera uidetur, quippe quae in seditione, & ad seditionem nata sit. cuius primum ortum si recordari uolumus, inter arma ciuium, & occupatis, & obsessis urbis locis, procreatam uidemus. deinde, cum esset cito legatus tamquam ex xii tabulis, insignis ad deformitatem puer, breui tempore creatus, multo quoque taetrior, & foedior natus est. quem enim ille non edidit? qui primum (ut impio dignum fuit) patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbauit, miscuit: cum afflixisset principum grauitatem, numquam tamen conquieuit. atque, ut C. Flaminium, atque ea, quae iam prisca uidentur, propter uetustatem relinquam, quid iuris bonis uiris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? & si, quinquennio ante, D. Brutum, & P. Scipionem consules, quos, & quantos uiros, homo omnium infimus, & sordidissimus tribunus pl. C. Curiatius in uincula coniecit: quod ante factum non erat. C. uero Gracchus ruinis, & ijs sicis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se ciues, non ne omnem reip. statum permutauit? quid iam de Saturnini supplicio, reliquisq. dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit resp. cur autem aut uetera, aut aliena proferamus potius, quam & nostra, & recentia? quis umquam tam audax, tam inimicus nobis fuisset, ut cogitaret umquã de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? quem cum homines scelerati, ac perditi non modo nulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris reip. perturbandas putauerunt: quod nobis quidem egregiũ, & ad immortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno. Sed ille quas strages edidit? eas uidelicet, quas sine ratione, ac sine ulla spe bona furor edere potuit impurae belluae multorum inflammatus furoribus. quamobrem in ista quidem re uehementer Sullam probo, qui tribunis pl. sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilij ferendi reliquerit e Pompeiumq. nostrum in ceteris rebus omnibus semper amplissimis, summisq. effero laudibus: de tribunicia potestate taceo. nec enim reprehendere libet, nec laudare possum. M. Vitia quidem tribunatus praeclare, Quincte, perspicis: sed est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio, uitiorumq. selectio. nam isto quidem modo uel consulatus uituperabilis est, si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali: sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. nimia potestas est tribunorum pl. quis negat? sed uis populi multo uehementior, multoq. saeuior; quae, ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet. dux enim suo periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem sui non habet. At aliquando incenditur. & quidem saepe sedatur. quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? quin per * per ipsum Ti. Gracchum non solum * nectus, uerum etiam sublatus intercessor fuerat. quid enim illum aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogauit? sed tu sapientiam maiorum in illo uide. concessa plebi a patribus ista potestate arma ceciderunt: restincta seditio est: inuentum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarint: in quo uno fuit ciuitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. &, praeter eos, quamuis enumeres multos licet, cum deni crearentur: nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos; leues etiam nunc, bonos fortasse plures. inuidia quidem summus ordo caret: plebs de suo iure periculosas contentiones nullas facit. quamobrem aut exigendi reges non fuerunt; aut plebi re, non uerbo, danda libertas: quae tamen sic data est, ut multis praeclarissimis adduceretur, ut auctoritati principum cederet. Nostra autem caussa, quae, optime, & dulcissime frater, incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. non enim plebs incitata nostris rebus inuidit: sed uincula soluta sunt, & seruitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum grauissimo reip. tempore: cui si non cessissem, non diuturnum beneficij mei patria fructum tulisset. atque hoc rei exitus indicauit. quis enim non modo liber, sed etiam seruus libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset? quod si is casus fuisset rerum, quas pro salute reip. gessimus, ut non omnibus gratus esset: si nos multitudinis furentis, inflammata inuidia, pepulisset: si tribunus aliquis sic in me populum, sicut Gracchus*

in Laenatem, Saturninus in Metellum, incitasset: ferremus, o Quincte frater, consolarenturq. nos non tam philosophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quam clarissimi uiri, qui, illa urbe pulsi, carere ingrata ciuitate, quam manere in improba, maluerunt.

EXPLANATIO

AD *seditionem nata sit.*} conualescente enim multitudinis iure effectum est, ut aliquando Romae maiores essent plebis, quam senatus opes. CVIVS} nimirum, tribunatus, quem inferius puero deformi comparat. PROCREATAM *uidemus*} nam plebs, quae ob scelus Appij in Auentinum secesserat, reconciliari non potuit patribus, nisi interposita fide publica, & datis decem tribunis. CITO *legatus*} Pro Cito legendum arbitror, Ita: & Legatus, id est ablegatus, amandatus, refero non ad uerbum, Potestatem, sed ad eius significationem, id est tribunatum pl. cuius uim fractam esse Quinctus ostendit, uel Gracchorum nece, uel postea Sullae dictatoris lege. TAMQVAM *ex XII. tabulis &c.*} Alludit ad quoddam XII. tabularum caput, in quo de insignitis pueris ageretur. ILLE *non edidit*} Tribunatum pl. intelligit. PATRIBVS *honorem eripuit*} nam Canuleius tribunus pl. legem tulit de promiscuis patrum, plebisque nuptijs, quod XII. tabulis uetabatur. PRINCIPVM} id est, senatus. C. *Flaminium*} tribunum pl. qui de agro Gallico, & Piceno uiritim diuidendo tulit. BONIS *uiris*} optimatibus, senatoribus. QVINQVENNIO *ante*} nimirum, ante tribunatum C. Flaminij. QVOD *ante factum non erat.*} Oratorie, quod ante perquam raro, uel fortasse etiam semel duntaxat factum erat, id numquam esse factum dixit. nam L. Lucullus, & A. Albinus consules, cum delectum seuere nimis agerent, uacatione nemini concessa, in carcerem a tribunis pl. quia nihil pro amicis rogando impetrassent, coniecti sunt. id a Liuio proditum, indicat epitome lib. XLIIX. Haec Paullus pater. STATIM *permutauit?*} nam ex legibus agrarijs, & frumentarijs, a C. Graccho latis, contentiones, & pugnae inter plebem, & optimates natae sunt. NISI *mucronem aliquem tribunicium*} Clodium notat, qui ex genere patricio lege Curiata nullo iure, uel pontificio, uel ciuili lata, contra leges in adoptionem se dedit C. Fonteio homini plebeio, & iuniori. ut esse posset tribunus pl.. GENTES *perturbandas*} iura gentilitatis, quas perturbauit Clodius. Gentilitas multas domos habet. IN *tenebris reip.*} in discrimine reip. NISI *cui &c.*} nam Clodius contra leges effectus tribunus pl. M. Ciceronem in exsilium egit, & domum eius, & uillas incendit. SVLLAM} Cornelium Sullam. DE *tribunicia potestate*} quam reuersus ex Hispania, & cos. cum Crasso creatus plebi restituit. REPREHENDERE *libet*} quia amicus. PRAETERMISSIS *bonis*,} quae malorum compensatione sunt aestimanda. QVOD *est quaesitum*} pro publica salute. INCENDITVR.} quasi inflammatus furit in senatum. QVIN *per * per ipsum Ti. Gracchum non solum * nectus, uerum etiam sublatus intercessor fuerat.*} Omnino uidetur hoc aduersus tribuniciam potestatem: itaque pronunciari a Cicerone miror, eam defendente. puto autem hoc totum reijciendum ad Quincti sermonem, & post illa uerba collocandum, Quid iuris bonis uiris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? &, quia mendi quiddam superest, ita legendum arbitror: Quin per ipsum Ti. Gracchum non solum neglectus &c. Haec Paullus pater. PERCVLIT} Iulius Obsequens ait, obseruatum, Neminem, qui magistratum collegae abrogauisset, annum superuixisse. Ex his fuit Brutus, Ti. Gracchus, P. Tarquinius. TEMPERAMENTVM.} moderatio, concordia, quae seditionem omnem restinxit. AT *duo Gracchi fuerunt, & praeter eos, quamuis enumeres multos licet, cum deni crearentur: nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos, leues etiam nunc, bonos fortasse plures.*} Inuitus dissentio a doctissimis hominibus: uerum, quando ipsis etiam ueritate prius esse nihil uideo, imitemur eorum exemplum, & studiosorum utilitati, quam fere spectamus unam, seruiamus. non enim hic mendi labe sententia deprauatur, sed ita fortasse uerborum tegitur inuolucro, ut aperienda uideatur. Refellit Marcus obiecta a Quincto contra tribuniciam potestatem. Gracchos, inquit, nominas, qui remp. iniquissimis rogationibus in tribunatu perturbarint. licet, praeter eos, quamuis multos Gracchis non dissimiles, id est, seditiosos, ac turbulentos, enumeres: id quod difficile non est: cum deni non modo nunc, sed Gracchorum etiam aetate, atque adeo multis ante saeculis crearentur; & ex tot collegijs, uel maximum non optime sentientium tribunorum numerum liceat colligere. scrutare, inquam, uniuersam antiquitatem, replica memoriam temporum, ex quo deni creari coepti sunt: neminem tamen reperies perniciosum, leues quidem hodie quoque, bonos fortasse plures. non enim Gracchos, aut Saturninum, aut Flaminium, aut Curiatium, quos nominasti, aut quemlibet de multis, qui numerari possunt, perniciosos patriae fuisse concedo. uexauerint remp. incommodis etiam aliquot affecerint: perniciem certe, quamuis improbus, & seditiosus, nemo attulit. nec enim sine plebis ope exitiosus esse quisquam potest: at ea (quod proxime subiungitur) de suo iure periculosas contentiones non facit, principum cedit auctoritati. non enim plebs incitata nostris rebus inuidit: sed uincula soluta sunt, & seruitia incitata, adiuncto etiam terrore militari. quod si plebs ipsa contra remp. non pugnat: (id enim perspicue Cicero significat) quid relinquitur uel perditissimis tribunis, ut perniciosi esse possint? Puto igitur, correctione locum non egere. nam, si pro, Nullos, legamt, Non nullos: Quincti sententia defendetur; cum eam studeat Marcus infirmare. Quid enim aliud Quinctus opposuerat, quam, perniciosos fuisse non nullos? praeterea, cum ad Latinae linguae consuetudinem intueor, probabilius uidetur, Nullos in omni memoria reperies, quam, Nonnullos. Crearentur autem, inquit, quod prisca etiam tempora, quibus item deni creabantur, animo repetere Quinctum uelit. Haec Paullus pater. CVM *tribunatu.*} numquam enim Cicero plebis libertatem oppugnauit, quam tribuni ueri debent. VINCVLA} carcerati. SERVITIA} serui. TERRORE *militari*} gladiatoribus, atque exercitu Caesaris, qui ad urbis portas

erat. ILLA *pestis*] Clodium intelligit. GRAVISSIMO *reip. tempore*] cum omnia commoueri uiderentur. SICVT *Gracchus in Laenatem,*] C. Gracchus in exsulium egit P. Popillium Laenatem, quia praetor Ti. Gracchi amicos in exsulium egisset. SATVRNINVS *in Metellum*] cum legem agrariam Appuleius Saturninus per uim tulisset, diem dixit Metello Numidico, qui in eam iurare noluerat, & in exsulium egit. HOC *facere debent,*] cum philosophiae, se dediderint, ita scribere, & ita uiuere debuerunt. ILLA *urbe pulsi*] ut Aristides, & Themistocles.

CICERO

POMPEIVM uero quod una ista in re non ita ualde probas, uix satis mihi illud uideris attendere, non solum ei, quid esset optimum, uidendum fuisse, sed etiam quid necessarium. sensit enim deberi non posse huic ciuitati illam potestatem: quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? sapientis autem ciuis fuit, caussam nec perniciosam, & ita popularem, ut non posset obsisti, nisi perniciose, populari ciui non relinquere. Scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiliri alio possit, dici admodum. Att. Prorsus est ita. Q. Haud equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas uelim. M. Perseueras tu quidem, & in tua uetere sententia permanes. Q. Nunc mehercule. Att. Ego sane a Quincto nostro dissentio: sed ea, quae restant, audiamus. M. Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia, & iudicia dantur: iudicia, ut esset populi potestas, ad quam prouocaretur: auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae: saepe enim populi impetum iniustum auspicijs dij immortales represserunt. Ex ijs autem, qui magistratum ceperunt, quod senatus efficitur: populare est sane, neminem in summum locum, nisi per populum, uenire, sublata cooptatione censoria: sed praesto est huius uitij temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas: sequitur enim. Eius decreta rata sunto. nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilij, quodq. is creuerit, defendant omnes; & si ordines reliqui principis ordinis consilio remp. gubernari uelint; possit ex temperatione iuris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus, & concors ciuitatis status; praesertim si proximae legi parebitur. nam proximum est. Is ordo uitio careto. Q. Praeclara uero, frater, ista lex: sed & late patet, ut uitio careat ordo, & censorem quaerat interpretem. Att. Ille uero, etsi est totus tuus ordo, gratissimamq. memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare. M. Omitte ista, Attice: non enim de hoc senatu, nec his de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legibus parere noluerint, haec habetur oratio. nam, cum omni uitio carere lex iubeat, ne ueniet quidem in eum ordinem umquam uitij particeps. id autem difficile factu est, nisi educatione quadam, & disciplina: de qua dicimus aliquid fortasse, si quid fuerit loci, aut temporis. Att. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus uero largitur longitudo diei. ego autem, etiam si praeterieris, repetam a te istum de educatione, & de disciplina locum. M. Tu uero & istum, Attice, & si quem alium. Ceteris specimen esto. quod si est, tenemus omnia. ut enim cupiditatibus principum, & uitijs infici solet tota ciuitas, sic emendari, & corrigi continentia. uir magnus, & nobis omnibus amicus, L. Lucullus ferebatur, quasi commodissime respondisset, cum esset obiecta magnificentia uillae Tusculanae, duos se habere uicinos, superiorem equitem R. inferiorem libertinum: quorum cum essent magnificae uillae, concedi sibi oportere, quod ijs, qui tenuioris ordinis essent, liceret. nõ uides, Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? quibus, id si tu non faceres, non liceret. quis enim ferret istos, cum uideret eorum uillas signis, & tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris, & religiosis? quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, eisdem tenerentur? nec enim tantum mali est peccare principes, (quamquam est magnum hoc per se malum) quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum exsistunt. nam licet uidere, si uelis replicare memoriam temporum, qualescumque summi ciuitatis uiri fuerint, talem ciuitatem fuisse; quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandẽ in populo secutam. idq. haud paullo est uerius, quam quod Platoni nostro placet, qui, musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari ciuitatum status: ego autem, nobilium uita, uictuq. mutato, mores mutari ciuitatũ puto. quo perniciosius de rep. merentur uitiosi principes, quod non solum uitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem; neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusq. exemplo, quam peccato, nocent. Atque haec lex, dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. pauci enim, atque admodum pauci, honore, & gloria amplificati, uel corrũpere mores ciuitatis, uel corrigere possunt. Sed haec & nunc satis, & in illis libris tractata sunt diligentius. quare ad reliqua ueniamus.

EXPLANATIO

DEBERI] differri tamquam solutionem. NISI *perniciose*] Additum est a nobis, Nisi, ex antiquo libro; qua de caussa, ita constat, ut explicandum non sit. Haec Paullus pater. IN *huiusmodi sermone*] In dialogis. DICI *admodum*] assensum praestari. VT *esset populi potestas*] id est, magistratus, ad quem laesi confugerent. COMITIATVS] conuentus populi. non enim nisi auspicato haberi possunt. POPVLARE *est*] id est,

id est, beneficium populi efficitur. In *summum locum* } in ordinem senatorium. Nisi *per populum* } nisi per eos magistratus, quos populus mandat. Svblata *&c.* } aut enim iure gesti magistratus, aut lecti a censoribus in senatum ibant. quam cooptationem lege Cicero tollit, & ex magistratibus tantum efficit senatum. Consvlatvs *sui* } quo ordinis illius potentiam defendisti. Potest *defatigare* } quia numquam uitio careat. Nisi *educatione &c.* } neque enim sine educatione, & disciplina fructus est ullus bonarum legum. Libertinvm: } Libertini dicebantur non tantum qui ex iusta seruitute fuerant manumissi, sed etiam ex his ingenue procreati. Signis, *& tabulis* } statuis, & picturis. Nec *enim* } Arist. Polit. lib. II. cap. 9. Ὅτι δ' ἂν ὑπολάβῃ πλεῖον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δόξαν ἀκολουθεῖν τούτοις. Platoni *nostro* } lib. IV. de rep. Ego *autem nobilium &c.* } Arist. lib. V. Polit. cap. IV. Concipivnt } quasi parituri. Illis *libris* } qui de rep. conscripti sunt.

CICERO

PRoximvm est autem de suffragijs: quae iubeo nota esse optimatibus, populo libera. Att. Ita me hercule attendi, nec satis intellexi, quid sibi lex, aut quid uerba ista uellēt. M. Dicam, Attice, & uersabor in re difficili, ac multum, & saepe quaesita: suffragia in magistratu mandando, aut de reo iudicando aut in lege, aut rogatione sciscenda, clam an palam ferre melius esset. Att. An etiam id dubium est? Q. Vereor ne a te rursus dissentiam. M. Non facies, Quincte: nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragijs uoce melius: sed, obtineri an possit, uidendum est. Q. Frater, bona tua uenia dixerim, ista sententia maxime & fallit imperitos, & obest saepissime reip. cum aliquid uerum, & rectum esse dicitur. sed obtineri, id est obsisti posse populo, negatur. primum enim obsistitur, cum agitur seuere: deinde, ui opprimi in bona caussa est melius, quam male cedere. quis autem non sentit, omnem optimatum auctoritatem tabellariam legem abstulisse? quam populus liber numquam desiderauit, idem oppressus dominatu, ac potentia principum flagitauit. itaque grauiora iudicia de potentissimis hominibus exstant uocis, quam tabellae. quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis caussis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella uitiosum occultaret suffragium. itaque isti rationi neque lator quisquam est inuentus, nec auctor umquam bonus. sunt enim quattuor leges tabellariae: quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto, & sordido. secuta biennio post Cassia est, de populi iudicio. ea a nobili homine lata L. Cassio, sed (pace familiae dixerim) dissidente a bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia, de iubendis legibus, ac uetandis, seditiosi, atque improbi ciuis; cui ne reditus quidem ad bonos, salutem a bonis potuit afferre. Vno in genere relinqui uidebatur uocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. dedit huic quoque iudicio Coelius tabellam; doluitq. quoad uixit, se, ut opprimeret C. Popillium, nocuisse etiam reip. & auus quidem noster singulari uirtute in hoc municipio, quoad uixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, auiam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam. excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius: quos post filius eius in Aegaeo excitauit mari, ac nostro quidem, qui cum res esset ad se delata, Scaurus cos. Vtinam, inquit, M. Cicero, isto animo, atque uirtute in summa rep. nobiscum uersari, quam in municipali, maluisses. quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi R. sed aut repetimus ereptas, aut nouas scribimus; non quid hoc populo obtineri possit, sed, quid optimum sit, tibi dicendum puto. nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet: quo auctore lata esse dicitur: tu si tabellariam tuleris, ipse praestabis. nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e uultu eius intelligo. Att. Mihi uero nihil umquam populare placuit: eamq. optimam remp. esse duco, quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optimorum. M. Vos quidem, ut uideo, legem antiquastis sine tabella: sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen libertatem istam largior populo, ut & auctoritate ualeant, & utantur bonis. sic enim a me recitata lex est de suffragijs, optimatibus nota, plebi libera sunto. quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tollat, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium; ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. pontes etiam lex Maria fecit angustos: quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere; non reprehendo: sin ualuerint tantum leges, ut, ne sint ambitus; habeat sane populus tabellam, quasi uindicem libertatis: dummodo haec optimo cuique, & grauissimo ciui ostendatur, ultroq. offeratur; ut in eo sit ipso libertas, in qua populo potestas honeste bonis gratificandi datur. eoq. nunc fiet illud, quod a te modo, Quincte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet, quam solebat uox: quia populo licere satis est. hoc retento, reliqua uoluntas auctoritati, aut gratiae traditur. itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non uides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragijs, quid optimi uiri sentiunt? quamobrem lege nostra libertatis species datur, honorum auctoritas retinetur, contentionis caussa tollitur.*

EXPLANATIO

SEd *populo libera* } Libera sunt, quando non uoce, sed tabella feruntur. Lege, *aut rogatione* } Lex est populi Rom. constitutio senatorio ordine, ut consule rogante. Rogatio uero, est eiusdem populi Rom. constitutio

stitutio

stitutio plebeio magistratu, ut tribuno interrogante. CLAM, *an palam* } per tabellam, an per uocem. OBTINERI *an possit* } Populus enim per tabellam liberiore animo sententiam ferebat, quam uoce, cum optimatum auctoritati refragari non auderet. Cicero pro Plancio. Populo grata est tabella, quae frontes operit, hominum mentes tegit, datq. eam libertatem, ut quod uelint faciant. Hinc in Rullum: Sed tamen magnificentius, atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitijs non tabellam indicem tacitae libertatis, sed uocem uiuam prae uobis indicem uostrarum erga me uoluntatum, ac studiorum tulistis. GABINIA } quae tabellam dabat dumtaxat in creandis magistratibus. CASSIA } qua cautum erat, ut populus, cum iudicaret, nisi in perduellionis crimine, tabella sententiam ferret. CARBONIS } quae legum lationi, & abrogationi tabulam dedit. CVI *ne reditus &c.* } quia, etsi cum bonis sentire coepit, quod in lib. de Amicitia constat: accusatus est tamen a L. Crasso, & condemnatus. Cicero in Bruto In primo de Orat. In epist. ad Paetum. PERDVELLIONIS } hostilitatis aduersus remp. uel principem. sic in Postumi caussa ad atrocitatem facti occiso sacro sancto tribuno, iudicium perduellionis fuit, ut est apud Liuium. C. *Popillium,* } de quo Cicero pro Cornelio Balbo. C. Popillius in exsulium actus Nuceriae ciuem se dicauit. FLETVS } Fluctus, recte putat esse legendum Hieronymus Ferrarius, uir pereruditus. Est autem sensus: Faciebat Gratidius Arpini, quod post Romae filius eius Marius fecit. hoc autem translatis uerbis eleganter expressit. Sic deinde & in antiquo libro scriptum esse, significauit mihi per litteras homo singularis ingenij, summaeq. doctrinae Hannibal Cruceius. Haec Paullus pater. IN *simpulo,* } Simpulum, auctore Festo, uas paruum est, non dissimile cyatho, quo uinum in sacrificijs libabatur: unde & mulieres rebus diuinis deditae Simpulatrices uocantur. Varro inquit, Veteres res minutas nulliusq. pretij Simpularias appellabant. IN *Aegeo mari,* } In re amplissima. nam Aegeum in mediterraneo mari uastissimum est. hinc illud Horatij, Aegeum nauta secet mare. AC *nostro quidem, qui tum* } Si relatiuum, Qui, tollatur, mendi nihil supererit: non enim assentior ijs, qui illud, Ac nostro quidem, cum antecedenti membro connectunt: ex quo inepta plane, atque insulsa fieret sententia. Noster autem, sine substantiuo, interdum ueteres usurpabant, ut Terent. in Phorm. Noster, quid ageret, nescire: & Cicero in epist. Fam. Quod noster tibi gratias agit. Haec Paullus pater. NOSTRO } scilicet, auo. MVNICIPALI, } In Arpinati rep. RECOGNOSCIMVS } recensemus, enumeramus. SCIPIO *tuus* } qui in tuis de rep. libris loquitur. QVAM *hic consul constituerat* } Ita Cicero ad Att. lib. 1. Reip. statum illum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium consensione, & auctoritate consulatus mei fixus, & fundatus uidebatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc iudicio. SINE *tabella* } ne populus tabella ferat suffragia. OPTIMATIBVS *nota sunto* } inspiciantur a senatu. POSTEA } post leges tabellarias. VINDICEM *libertatis* } per quam possit libere ferre suffragia. IN *qua,* } Malim, In quo. LICERE } habere ius libere damnandi tabella. QVAERI *in suffragijs,* } in comitijs quaeri a rogatore, aut praecone. LIBERTATIS *species* } assimulatio libertatis, non libertas uera, cum suffragia ostendere bonis cogatur.

CICERO

SEQVITVR, *quibus ius sit cum populo agendi, aut cum senatu: deinde grauis, &, ut arbitror, praeclara lex. Quae cum populo, quaeq. in patribus agentur, modica sunto: id est, modesta, atque sedata. actor enim moderatur, & fingit non modo mentem, ac uoluntates, sed paene uultus eorum, apud quos agit: quod in senatu non difficile est: est enim senator is, cuius non ad actorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari uelit. huic iussa tria sunt: ut adsit: nam grauitatem res habet, cum frequens ordo est: ut loco dicat, id est, rogatus: ut modo; ne sit infinitus. nam breuitas non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia. nec est umquam longa oratione utendum, nisi aut exspectante senatu, quod fit ambitione saepissime; cum, nullo magistratu adiuuante, tolli diem utile est: aut cum tanta caussa est, ut opus sit oratoris copia uel ad hortandum, uel ad docendum. quorum generum in utroque magnus noster Cato est. Quodq. addit, Caussas populi teneto: est senatori necessarium nosse remp. idq. late patet, quid habeat militum, quid ualeat aerario, quos socios habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, condicione, foedere: tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. uidetis iam, genus hoc omne, scientiae, diligentiae, memoriae esse: sine quo paratus esse senator nullo pacto potest. Deinceps sunt cum populo actiones: in quibus primum, & maximum, Vis abesto. nihil est enim exitiosius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri, & legibus, nihil minus ciuile, & humanum, quam composita, & constituta rep. quidquam agi per uim. Parere iubet intercessori: quo nihil praestantius. impediri enim bonam rem melius, quam concedi malam. Quod uero actoris iubeo esse fraudem, id totum dixi ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia: quam senatus est secutus; cum decreuisset, C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione referente, inuito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri: quippe cui liceat concilium, simul atque turbari coeptum sit, dimittere. quod qui permanet, cum agi nihil potest, uim quaerit: cuius impunitatem amittit hac lege. Sequitur illud: Intercessor rei malae, salutaris ciuis esto. quis non studiose reip. subuenerit, hac tam praeclara legis uoce laudatus? sunt deinde posita deinceps quae habemus et in publicis institutis, ac legibus: auspicia seruanto, auguri parento. est autem boni auguris, meminisse, maximis reip. temporibus praesto esse debere, Ioui q. opt. max. se consiliarium, atque administrum datum, & sibi eos, quos in auspicio esse iusserit, caeliq. partes sibi definitas esse traditas: e quibus saepe reip. ferre opem possit. Deinde de promulgatione, de singulis*

singulis

gulis rebus agendis, de priuatis, magistratibus ne audiendis. Tum leges praeclarissimae de XII *tabulis translatae duae: quarũ alteru priuilegia tullit; al tera de capite ciuis rogari, nisi maximo comitiatu, uetat. nondum initis seditiosis tribuuis pl.* * *ne rogacialis quidem, admirandum, tantum maiores in posterum prouidisse. in priuatos homines leges ferri noluerunt: id est enim priuilegium: quo quid est iniustius? cum legis haec uis sit, scitum, & iussum in omnes. ferri de singulis, nisi centuriatis comitijs, noluerunt: descriptus enim populus censu, ordinibus, aetatibus, plus adhibet ad suffragium consilij, quam fuse in tribus conuocatus. quo uerius in caussa nostra uir magni ingenij, summaq. prudentia L. Cotta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis: praeter enim quam quod comitia illa essent armis gesta seruilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse posse, neque ulla priuilegia: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. sed uisum est & nobis, & clarissimis uiris, melius, de quo serui, & latrones sciuisse se aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid sentiret, ostendere. Sequuntur de ui, de captis pecunijs, & de ambitu leges. quae cum magis iudicijs, quam uerbis, sancienda sint, adiungitur, Noxiae poena par esto. ut in suo uitio quisque plectatur, uis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur.*

EXPLANATIO

ET *fingit* } fortasse melius, Effingit. QVOD *in senatu non difficile est:* } abundare, Non, indicant ea, quae sequuntur. CVIVS *non ad actorem &c.* } cuius animus habitum, & affectum sumat ex dicentis ore, sed ex sua prudentia existimari uult. EXSPECTANTE *senatu* } Alij, Spectante senatu; ex ingenio, an ex ueteribus libris, ignoro. abest certe ab ijs libris, quos ego uidi. nec satis possum intelligere, si, Spectante, legatur, quid sententiae sit. at, Exspectante, sumptum est ex Hannibalis Crucei libro: nec est obscura sententia, nam Oratione, inquit, longa tum est utendum, cum exspectat senatus, ut, mala re celata, dies dicendo tollatur; ne scilicet perniciosum reip. senatusconsultum fiat. Haec Paullus pater. MAGNVS } diffusus. NOSSE *remp.* } ut de ea sententia dicere possit. QVOS *socios resp. habeat,* } Sic omnes & impressi, & scripti libri. delere tamen dictionem, Resp. ut manifestum glossema, non dubitaui. Haec Paullus pater. CVM *decreuisset* } in sententia dixisset. DE *C. Carbonis seditione* } Cum ueteribus libris lego, De Cn. Carbonis. nam Caius multo ante, quam consulatum gessit C. Claudius, obierat, accusatus a L. Crasso adolescentulo, ut in ep. 21. lib. IX. Fam. & de Orat. lib. I. & III. & in Bruto, & apud Tacitum in dialogo de Oratoribus. SIMVL *atque intercessum, turbariq. coeptum sit* } Melius, opinor, ut nos ex uetere libro correximus, Simul atque turbari coeptum sit. & in ipsa lege supra recitata, intercessionis nulla mentio. Haec Paullus pater. QVOD *qui permanet,* } Sic ueteres libri, & rectius, opinor, quam, Permouet: quod antea legebatur. Qui permanet, ait, in concione, cum uidet, commota seditione, nihil a se agi posse; nimirum quaerere uidetur. alioqui concilium dimitteret. Haec Paullus pater. SALVTARIS } optimus. SVBVENERIT } nimirum, intercedendo. MAXIMIS } periculosis. ADMINISTRVM } interpretem. CAELI *partes* } scilicet anticam posticam dextram laeuam. OPEM *referre* } Opem reip. ferre, coniecturam secutus, emendo. erroris origo, ut opinor, fuit, quod, in antiquis libris cum esset scriptum, R. P. ferre, pro, reip. ferre, ab imperitis immutatum est, & scriptum, Referre. Haec Paullus pater. DE *promulgatione* } scilicet, legum. DE *singulis* } cum populo. MAXIMO *comitiatu* } conuentu totius populi. NONDVM *initis* } antiquus liber, Nondum nitis. utrumque mendosum. fortasse legendum, Nondum uisis seditiosis tribunis plebis, nec alijs quidem, admirandum, &c. Nemo enim antea legem in priuatos homines tulerat. FVSE } absque ordine ex urbis & regionis partibus, quae tribus uocantur. NOVIS } ad reuocandum nos ab exsulio. LEGIBVS. } secundum leges. SERVI, *& latrones* } In antiquis libris, Serui, atque patroni, &, Serui, & patroni tui, legebatur: nos, Serui, & latrones, emendauimus: ut tamen, si quis melius attulerit, libenter eum secuturi simus. Haec Paullus pater. SEQVITVR *de ui, de captis pecunijs, & de ambitu legis.* } Adiutus a uetere scriptura, emendaui: Sequuntur de ui, de captis pecunijs, & de ambitu leges. tria enim capita, quorum unum ad uim, alterum ad captas pecunias, tertium ad ambitum pertineret, Leges appellat: ut paullo ante, cum dixit, Leges praeclarissimae de XII. tabulis translatae duae, quarum altera priuilegia tolli; altera de capite ciuis rogari, nisi maximo comitiatu uetat. Haec Paullus pater.

CICERO

EXTREMAE *leges sunt non usitatae, reip. necessariae. legum custodiam nullam habemus. itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri uolunt. a librarijs petimus: publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius, apud quos* νομοφύλακες *creantur. nec ij solum litteras, (nam id quidem etiam apud maiores nostros erat) sed etiam facta hominum obseruabant, ad legesq. reuocabant. haec detur cura Censoribus: quandoquidem eos in rep. semper uolumus esse. apud eosdem, qui magistratu abierint, edant, & expônant, quid in magistratu gesserint: deq. ijs Censores praeiudicent. hoc in Graecia fit, publice constitutis accusatoribus: qui quidem graues esse non possent, nisi sint uoluntarij. quocirca melius est, rationes referri, caussamq. exponi censoribus, integram tamen legi, accusatori, iudicioq. seruari. Sed satis iam disputatum de mastratibus: nisi forte quid desideratis. Att. Si nos tacemus, locus ipse te non admonet, quid tibi sit deinde dicendum? M. Mihi ne? de*

iudicijs,

iudicijs, arbitror, Pomponi: id est enim iunctum magistratibus. Att. Quid? de iure populi R. quemadmodum instituisti, dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco est, quod requiras? Att. Ego uero quod ignorari ab ijs, qui in rep. uersantur, turpissimum puto. nam, ut modo a te dictum est, leges a librarijs peti; sic animaduerto, plerosque in magistratibus, ignoratione iuris sui, tantum sapere, quantum apparitores uelint. quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, quoniam de religione legem proposueras; faciendum tibi est, ut, magistratibus lege constitutis, de potestate, tum iure disputes. M. Faciam breuiter, si consequi potuero. nam pluribus uerbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite, meo quidem iudicio, & diligenter. At de iure naturae cogitare per nos, atque dicere debemus; de iure populi R. quae relicta sunt, & tradita. A. Sic profecto censeo; & id ipsum, quod dicis, exspecto.

Multa desunt.

EXPLANATIO

EXTREMAE *leges* } scilicet, de censoribus. GRAECI } Xenophon in Oeconomicis. Νομοφύλακες } id est, legum custodes: De ijs sic Columella lib. XII. scribit, Quod etiam in bene moratis ciuitatibus semper est obseruatum, quarum primoribus, atque optimatibus non satis uisum est, bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos ciues creassent, quos Graeci νομοφύλακας appellant. horum erat officium, eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi, nec minus honoribus; eos autem, qui non parerent, poena multare. PRAEIVDICENT } notent ea, de quibus postea fiat iudicium. nam, ut inquit Cicero lib. IV. de rep. Censoris iudicium nihil fere damnato affert, praeter ruborem. VOLVNTARII } Grauior est accusator uoluntarius, quam qui publice constitutus. LEGI } qua iudicium constituitur. QVID *tibi sit deinde dicendum* } tamquam iunctum magistratibus. A *librarijs* } ut leges sint, quas librarij magistratuum apparitores uelint, cum publice nulla earum custodia sit. QVANTVM *apparitores* } a quibus discunt leges. M. IVNIVS } Huius Commentarios citat Varro: Hoc modo inueni in M. Iunij commentarijs. COGITARE *per nos*, } ex inchoatis intelligentijs.



MEMORIAE

IACOBI . CRITONII





EL mortuum enim Te laudari, par eſt, IACOBE . CRITONI, quem importuna mors nobis abripuit. Quis enim Te uiuum non admiratus eſt? Quis mortuum non luget? Ego quidem, Te uiuo, maximum iudicij mei fructum capiebam; mortuo, doloris modum non inuenio. Vixiſſes, Critoni, uixiſſes. neque umquam Te Virgilij Patria uidiſſet. Fato enim quodam nobis miſero contigit, ut, quae ipſi ortum dedit, ſuperiore anno, (cum nondum XXII. aetatis annum expleſſes, gloriaeq. ſatis, nobis minimum uixiſſes) Tibi ui uitam eriperet. Semper ego Tui memoriam colam. ſemper Tua imago ante oculos obuerſabitur. ſemper idem mihi eris; qui idem ſemper eris bonis omnibus. Faxit Deus, ut caeleſtia omnia Tibi felicia contingant; qui caeleſtia uiuens ſemper adamaris, & in eorum contemplatione totus uerſatus ſis. O diem funeſtum V. non. Quinct. Haec ad Te, ex hoc infelici ad illud caeleſte domicilium, bona omnia precans, ſcribo.

Venetijs, IV. non. Nou. ∞ D XXCIII.

Qui Te uiuum coluit, mortuumq. obſeruat,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.



IN M. TULLII CICERONIS EX TIMAEO PLATONIS DE UNIVERSITATE LIBRUM COMMENTARIUS



CICERO



VLTA sunt a nobis & in Academicis conscripta contra physicos; & saepe cum P. Nigidio, Carneadeo more, & modo disputata: fuit enim uir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer inuestigator, & diligens earum rerum, quae a natura inuolutae uidentur. denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodam modo, cum aliquot saecula in Italia, Siciliaq. uiguisset, hunc exstitisse, qui illam renouaret. qui cum me in Ciliciam proficiscentem Ephesi exspectauisset, Romam ex legatione ipse decedens; uenißetq. eodem Mitylenis, mei salutandi, & uisendi caussa, Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audiuerim, meo iudicio facile princeps: perlibenter & Nigidium uidi, & Cratippum cognoui. ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumpsimus.

Desunt multa.

quid est, quod semper sit, neque ullum habet ortum, & quod gignatur, nec unquam sit? quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur, quod unum semper, atque idem est: alterum, quod affert opinionem per sensus, rationis expers, quod totum opinabile est, id gignitur, & interit, nec umquam esse uere potest. omne autem, quod gignitur, ex aliqua caussa gigni necesse est: nullius enim rei, caußa remota, reperiri origo potest. quocirca, si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quae semper est eadem, intuebitur, atque eam sibi proponet exemplar, praeclarum opus efficiat necesse est. sin autem illam, quae gignitur: numquam illam, quam expetet, pulchritudinem consequetur. omne igitur caelum, siue mundus, siue quo alio uocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit. de quo id primum consideremus, quod principio est in omni quaestione considerandum, semper ne fuerit nullo generatus ortu, an ortus sit, an ab aliquo temporis principatu ortus est, quandoquidem cernitur, & tangitur, & est undique corporatus. omnia autem talia sensum mouent: sensusq. mouentia quae sunt, eadem in opinatione considunt: quae ortum habere, gigniq. diximus, nihil autem gigni posse sine caussis. atque illum quidem quasi parentem huius uniuersitatis inuenire difficile: &, cum iam inueneris, indicare in uulgus nefas. rursus igitur uidendum, ille fabricator tanti operis utrum sit imitatus exemplar, id ne quod semper unum, & idem, & sui simile, an id, quod generatum, ortumq. dicimus. Atqui, si pulcher est hic mundus, si probus eius artifex profecto speciem aeternitatis imitari maluit. sin secus, quod ne dictu quidem fas est: generatum exemplum est pro aeterno secutus. non igitur dubium, quin aeternitatem maluerit exsequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque eius aedificatore praestantius. si ergo generatus, ad id effectus, quod ratione, sapientiaq. comprehenditur, atque immutabili aeternitate continetur. ex quo efficitur, ut sit necesse hunc, quem cernimus, mundum, simulacrum aeternum esse alicuius aeterni. difficillimum autem est in omni conquisitione rationis exordium. de ijs igitur, quae diximus, haec sit prima distinctio. in omni oratione cum ijs rebus, de qui-

bus explicandum uidetur, esse cognitio. itaque, cum de re stabili, & immutabili disputatur, oratio talis sit, qualis sit illa, quae neque redargui, neque conuinci potest. cum autem ingressa est imitatu, & effecta simulacra, bene agi putat, si similitudinem ueri consequatur. quantum enim ad id, quod ortum est, aeternitas ualet: tantum ad fidem ueritas. quocirca, si forte de deorum natura, ortuq. mundi disserentes, minus id, quod habemus animo, consequimur, ut tota dilucide, & plane exornata oratio sibi constet, & ex omni parte secum ipsa consentiat: haud sane erit mirum: contentiq. esse debebitis, si probabilia dicentur: aequum est enim meminisse, & me, qui disseram, hominem esse, & uos, qui iudicatis: ut, si probabilia dicentur, nil ultra requiratis.

EXPLANATIO

EXPLICANDVM *uidetur, esse cognitio.* ℥ Verba Platonis in Timaeo haec sunt: ὡς ἄρα τοὺς λόγους, ὧνπερ εἰσιν ἐξηγηταὶ, τούτων αὐτῶν ϗ συγγενεῖς ὄντας. ex quibus apparet legendum esse, Cognatio, non, Cognitio: ut fortasse ita locus restituendus sit: In omni oratione, cum ijs rebus, de quibus explicatur, uidetur esse cognatio. Haec Paullus pater.

CICERO

QVAERAMVS *igitur caussam, quae eum impulerit, qui haec machinatus sit, ut originem rerum, & molitionem nouam quaereret. probitate uidelicet praestabat: probus autem inuidet nemini: itaque omnia sui similia generauit. haec nimirum gignendi mundi caussa iustissima. nam, cum constituisset deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur: quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit, non tranquillum, & quietum, sed immoderate agitatum, & fluctuans: idq. ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim iudicabat esse praestantius. fas autem nec est, nec umquam fuit, quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus. cum rationem igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum, quae natura cernerentur, non intelligens intelligente in toto genere praestantius. quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum. quam ob caussam non est cunctandum profiteri, si modo inuestigari aliquid coniectura potest, hunc mundum animal esse, idq. intelligens, & diuina prouidentia constitutum. hoc posito, quod sequitur uidendum est, cuiusnam animantium deus in fingendo mundo similitudinem secutus sit. nullius profecto, eorum quidem, quae sunt nobis nota animantia: sunt enim omnia in quaedam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta: imperfecto autem nec absoluto simile, pulchrum esse nihil potest. cuius ergo omne animal quasi particula quaedam est, siue in singulis, siue in uniuerso genere cernatur, eius similem mundum esse dicamus. omnes igitur, qui animo cernuntur, & ratione intelliguntur, animantes, complexu rationis, & intelligentiae, sicut homines, hoc mundo, & pecudes, & omnia quae sub adspectum cadunt, comprehenduntur: quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi potest, & quod ex omni parte absolutissimum est; cum deus similem mundum efficere uellet, animal unum, adspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. recte ne igitur unum mundum dixerimus, an siue plures, an innumerabiles, dictu uerius, & melius, unus profecto, si quidem factus est ad exemplum. quod enim omnes animantes eos, qui ratione intelliguntur, complectitur, id non potest esse cum altero: rursus enim alius animans, qui eum contineat, sit necesse est, cuius partes sint animantes superiores, caelumq. hoc simulacrum illius ultimi sit, non proximi: quorum ne quid accideret, atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quod solus, atque unus esset; iccirco singularem deus hunc mundum, atque unigenam procreauit. Corporeum autem, & adspectabile, itemq. tractabile omne necesse est esse, quod natum est. nihil porro igni uacuum uideri potest: nec uero tangi, quod careat solido: solidum autem nihil, quod terrae sit expers. quamobrem mundum efficere moliens deus, terram primum, ignemque iungebat: omnia autem duo ad cohaerendum tertium aliquid anquirunt, & quasi nodum, uinculumq. desiderant: sed uinculorum id est aptissimum, atque pulcherrimum, quod ex se, atque de his, quae adstringit, quam maxime unum efficit: id optime assequitur, quae Graece ἀναλογία, Latine (audendum est enim, quoniam haec primum a nobis nouantur) comparatio, proportio ue dici potest. quando enim trium uel numerorum, uel figurarum, uel quorumcumque generum contingit, ut quod medium sit, uti primum proportione, ita id postremo comparetur, uicissimq. ut extremum cum medio, sic medium cum primo conferatur: id, quod medium est, tum primum fit, tum postremum; postrema uero, & prima media fiunt. ita necessitas cogit, ut eadem sint ea, quae deiuncta fuerunt. eadem autem cum facta sint, efficitur, ut omnia sint unum.*

EXPLANATIO

IN *uniuerso genere* ℥ Visum est hoc esse rectius, quam, ut antea, In diuerso. uertit hunc locum Cicero, quod attinet ad ordinem uerborum, paullo liberius. Haec Paullus pater. RECTE *ne igitur &c.* ℥ Videtur ita in corrigendum: Recte ne igitur unum mundum dixerimus; an fuit, plures, & innumerabiles,

dictu

dictu'uerius, & melius? transtulit enim Platonis locum totidem uerbis: quem subijciemus, ut, si quis uelit, conferre possit. πότερον οὖν ὀρθῶς, ἕνα οὐρανὸν προσειρήκαμεν; ἢ, πολλοὺς, ἢ ἀπείρους, λέγειν ἦν ὀρθότερον. Haec Paullus pater. Deivncta ξ Ex sensu, & Platone corrigo, Deuincta. Haec Paullus pater.

CICERO

Qvod si uniuersitatis corpus planum, & aequabile explicaretur, neque in eo quidquam esset requisitum, unum interiectum medium & se ipsum, & ea, quibus esset interpositum, colligaret. sed, cum soliditas mundo quaereretur, solida autem omnia uno medio numquam, duobus semper copulentur, ita contigit, ut inter ignem, & terram aquam deus, animamq. poneret, eaq. inter se compararet, & proportione coniungeret, ut, quemadmodum ignis animae, sic anima aquae, quodq. anima aquae, id aqua terrae proportione redderet. qua ex coniunctione caelum ita aptum est, ut sub adspectum, & tactum cadat. itaque & ob eam caussam, & ab ijs rebus numero quattuor mundi est corpus effectum, ea constructum proportione, qua dixi: ex quo ipse se concordi quadam amicitia, & caritate complectitur; atque ita apte cohaeret, ut dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus. earum autem quattuor rerum, quas supra dixi, sic in omni mundo omnes partes collocatae sunt, ut nulla pars huiusce generis excederet extra, atque in hoc uniuerso inessent genera illa uniuersa: id ob eas caussas, primum ut mundus animans posset ex perfectis partibus esse perfectus; deinde ut unus esset, nulla parte, unde alter gigneretur, relicta, postremo ne quis morbus eum posset, aut senectus affligere: omnis enim coagmentatio corporis uel calore, uel frigore, uel aliqua impulsione uehementi labefactatur, & frangitur, & ad morbos, senectutemq. compellitur. hanc igitur habuit rationem effector mundi, molitorq. deus, ut unum opus totum, atque perfectum ex omnibus totis, atque perfectis absolueretur, quod omni morbo, senio ne careret. formam autem & maxime sibi cognatam, & decoram dedit. a quo enim animante omnes reliquos contineri uellet animantes, hunc ea forma figurauit, qua una omnes reliquae formae concluduntur: et globosus est fabricatus: quod σφαιροειδὲς Graeci uocant: cuius omnis extremitas paribus a medio radijs attingitur. idq. ita tornauit, ut nihil effici possit rotundius, nihil ut asperitatis haberet, nihil offensionis, nihil inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesq. partes simillimae omnium, quoad eius praestabat indicio dissimilitudini similitudo. Omni autem totam figuram mundi leuitate circumdedit: nec enim oculis egebat, quia nihil extra, quod cerni posset, relictum erat; nec auribus, quia ne quod audiretur quidem: neque erat anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret: nec uero desiderabat aut alimenta corporis, aut detractionem confecti, & consumpti cibi: neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio. neque uero erat unde: ita se ipse consumptione, & senio alebat sui, cum ipse per se, & a se & pateretur, & faceret omnia. sic enim ratus est ille, qui ista iunxit, & condidit, ipsum se contentum esse mundum, neque egere altero: itaque nec ei manus affixit, quia nec capiendum quidquam erat, nec repellendum; nec pedes, nec alia membra, quibus ingreßus corpore sustineret: motum enim dedit caelo eum, qui figurae eius sit aptissimus, qui unus ex septem motibus mentem, atque intelligentiam cohiberet maxime. itaque una conuersione, atque eadem ipse circum se torquetur, & uertitur. sex autem reliquos motus ab eo separauit: itaque eum ab omni erratione liberauit. ad hanc igitur conuersionem, quae pedibus, & gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit. haec deus is, qui erat, de aliquando deo futuro cogitans, leuem eum effecit, & undique aequabilem, & a medio ad summum parem, & perfectum, atque absolutum ex absolutis, atque perfectis. animum autem ut in eius medio collocauit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore, & uestiuit extrinsecus: caeloq. solivago, & uolubili, & in orbem incitato complexus est, quod secum ipsum propter uirtutem facile esse posset, nec desiderare alterum, satis sibi ipse notus, & familiaris. sic deus ille aeternus hunc perfecte beatum deum procreauit. sed animum haud ita, ut modo locuti sumus, tum denique cum corpus ei effecißet, inchoauit: neque enim esset rectum minori parere maiorem.

EXPLANATIO

Ltera *gigneretur,* ξ Alter, legendum esse, & sensus, & uerba Platonis ostendunt. mirum autem, tam multis mendis hunc de Vniuersitate librum ad hanc diem refertum fuisse, cum ex collatione Platonis non ille quidem ubique, sed certe plurimis in locis potuerit emendari. Haec Paullus pater. Conclvdvntvr: *& globosus* ξ Recte: neque mutatione opus est. Graece tamen sic: διὸ καὶ σφαιροειδές. quod est, Quare & globosus. Haec Paullus pater. Qvo *ad eius praestabat indicio dissimilitudini similitudo.* ξ Sensus requirit, ut legatur, Quod eius: idq. potius Graeca uerba significant: νομίσας μυρίῳ κάλλιον ὅμοιον ἀνομοίου. Haec Paullus pater. Ingressvs *corpore sustineret:* ξ Maffei liber, Ingressurus corpus sustineret. ueram lectionem puto, Ingressus corpus sustineret. Graeca uerba, οὐδ᾽ ὅλως τῆς περὶ τὴν βάσιν ὑπηρεσίας. Haec Paullus pater. Figvrae *eius* ξ Antea, Figuratus. nos Graeca uerba secuti, Figurae eius, emendauimus, & proxime, Cohiberet maxime, cum antea legeretur, Cohiberet. maxima. quo loco sententiam distinctio etiam mutabat. Haec Paullus pater. Qvi *erat,* ξ Graeca lectio, οὗτος ἀεὶ λογισμὸς θεοῦ: ut uideatur legendum, Qui semper erat. Haec Paullus pater.

CICERO

SED nos multa inconsiderate, ac temere dicimus. deus autem & ortu, & uirtute antiquiorem genuit animum, eumq. ut dominum, atque imperantem oboedienti praefecit corpori: idq. molitus tali quodam est modo. ex materia, quae indiuidua est, et quae semper uniusmodi, suiq. similis, & ex ea, quae corporibus diuidua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturae, & quod alterius: idq. interiecit inter indiuiduum, atque id, quod diuiduum esset in corpore. ea cum tria sumpsisset, unam in speciem temperauit: naturamq. illam, quam alterius diximus, uel cum eadem coniunxit fugientem, & eius copulationis alienam permiscens cum materia, cum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. iam partes singulas ex eodem, & ex altero, & ex materia temperauit. fuit autem talis illa partitio. unam principio partem detraxit ex toto: secundam autem primae partis duplam: deinde tertiam, quae esset secundae sesquialtera, primae tripla: deinde quartam, quae secundae dupla esset: quinctam inde, quae tertiae tripla: tum sextam octuplam primae: postremo septimam, quae septem, et uiginti partibus antecederet primae. deinde instituit dupla, & tripla interualla explere, partes rursus ex toto desecans. quas interuallis ita locabat, ut in singulis essent bina media: uix enim audeo dicere medietates, quas Graeci μεσότητας appellant: sed quasi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius. earum alteram, eadem parte praestantem extremis, eademq. superatam, alteram pari numero praestantem extremis, pariq. numero superatam. sesquialteris autem interuallis, & sesquitertijs, & sesquioctauis sumptis ex his colligationibus in primis interuallis, sesquioctauo interuallo, sesquitertia omnia explebat, cum particulam singulorum relinqueret. eius autem particulae interuallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem, comparationemq. in extremis, quam habent CCLVI cum CCXLIII. atque ita permistum illud, ex quo haec secuit, iam omne consumpserat. hanc igitur omnem coniunctionem, duplicem in longitudinem diffidit: mediaeq. accommodans mediam, quasi decussauit: deinde in orbem torsit, ut & ipsae secum, & inter se, ex commissura, quae e regione esset, iungerentur: eoq. motu, cuius orbis semper in eodem erat, eodemq. modo ciebatur, undique est eas circumplexus. atque ita, cum alterum esset exteriorem amplexus orbem, illum eiusdem naturae, hunc alterius nominauit: eamque, quae erat eiusdem, detorsit a latere in dextram partem; hanc autem citimam a media linea direxit ad laeuam: sed principatum dedit superiori, quam solam indiuiduam reliquit. interiorem autem cum in sex partes diuisisset, septem orbes dispares duplo, & triplo interuallo moueri iussit, contrarijs inter se cursibus. eorum autem trium fecit pares celeritates; sed quattuor et inter se dispares, & dissimiles trium reliquorum.

EXPLANATIO

NATVRAMQ. *illam, quam alterius diximus, uel cum eadem coniunxit* } Vel, expungendum; &, Vi, reponendum. Τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταυτὸ συναρμόττων βίᾳ. Errori caussam praebuit similitudo: quia scribebant ueteres, Vei, pro Vi. unde factum ab imperitis librarijs Vel. qua coniectura ducti, olim emendauimus locum illum in Tusc. 1. Quasi uero ista ui quidquam. ubi legebatur, Ista uel. Haec Paullus pater. PERMISCENS *cum materia,* } Distinguendum a superioribus, &, Autem, addendum: ut legatur, Permiscens autem cum materia. μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας. Haec Paullus pater. ATQVE *ita cum alterum esset exteriorem amplexus orbem,* } Et sensus, & Graeca uerba indicant haec duo uerba desiderari, Alterum interiorem: ut hic ordo sit: Atque ita cum alterum esset exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem. quod etiam ex insequenti membro clarius ostenditur; cum subijciat, Illum eiusdem naturae, hunc alterius nominauit. Graeca uerba haec sunt: καὶ τὸν μὲν ἔξω, τὸν δ' ἐντὸς ἐποιεῖτο τῶν κύκλων, τὴν μὲν οὖν ἔξω φορὰν ἐπεφήμισεν εἶναι ταυτοῦ φύσεως, τὴν δ' ἐν τῇ θατέρου. Haec Paullus pater. EAMQVE, *quae erat eiusdem, detorsit a latere in dextram partem; hanc autem citimam a media* } Ex Graecis uerbis uidetur emendandum, Eumque, qui erat eiusdem, detorsit a latere in dextram partem; hunc autem alterius, a media &c. est enim de orbibus oratio, ut in Platone perspicitur, & uerbum, Citimam, non est in Maffei libro, sed, Item, pro eo. Haec Paullus pater.

CICERO

ANIMVM igitur cum ille procreator mundi deus ex sua mente, & diuinitate genuisset, tum denique omne, quod erat concretum, atque corporeum, substernebat animo, interiusq. faciebat: atque ita medio medium accommodans copulabat. sic animus a medio profectus, extremitatem caeli a suprema regione rotundo ambitu circumiecit, seseq. ipse uersans, diuinae, sempiternae, sapientisq. uitae induxit exordium. & corpus quidem caeli spectabile effectum est. animus autem oculorum effugit obtutum. est autem unus ex omnibus, rationis, concentionisq. (ἁρμονίη Graece) sempiternarum rerum & sub intelligentiam cadentium compos, & particeps: quo nihil ab optimo, & praestantissimo genitore melius procreatum: quippe qui ex eadem uinctus, alteraq. natura, adiuncta materia temperatione trium

partium

partium proportione compacta, se ipse conuersans, cum materiam mutabilem arripuisset, & cum cursus indiuiduam, atque simplicem, per quam omnis mouetur, discernitq. quid sit eiusdem generis, & quid alterius: & cetera diiudicat, quid cuique rei sit maxime aptum, quid quoque loco, aut modo, aut tempore contingat: quaeq. distinctio sit inter ea, quae gignantur, & ea, quae sint semper eadem. ratio autem uera, quae uersatur in ijs, quae sunt semper eadem, et in ijs, quae mutantur, cum in eodem, & in altero mouetur ipsa per sese sine uoce, & sine ullo sono, cum eandem partem attingit, qua sensus cieri potest: orbis illius generis alterius immutatus, & rectus omnia animo, mentiq. denunciat: tum opiniones, adsensionesq. firmae, uerae q. gignuntur. cum autem in illis rebus uertitur, quae manentes semper eaedem, non sensu, sed intelligentia continentur, tum cognitio, scientiaq. efficitur, atque absoluitur.

Desunt multa.

Ratione igitur, & mente diuina, ad originem temporis, curriculum inuentum est Solis, & Lunae.

Desunt non pauca.

ita uim suam natura conuertit, ut terram Lunae cursus proxime ambiret, eiq. supra terram proxima Solis circumuectio esset. Lucifer deinde, & sancta Mercurij stella cursum habent Solis celeritati parem, sed uim quandam contrariam: eaq. conuersione, quam inter se habent Lucifer, Mercurius, Sol, alij alios uincunt, uicissimq. uincuntur. Reliquorum siderum quae caussa collocandi fuerit, quaeq. eorum sit collocatio, in sermonem alium differendum est, ne in eo, quod attingendum fuit, quam in eo, cuius caussa id attigimus, longior ponatur oratio. quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, e quibus erat motus temporis consignandus; colligatisq. corporibus uinculis animalibus, tum animantia orta sunt, eaq. imperio parere didicerunt, tunc ex alterius naturae motione transuersa, in eiusdem naturae motum incurrentia, in eoq. haerentia, atque impedita, cum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem, tardiusq. maiorem, celeriusq. minorem, motu uero unius, eiusdemq. naturae, quae uelocissime mouebantur, ea celeritate uinci a tardioribus, et, cum superabant, superari uidebantur: omnis enim orbis eorum quasi fecilitatis inflexione uertebatur: quam bifariam contrarie simul procedentia efficiebant, ut, quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo.

EXPLANATIO

RATIONIS, *contentionisq. &c.* } Totum hunc locum opinor ita esse corrigendum: Rationis concentionisq. (ἁρμονίη Graece) compos, & particeps: quo nihil ab optimo, & praestantissimo sempiternarum rerum, & sub intelligentiam cadentium genitore melius procreatum. λογισμοῦ δὲ μετέχουσα καὶ ἁρμονίας ψυχή· τῶν νοητῶν ἀεί τε ὄντων ὑπὸ τοῦ ἀρίστου, ἀρίστη γενομένη τῶν γεννηθέντων. Haec Paullus pater. QVIPPE *qui &c.* } Hic locus ex Graecis uerbis ita corrigendus. Quippe qui ex eadem iunctus, alteraq. natura, adiuncta materia, temperatione trium partium, proportione compactus, se ipse conuersans, cum materiam mutabilem arripuit, & cum rursus indiuiduam, atque simplicem, in se omnis mouetur, &c. Haec Paullus pater. RATIO *autem uera,* } Alij, Ratio autem utraque: non recte. ijsdem enim uerbis Graeca lectio respondet: λόγος δὲ ἀληθὴς Haec Paullus pater. SINE *uoce, & sine ullo sono,* } Si quis Graecam lectionem sequatur, intelliget addendum reuoluta: φερόμενος ἄνευ φθόγγου καὶ ἠχῆς. & quod sequitur, legendum, Cum eam partem, non, Cum eandem partem, ex Graecis uerbis, ὅταν μὲν περὶ τὸ αἰσθητὸν γίγνηται. Haec Paullus pater. ORBIS *illius generis alterius* } ut hoc totum sine interspiratione cum superioribus continuetur, & omnia referantur ad illud, Tum opiniones; crederem legendum, Orbisq. illius generis alterius: ex Graecis uerbis, καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος. quae etiam uocem, Illius, abundare significant. Haec Paullus pater. ITA *uim suam* } Recte a superioribus interuallo distinctum: nam ad quinquaginta uersus intercepti sunt. Haec Paullus pater. QVANDO *igitur &c.* } Hoc totum si cum Graeco conferas, intelliges ad hunc fere modum esse restituendum: Quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, quibus erat motus temporis consignandus: colligataq. corpora uinculis animalibus animantia orta sunt: tum imperio parere didicerunt. Haec Paullus pater.

CICERO

ATQVE, ut esset mensura quaedam euidens, quae in istis octo cursibus celeritates, tarditatesq. declararet; deus ipse Solem, quasi lumen, accendit ad secundam supra terram ambitum, ut quam maxime caelum omnibus collucerét, animantesque, quibus ius esset doceri, ab eiusdem motu, & ab eo, quod simile esset, numerorum naturam, uimq. cognoscerent. nox igitur, & dies ad hunc modum, & ob has generata caussas, unum circuitum orbis efficit sapientissimum, atque optimum: mensis autem, quando Luna lustrato suo cursu Solem consecuta est: annus, ubi Sol suum totum confecit, & peragrauit orbem. ceterarum autem siderum ambitus ignorantes homines, praeter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter se numero commetiuntur: itaque nesciunt hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, uarietate admirabili praeditos. attamen illud perspici, & intelligi potest, absoluto, perfectoq. numero temporis, absolutum, perfectumq. annum, tunc

compleri

compleri denique, cum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerūt, cumq. eoi permensus est idem, & semper sui similis orbis. has igitur ob caussas nata astra sunt, quae per caelum peuetrantia solstitiali se, & brumali reuocatione con uerterent, ut hoc omne animal, quod uidemus, esset illi animali, quod sentimus, ad aeternitatis imitationem simillimum. & cetera quidem usque ad temporis ortum impressa ab illis, quae imitabatur, effinxerat. sed, quia nondum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exemplar imaginis similitudo. quot igitur, & quales animalium formas mens, in speciem rerum influens, poterat cernere, totidem, & tales in hoc mun do secum cogitauit effingere. erant autem animantium genera quattuor, quorum unum diuinum, atque caeleste, alterum pennigerum, et aerium, tertium ✻ terrestre quartum. diuinae animationis maxime speciem faciebat ex igne, ita ut splendidissimus esset, & adspectu pulcherrimus. eumq. similem uniuersitatis naturae efficere uellet, ad uolubilitatem rotundauit, comiteq. eum sapientia quam optimae mentis effecit, circumq. caelum aequaliter distribuit, ut hunc uarietate distinctum bene Graeci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. dedit autem diuinis duo genera motus: unum, quod semper esset in eodem aeque, & idem in omnibus, atque uno modo celeraret: alterum, quod in anticam partem a conuersione eiusdem, & similis, pelleretur. quinque autem reliquis motibus orbem eum esse noluit expertem, immobilem, & stantem. ex quo genere ea sunt sidera, quae infixa caelo non mouentur loco: quae sunt animantia, eaq. diuina, ob eamq. caussam suis sedibus inhaerent, & perpetuo manent. quae autem uaga, & mutabili ratione labuntur, ita generata sunt, ut supra diximus. iam uero terram altricem nostram, quae traiecto axe sustinetur, diei, noctisq. effectricem, eandemq. custodem, antiquissimam deorum uoluit esse eorum, qui intra caelum gignerentur, flexiones autem deorum, & inter ipsos deos concursiones, quaeq. in orbibus deorum conuersiones, anteceßionesq. eueniant, eumq. inter se paene contingant, eos, qui prope copulentur contraria regione, & pone quos, aut ante labuntur, quibusq. temporibus a nostro adspectu oblitescant, rursusq. emersi errorem incutiant rationis expertibus, si uerbis explicare conemur, nullo posito sub oculis simulacro, earum rerum frustra suscipiatur labor. Sed haec satis sunt dicta nobis. quae de deorum, qui cernuntur, quiq. orti sunt, natura praefati sumus, habeant hunc terminum. reliquorum autem, quos Graeci δαίμονας appellant, nostri opinor lares, si modo hoc recte conuersum uideri potest, & nosse, & nunciare ortum eorum maius est, quam ut profiteri scribere nos audeamus. credendum nimirum est ueteribus, & priscis, ut aiunt, uiris, qui se progeniem deorum esse dicebant. itaque eorum uocabula nobis prodiderunt. nosse autem generatores suos optime poterant: ac difficile factu est, a dijs ortis fidem non habere: quamquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur: sed, quia de suis rebus notis uidentur loqui, ueteri legi, moriq. parendum est.

EXPLANATIO

TERTIVM ✻ *terrestre quartum.* } Restituo, Tertium aquatile, terrestre quartum: haec enim Graeca uerba: τρίτη δὲ ἔνυδρον εἶδος: πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον, τέταρτον. Haec Paullus pater. CVMQ. *similem uniuersitatis naturae efficere uellet,* } Nihil muto, tamen magis arrideret, Vniuersitatis figurae, quam, Vniuersitatis naturae. τῷ δὲ παντὶ προσεικάζων. Haec Paullus pater. COMITEQ. *eum sapientia quam optimae mentis effecit* } Adscribam Graeca uerba, quibus Latina haud plane respondent. τίθησί τε εἰς τὴν τοῦ κρατίστου φρόνησιν ἐκείνῳ ξυνεπόμενον. Haec Paullus pater. HVNC *uarietate distinctum* } Ex Maffei libro, & ex Platone, Hac uarietate distinctum, restituo. Haec Paullus pater. IAM *uero tertiam &c.* } Graeca uerba recitemus, ut, quo modo Latina sint restituenda, uideamus. γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἱλουμένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτός τε καὶ ἡμέρας, ἐμηχανήσατο πρώτην καὶ πρεσβυτάτην σωμάτων ὅσα ἐντὸς οὐρανοῦ γέγονε. Ex quibus apparet, Latinam orationem ita esse corrigendam. Iam uero terram, altricem nostram, quae traiecto axe sustinetur, diei noctisq. effectricem, eandemq. custodem, primam & antiquissimam corporum uoluit esse eorum, quae intra caelum gignerentur. Maffei liber non nihil hanc emendationem adiuuat: nam pro, Eorum qui, habet Eorumque: cum uera lectio sit, Eorum quae. Haec Paullus pater. RVRSVSQ. *emersi errorem incutiant rationis expertibus,* } Corrigo, Terrorem incutiant, uel, ut est in Maffei libro, Horrorem incutiant. καὶ πάλιν ἀναφαινόμενοι φόβον καὶ σημεῖα τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι πέμπουσι. Haec Paullus pater.

CICERO

SIC igitur, ut ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur, atque dicatur, ut Oceanum, Salaciamq. caeli satu, terraeq. conceptu generatos, editosq. memoremus: ex his Phorcyn, Saturnum, & opem: deinceps Iouem, atque Iunonem, reliquos, quos fratres inter se, agnatosq. usurpare, atque appellare uidemus, & eorum, ut utamur ueteri uerbo, prosapiam. quando igitur omnes, & qui mouentur, palamq. ostenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quo ipsi uoluut, creati sunt: tum ad eos is deus, qui omnia genuit fatur. Haec uos, qui deorum satu orti estis, attendite: quorum operum ego parens, effectorq. sum, quae per me facta, non sunt dissoluta me inuito: quamquam omne colligatū solui potest: sed haud quaquam boni est, ratione uinctum uelle dissoluere. sed, quoniam orti estis, immortales uos quidem esse,

esse,& indissolubiles non potestis: neutiquam tamen dissoluemini, nec uos ulla mortis fata periment, nec fraus ualeutior, quam consilium meum: quod maius est uinculum ad perpetuitatem uestram, quam illa, quibus estis tum, cum gignebamini, colligati. quid sentiam igitur, cognoscite. tria uobis genera reliqua sunt, eaq. mortalia: quibus praetermissis, caeli absolutio perfecta non erit: omnia enim genera animalium complexu non tenebit: teneat autem oportebit, ut ex eodem ne quid absit. quae a me ipso effecta sint, quod deorum uitam possint adaequare. ut igitur mortali generentur condicione, uos suscipite, ut illa gignatis, imitemini q. uim meam, qua in uestro ortu me usum esse meministis: in quibus qui tales creautur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, diuini generis appelleutur, teneantq. omnium animantium principatum, uobisq. iure,& lege uolentes pareant: quorum uobis initium, statusq. traditur a me. uos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem. ita orientur animantes, quos & uinos alatis, & consumptos sinu recipiatis. Haec ille dixit. deinde ad temperationem superiorem reuertit: in qua omnem animum uniuersae naturae temperans permiscebat, superisq. permixtionis reliquias fundens aequabat, eodem modo ferme, nisi quod non ita incorrupta, ut ea, quae semper idem, sed a dijs secundum sumebat, atque tertium. toto igitur omnino constituto, sideribus parem numerum distribuit animorum, & singulos adiunxit ad singula, atque ita quasi in currum uniuersitatis imposuit, commonstrauitq. leges fatales, ac necessarias, & ostendit primum ortum unum fore omnibus, eumq. moderatum, atque constantem, nec ab ullo imminutum: satis autem, & quasi sparsis animis, fore, uti certis temporum interuallis oriretur animal, quod esset ad cultum deorum aptissimum. sed, cum duplex esset natura generis humani, sic se res haberaut, ut praestantius genus esset eorum, qui essent futuri uiri. cum autem animis corpora cum necessitate insenisset, cumq. ad corpora necessitate tum accessio fieret, tum abscessio, necesse erat sensum exsistere unum, communemq. omnium uehementiore motu excitato, coniunctoq. naturae, deinde uoluptate, & molestia mixtum amorem, post iram, et metum, & reliquos motus animi, comites superiorum, & his etiam contrarios dissidentes: quos qui ratione rexerit, iuste uixerit: qui autem his se dederit, iniuste. atque ille, qui recte, & honeste curriculum uiuendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, quocum aptus fuerit, reuertetur: qui autem immoderate, & intemperate uixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet; & si ne tum quidem finem uitiorum faciet, grauis etiam iactabitur, & in suis moribus simillimas figuras pecudum, & ferarum trāsferetur, neque malorum terminum prius adspiciet, quam illam sequi coeperit conuersionem, quam habeat in se ipse eiusdem, & unius simul innatam, & insitam: quod tum eueniet, cum illa, quae ex igne, aere, aqua, atque terra turbulenta, & rationis expertia insederint, denique ratione depulerit, & ad primam, atque optimam affectionem animi peruenerint.

EXPLANATIO

VSVRPARE, *atque appellare uidemus*] Passiue puto esse legendum, Vsurpari, atque appellari uidemus. nam in Platone, λεγομένους ἰέναι. Haec Paullus pater. NON *sunt dissoluta me inuito*] Alij, Haec sunt indissoluta me inuito. Corrigendum puto, Haec sunt indissolubilia me inuito. hoc enim Graeca uerba significant, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γε θέλοντος: id est, quae per me facta sunt, non dissoluentur, si ego uolnero. Cicero uertit illud, ἐμοῦ γε θέλοντος: me inuito. quod tamen eandem habet sententiam, quam haberet, me uolente: ut, qui considerabit accuratius, intelliget. Haec Paullus pater. TENEAT *autem oportebit, ut ex eodem ne quid absit, quae a me ipso effecta sint, quod deorum uitam possint adaequare*] Corruptus locus, & fortasse mutilus: quem ex Graecis uerbis, qui uoluerit, emendabit. δεῖ δὲ, εἰ μέλλει τέλεος ἱκανῶς εἶναι, δι' ἐμοῦ δὲ ταῦτα γενόμενα, καὶ βίου μετασχόντα θεοῖς ἰσάζοιτ' ἄν. ac fortasse non absurde, mutatione certe parua, sic corrigi possit: Teneat autem oportebit, ut ex eo ne quid absit: sed quae a me ipso effecta sint, deorum uitae possint adaequare. nam & Maffei liber uerbum, Quod, inducit. Haec Paullus pater. SVPERISQ. *permistionis*] Forte, Superiorisq. permistionis. τὰ τῶν πρόσθεν ὑπόλοιπα κατεχεῖτο μίσγων. Haec Paullus pater. NISI *quod, &c.*] Plato sic, ἀκήρατα δ' οὐκέτι κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως, ἀλλὰ δεύτερα, καὶ τρίτα: quae referuntur ad uerbum ὑπόλοιπα, ut uideatur in Cicerone legendum: Nisi quod non ita incorruptas, ut eae, quae semper idem, sed a dijs secundas sumebat, atque tertias. Haec Paullus pater. CVM *autem animis corpora cum necessitate insenisset, cumq. ad corpora necessitate tum abscessio fieret, tum accessio, necesse erat, &c.*] Tralatio cum Graecis uerbis non plane congruens. quod si uerius uertere quis uelit, ita scribet: Cum autem animos corporibus necessitate inseuisset, cumq. ad corpora tum accessio fieret, tum abscessio: primo necesse fuit sensum exsistere unum, communemq. omnium, uehementiore motu excitatum, coniunctumq. naturae. quam electionem & antiqui libri quadam ex parte probant. Graeca autem uerba haec sunt. ὁπότε δὴ σώμασιν ἐμφυτευθεῖεν ἐξ ἀνάγκης, καὶ τὸ μὲν προσίοι, τὸ δ' ἀπίοι τοῦ σώματος αὐτῶν, πρῶτον μὲν αἴσθησιν ἀναγκαῖον εἴη μίαν πᾶσιν ἐκ βιαίων παθημάτων ξύμφυτον γίγνεσθαι. Haec Paullus pater.

CICERO

QVAE *cum ita designasset, seseque, si quid postea fraudis, aut uitij euenisset, extra omnem culpam, caussamq. posuisset, alios in terra, alios in Luna, alios in reliquas mundi partes, quae sunt ad spatiorum temporis significationem notae constitutae, spargens quasi serebat. post autem sationem eam*

eam dijs, ut ita dicam, iunioribus permisit, ut corpora mortalia effingerent, quantumq. esset reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne, & quae consequentia essent, perpolirent, & absoluerent: deinde ut huic animanti principem se, ducemq. praeberet, uitamq. eius pulcherrime regeret, & gubernaret, nisi quatenus ipsa beneficijs sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret. atque is quidem, qui cuncta composuit, constanter in suo manebat statu. qui autem erant ab eo creati, cum parentis ordinem cognouissent, hunc sequebantur. itaque, cum accepissent immortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem, & effectorem sui, particulas ignis, & terrae, & aquae, & aeris a mundo, quas rursus redderent, mutuabantur, easq. inter se copulabant, haud ijsdem uinculis, quibus ipsi erant colligati, sed talibus, quae cerni non possent propter paruitatem: crebris quasi cuneolis iniectis unum efficiebant ex omnibus corpus: itemq. in eo influente, atque effluente animo diuino ambitus illigabant. itaque illi in flumen immersi, neque tenebant, neque tenebantur, sed ui magna tum ferebant, tum ferebantur. ita totum animal mouebatur illud quidem, sed immoderate, & fortuitu, ut sex motibus ueheretur: nam & ante, & pone, ad laeuam, & ad dextram, & sursum, & deorsum, modo huc, modo illuc.

Desunt non nulla.

sed, si in splendore consedit, tum uel eadem species, uel interdum immutata redditur, cum ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit, & contulit. dextra autem uidentur, quae laeua sunt; quia contrarijs partibus oculorum, contrarias partes attingunt. respondent autem dextra dextris, laeua laeuis conuersione luminum, cum ea inter se non cohaerescunt. id fit, cum speculorum laeuitas hinc, illincq. altitudinem assumpsit, & ita dextra detrusit in laeuam partem oculorum, laeuaq. in dextram. supina etiam ora cernuntur depulsione luminum: quae conuertens inferiora reddit, quae sunt superiora: atqui haec omnia ex eo genere sunt, quae rerū adiuuant caussas. quibus utitur ministerijs deus, eum optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. sed aestimant plerique non haec adiuuantia caussarum, sed has ipsas esse omnium caussas, quae uim habeant refrigerandi, calfaciendi, concrescendi, liquendi. earent autem omni intelligentia, atque ratione, quae, nisi in animo, nulla alia in natura reperiantur. animus autem sensum omnē effugit oculorum. at ignis, & aqua, & terra, & aer corpora sunt, eaq. cernuntur. illum autem, qui intelligentiae, sapientiaeq. se amatorem profitetur, necesse est intelligentis, sapientisq. naturae primas caussas conquirere, deinde secundas caussas rerum earum, quae necessario mouent alias, cum ipsae ab alijs mouentur. quocirca nobis sic cerno esse faciendum, ut de utroque nos quidem dicamus genere caussarum, separatim autem de ijs, quae cum intelligentia sunt efficientes pulcherrimarum rerum, atque optimarum, de ijs, quae uacantes prudentia, inconstantia, perturbataq. efficiunt. Ac de oculorum quidem caussis, ut haberent eam uim, quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto. maxima autem eorum utilitas donata humano generi deorum munere deinceps explicetur. rerum enim optimarum cognitiones nobis oculi attulerunt. nam haec, quae est habita de uniuersitate, oratio a nobis haud umquam esset inuenta, si neque sidera, neque Sol, neque caelum sub oculorum adspectum cadere potuissent. nunc uero dies noctesq. oculis cognitae, tum mensium, annorumq. conuersiones ad numerum machinatae sunt, & spatium temporis dimensae, & ad quaestionem totius naturae impulerunt. quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nullum optabilius, nullum praestantius, neque datum est mortalium generi deorum concessu, atque munere, neque dabitur.

Multa desiderantur.

EXPLANATIO

ALIOS *in terra, alios in luna,* ʒ Terram & Lunam accusandi casu, rectius legetur. Graeca quidem uerba significant, Solem & Lunam, non Terram & Lunam. τοὺς μὲν εἰς ἥλιον, τοὺς δ' εἰς σελήνην. Haec Paullus pater. DEINDE *ut huic animanti &c.* ʒ Si Graeca uerba sequamur, ita corrigemus: Deinde ut huic animanti principes se, ducesq. praeberent, uitamq. eius pulcherrime regerent, & gubernarent, nisi si ipse sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret. καὶ πάνθ' ὅσα ἀκόλουθα ἐκείνοις ἀπεργασαμένους ἄρχειν, καὶ κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα τὸ θνητὸν διακυβερνᾷν ζῶον, ὅτι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ γίγνοιτο αἴτιον. Haec Paullus pater. MODO *huc, modo illuc.* ʒ Post haec uerba, ubi spatium in nostris libris est, amplius L X X X uersus desiderantur. Haec Paullus pater. CVM *ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit, & contulit.* ʒ Non nihil deest: nam in Platone sic. τοῦ περὶ τὸ πρόσωπον πυρὸς, τῷ περὶ τὴν ὄψιν πυρὶ, περὶ τὸ λεῖον καὶ λαμπρὸν ξυμπαγεῖ γιγνομένῳ. ADIVVANTIA *caussarum,* ʒ lego, Adiumenta caussarum, & ex Maffei libro, & ex Platonis uerbo: quod enim ille dixit, ξυναίτια, recte uertit Cicero, Adiumenta caussarum.



ILL.[RI] ADOLESCENTI

STANISLAO · NIEGOSSEVVSKI

POLONO





PTIME cecidit, Stanislae praestantissime, ut, quod ego summopere optabam, id Tu uicissim optares. Nota mihi Tua uirtus erat: nota Tuarum laudum gloria. restabat, ut Tu mihi, ego Tibi de facie notus essem. maximopere igitur deuinctum me esse profiteor Gabrieli Cauatio, ingenij, & iudicij laude praestanti, qui effecit, non solum ut Te nossem, sed ut Tuum congressum, excellentemq. uirtutem gustarem. Ego Te magni faciebam. nunc fateor, uicisse Te opinionem meam: diuinumq. ingenium Tuum esse, a uulgo longe remotum; qui ea praestes, quae homines neque mirari satis pro dignitate possunt. O te felicem. o me quoque felicem, cui contigit Te nosse, Tuaq. amicitia frui. Fac, quaeso, diutius nos non esse in Tui desiderio. neque Tuam praesentiam nobis nega; qui, Te praesente, aliquid sumus; absente, nihil prorsus esse nobis uidemur. Vt igitur mei memoriam Tibi renouem, haec ad Te mitto, Arati uersus a Cicerone conuersos: Poetam Poetae: malum Poetam bono Poetae. Librum de Vniuersitate Critonio meo, uel mortuo, dedi: Tibi, Critonij laudatori ne dicam, an aemulo? an utrique? an superiori? Aratum do. Mirum, dum scribo, me inflammat Tui uidendi desiderium. totos dies tecum libenter essem: qui ex Tua consuetudine maximum fructum capio. Tu uersus non scribis, sed fundis. Vt uere Poetam te natum esse omnes iudicent. Non Tu Thomam Peregrinum, in celeberrimo isto Patauino Gymnasio Metaphysicen, eximia sui gloria, & auditorum utilitate, publice docentem, mortuum in funere carmine, ex tempore publice laudasti? Quid plura? Nae, qui Te laudare uult, neque initium, neque finem reperiet Tuarum laudum: quae cum maximae sint, & immortales, immortali praeconio dignae sunt; & Te ipsum laudatorem quaerunt. Redeo igitur ad primum illud: Fac, Venetias reuertens, ut possimus Te regustare; & omnibus Tuam uirtutem communicare. occultam enim eam esse non ego facile patior: neque ea esse uult. modestus sis, quantum

uis. modestiam Tuam superabunt amici Tui; neque Te latere uolent, qui nimium iamdiu latueris, modestiae Tuae uitio: hoc enim titulo appellare libet. Maiorum Tuorum nobilitas, uel maxima, nihil Te illustrat. nihil ex ea ad Te redundat, bonorum omnium iudicio. nobilitatem ipsam illustras, per Te ipsum: qui tantum ei splendoris affers, quantum alij ex ea accipere saepe gloriantur; &, si saperent, non gloriarentur. Vera nobilitas est, uirtute praestare; & a se ipso nobilitatem petere. ijq. mihi ueri nobiles uidentur, qui, uel si maxime nobiles sint, qualis Tu praecipue es, nobilitatis uetustis titulis, contemptis, nobilitatem a se sumnt, in eaq. gloriantur. O ueram gloriam. quam qui consequuntur, beati illi mihi, bonisq. omnibus uideri solent, & beati certe sunt.

Deus opt. max. Te, qui tantam uirtutem (nondum XIIX. annum natum, quod est mirum dictu) possides, diu felicem esse uelit.

Venetijs, IV. non. Nou. ∞ D XXCIII.

Tui obseruantissimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.



ARATI · VERSUS
A. M. TULLIO. CICERONE
CONVERSI

Et, ubi aliquot in locis, iniuria temporis amissi Ciceronis uersus desiderantur, eos addidimus, quos, a Virgilio, Germanico Caesare, Rufo Auieno conuersos, colligere potuimus: qui, eorum nominibus e regione notatis, internoscuntur.



VIRG. 3.ecl. *AB Ioue principium, Musae, Iouis omnia plena.*

*

VIRG. 1Geor. *Atque, haec ut certis possimus discere signis,*
Aestusque, pluuiasque, & agentes frigora uentos
Ipse pater statuit.

GER. *Nunc uacat audaces in caelum tollere uultus Sideraque, & uarios astrorum noscere motus s*

*

Haec ego dum laetis cogor praedicere musis,
Pax tua, tuq. adsis nato, numenq. secundes.
CIC. *Cetera labuntur celeri caelestia motu,*
Cum caeloq. simul noctesque, diesq. feruntur.
GER. *Axis stat, motus semper uestigia seruat,*
Libratasq. tenet terras, & cardine firmo
Orbem agit extremum.
CIC. *Extremusq. adeo duplici de cardine uert ex*
Dicitur esse polus.
VIRG. *Hic uertex nobis semper sublimis, at illum*
1.Geor. *Sub pedibus Styx atra uidet, manesq. profundi.*
CIC. *Hunc circum ἄρκτοι duae uertuntur.*
GER. *Tres temone, rotisq. micant, sublime quaternae,*
Si melius dixisse feras, obuersa refulgent
Ora feris, caput alterius super horrida terga
Alterius lucet. pronas capit orbis in ipsos
Decliuis humeros.
Croesia uos tellus aluit, moderator Olympi
Donauit caelo. meritum custodia fecit,
Quod fidei comites prima incunabula magni
Fuderunt Iouis attonitae, cum furta parentis
Aerea pulsantes mendaci cymbala dextra
Vagitus pueri patrias ne tangeret auras.
Dictaei exercerent dominae famuli Corybantes
Ex his altera apud Graecos Cynosura uocatur CIC.
Altera.
Quas nostri septem solisi uocitare triones.
Dat Graijs Helice cursus maioribus astris. GER.

*

Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto. CIC.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim a nocte uidetur.
Haec uero parua est, sed nautis usus in hac est:
Nam cursu interiore breui conuertitur orbe.
Sidoniamq. ratem numquam spectata fefellit. GER.
Has inter ueluti rapido cum gurgite flumen CIC.
Toruus draco repit, subter supraq. reuoluens
Sese, conficiensq. sinus e corpore flexos.

*

Huic non uno modo caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusq. oculis duo feruida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet,
Obstipumq. caput tereti ceruice reflexum
Obtutum in cauda maioris figere dicas.

*

Hoc caput hic paullum sese, subitoq. recondit.
Ortus ubi atque obitus partem miscentur in unam.
At singens defessa uelut maerentis imago
Versitur.
ἐνγόνασιν dicunt, genibus quod nixa feratur.

*

Dextro

GER. *Dextro namque genu uixus, diuersaq. tendens*
Brachia, suppliciter passis ad numina palmis
Serpentis capiti figit uestigia saeua.
CIC. *Hic illa eximio posita est fulgore Corona.*
GER. *Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.*

*

CIC. *At que hoc a tergo propter caput Anguitenentis,*
Quem claro perhibent Ὀφιοῦχον *nomine Graij,*

*

GER. *Illis languet honos humeris, manet integer ar dor*
Luna etiam mensem cum pleno diuidit orbe.

*

CIC. *Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,*
Atque eo ipse manet religatus corpore toto.
Namque uirum medium Serpens sub pectore cingit:
Ille tamen nitens grauiter uestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus pectusq. Nepai.
GER. *Est impar manibus pondus, nam dextra paruam*
Partem Anguis tenet, a laeuaq. attollitur omnis.
Quantumq. a laeua distantia certa notantur,
Erigitur tantum Serpens, atque ultima mento
Stella sub aethera lucet crinita Corona.
Ad quam sed dorso peruadit lubricus Anguis.
Insignes caelum perfundunt lumine Chelae.
CIC. *Arctophylax uulgo qui dicitur esse Bootes,*
Quod quasi temone adiunctam prae se quatit arctũ.
Hinc autem subter praecordia fixa uidetur
Stella micans radijs Arcturus nomine claro.
Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo
GER. *Quam te diua uocant, tangunt mortalia si te*
Carmina, nec surdam praebes uenantibus aurem.
Exosa haud mortale genus, medio mihi cursu
Stabunt quadrupes, & flexis laetus habenis
Teq. tuumq. canam terris uenerabile numen.
Aurea pacati regeret cum saecula mundi
Iustitia, inuiolata malis, placidissima uirgo,
Siue illi astra genus fuerit, quem fama parentem
Tradidit astrorum, seuero intercipit aeuo.
Ortus fama tui medijs te laeta ferebat
Sublimis populis, nec dedignata subire
Tecta hominum, & puros mores sine crimine diua
Iura dabas, cultuq. nouo rude uulgus in omnem
Formabas uitae sinceris artibus usum.
Nondum uaesanos rabies nudauerat enses,
Nec cum sanguineis fuerat discordia nata,
Ignotiq. maris cursus: priuataq. tellus
Grata satis: neque per dubios auidissima uentos
Spes procul amotas fabricata naue petebant.
Diuitias, fructusq. dabat placata colono
Sponte sua tellus, nec parui terminus agri
Praestabat dominis signo tutissima rura.
At, postquam argenti crenis deformior aetas,
Rarius inuisit maculatas fraudibus urbes.
Seraq. ab excelsis descendens montibus, ore
Velato, tristisq. genas abscondita ripa,
Nulliusq. larem, nullos adit illa penates.
Tantum cum trepidum uulgus, coetusq. notauit,
Incipit, O patrum soboles oblita priorum,
Degeneresq. habuit semperq. habitura minores:
Quid me nunc habitus semper & mala uota uocatis?
Quaerenda est sedes nobis. noua saecula uestra
Artibus indomitis tradam, sceleriq. cruento,
Haec effata, super montes abit alite cursu,
Attonitos linquens populos, grauiora pauentes.
Aerea sed postquam proles terris data, nec iam
Semina uirtutis initijs demersa restabunt:
Quisque priora tenet uestigia, quisque secunda.
Ferriq. inuento mens est laetata metallo,
Polluit & taurus menses assuetus aratro:
Deseruit propere terras iustissima uirgo,
Et caeli sortita locum, qua proximus illi
Tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes.
Virginis at placidae praestanti lumine signat
Stella humeros, Helicen nec clarior ambit
Quaeq. micat, caudaq. armum praefulget ad ipsum,
Quaeq. priora tenet uestigia, quaeq. secunda
Clunibus hirsutis, & quae sua sidera reddit,
Namque aliae, quibus expletum ceruixque, caputq.
Vatibus ignotae priscis sine honore feruntur

*

Et natos Geminos inuises sub caput Arcti CIC.
Subiectus medio est Cancer, pedibusq. tenetur
Magnus Leo, tremulã quatiens e corpore flammam.
Huic ubi contigerit Phoebi uiolentior axis GER.
Accensa in Cancro, iam tunc geminabitur aestas,
Tunc lymphae tenues, tunc est tristissima tellus,
Et densas laetus segetes bene condit arator.
Ne mihi tunc tenuis pulset uaga caerula puppis.
Dem potius uentis excluso uela rudente,
Excipiamq. sinu Zephyris spirantibus auras.

*

Sub laeua Geminorum obductus parte feretur CIC.
Aduersum caput, huic Helice truculenta tuetur.
At Capra laeuum humerum clara obtinet.
Nomina praeterea secum trahit una putata GER.
Nutrix esse Iouis.
Verum haec est magno, atque illustri praedita signo. CIC.
Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem.
Cuius sub pedibus,
Corniger est ualido conixus corpore Taurus.
Et caput, & scapulas, nares & cornua Tauri GER.
Fronte micant Hyades; quae cornua summa sinistri
Summa tenent. sub haec uestigia dextra
Aurigae, mediaq. ligant compagine. diuus
Myrtilus exoritur, summo cum piscibus ore
Totus cum Tauro lucet, ruit oceano Bos,
Ante super terras cum fulget Myrtilus ore.
Has Graeci stellas Hyadas uocitare fuerunt. CIC.

*

Iasides etiam caelum cum coniuge Cepheus GER.
Adscendit totaq. domo, quia Iuppiter auctor
Est generis, prodest maiestas saepe parentis.
Ipse breuem patulis manibus stat post Cynosuram.
Namq. ipsum ad tergum Cynosurae uertitur Arcti. CIC.
Diducto passim quantum latus a pede dextro, GER.
Cepheus extremam tangit Cynosurida caudam,
Tantundem a laeuo distat minor. utraque iungit
Regula, Cepheos uestigia baltheus ambit.

*

(Hunc antecedit) obscura specie stellarũ Cassiopeia: CIC.
Clara, etiam pernix, caelo cum Luna refulget, GER.
Sed breuis, & paucis decorata in sidere flammis,
Qualis ferratos subicit clauicula dentes,
Succutit, & foribus praeducit uincula claustris

Talis

Talis dispositis stellis, ipsa horrida uultu
Sic tendit palmas, ceu sit planctura relictam
Andromedam meritae non iusta piacula matris.
CIC. Hanc autem illustri uersatur corpore propter
Andromede, fugiens adspectum maesta parentis.
GER. Nec procul Andromede totam quam cernere nondũ
Obscura sub nocte licet, sic emicat ore,
Sic magnis humeris candens uitet, ac media ambit
Ignea substricta fulget qua zonula palla.
Sed poenae facies remanet, districtaq. pandit
Brachia, ceu magni teneantur robore saxi.

*

CIC. Hinc Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput aluo, stellaq. iungens
Vna tenet duplices communi lumine formas.
Aeternum ex astris cupiens connectere nodum.
GER. * tres armo, sed latera aequis
Distinguunt spatijs. capiti tristissima forma,
Et ceruix sine honore obscuro lumine sordet.
Spumanti mandit sed quae ferus ore lupato,
Et capite, & longa ceruice insigniar exit
Stella nitens armis, lateriq. simillima magno.
Nec totam ille tamen formam per singula reddit,
Primo praestat Equo, medio rapta ordine membra
Destituent uisus, radijs hinc surgit imago.
Gorgonis hinc proles in Pierio Helicone
Vertice cum summo nondum decurreret unda
Musaeos fontes dextri pedis ictibus hausit:
Inde liquor genitus nomen tenet Hippocrenen,
Fontes nomen habent. sed Pegasus aethere summo
Veloces agitat pennas, & sidere gaudet.
CIC. Exin contortis Aries cum cornibus haeret
* qui longe maxima torret,
Orbis & ad finem spatijs non tardior ipse
Peruenit, quam * Lycaonis Arctos
Claraq. non illi est facies, nec sidera possunt
Officiat si Luna, sua uirtute nitere
Sed quaerendus erit Zonae ratione micantis.
CIC. hanc subter possis cognoscere fultum.
Iam caeli mediam partem teris, ut prius altae
Chelae, tum pectus quod cernitur Orionis.
Et prope conspicies paruum sub pectore claro
Andromedae signum. Deltoton dicere Graij
Quod soliti, simili quia forma littera claret.
Huic spatio ductum simili latus exstat utrumque,
At non tertia pars lateris. nam non minor illis,
Sed stellis longe densis praeclara relucet.
Inferior paullo est Aries, & flamen ad austri
Inclinatior. atque etiam uehementius illi
Pisces, quorum alter paullo praelabitur ante,
Et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis.
Atque horum & caudis duplices uelut esse catenae
Dicantur, sua diuersae per lumina serpunt,
Atque una tandem in stella communiter haerent,
Quam ueteres soliti caelestem dicere nodum.
Andromedae laeuo ex humero signum
Ac positum poteris supra cognoscere piscem.
Et pedibus natum summo natum Ioue Perseum,
Quos humero retinet defixo corpore Perseus,
Qua summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiopeiae,
Diuersosq. pedes uinctos talaribus aptis.
Puluerulentus uti, de terra lapsu' repente
In caelum uictor magnum sub culmine portat.
At propter laeuum genu omni ex parte locatas
Paruas Vergilias tenui cum luce uidebis.
Hae septem uulgo perhibentur more uetusto
Stellae, cernuntur uero sex undique paruae.
At non interijsse putari conuenit unam.
Sed frustra temere a uulgo ratione sine ulla
Septem dicier ut ueteres statuere poetae,
Aeterno cunctas aeuo qui nomine dignant.
Alcyone, Meropeque, Celeno, Taygeteque,
Electre, Steropeque, simul sanctissima Maia,
Hae tenues paruo labentes lumine lucent,
At magnum nomen signi, clarumq. uocatur,
Propterea quod & aestatis primordia claret,
Et post hiberni praepandens temporis ortus,
Admonet, ut mandent mortales semina terris.
Inde fides leuiter posita, & conuexa uidetur,
Mercurius paruus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus, in alta se de locasse.
Quae genu ad laeuum Nisi delapsa resedit,
Atque inter flexum genu, & caput alisis haesit.
Namque est Ales auis, lato sub tegmine caeli
Quae uolat, & serpens geminis secat aera pennis,
Altera pars huic obscura est, & luminis expers:
Altera nec paruis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen.
Haec dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Gestit, iam uero clinata est ungula uehemens
Fortis Equi propter pennati corporis alam.
Ipse autem labens multis Equus ille tenetur
Piscibus. hinc ceruix dextra mulcetur Aquari.
Tum gelidum ualido de corpore frigus anhelans
Corpore semifero magno Capricornus in orbe,
Quem cum perpetuo uestiuis lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore cursum.
Hoc caue te ponto studeas committere mense:
Nam non longinquum spatium labere diurnum,
Non hiberna cito uoluetur curricula nox.
Humida non sese uestris aurora querellis
Ocius ostendet, clari praenuncia soliss
At ualidis aequor pulsabit uiribus auster,
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus,
Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina uitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus,
Atque etiam supero naui, pelagoq. uagato
Mense Sagittipotens solis tum sustinet orbem.
Nam iam cum minus exiguo lux tempore praesto est,
Hoc signum ueniens poterunt praenoscere nautae.
Iam prope praecipiti ante licebit uisere nocti,
Vt sese ostendens emergat Scorpius alte
Posteriore trahens flexum ui corporis arcum.
Iam supra cernes Arcti caput esse minoris,
Et magis erectum ad summum uersarier orbem.
Tum sese Orion toto iam corpore condit
Extrema prope nocte, & Cepheus conditur ante
Lumborum tenus a palma depulsus ad undas
Hic miss * iacet una sagitta
Quam propter nitens penna conuoluitur ales,
Et clinata magis paullo est Aquilonis ad auras.
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum

Igniferum mulcens tremebundis aethera pennis,
Non nimis ingenti cum corpore, sed graue maestis
Ostendit nautis perturbans aequora signum.
Tum magni currens Capricorni corpora propter
Delphinus iacet, haud nimio lustratu' nitore.
Praeter quadruplices stellas in fronte locatas
Quas interuallum binas disterminat unum,
Cetera pars laete tenui cum lumine serpit,
Illae quae fulgent luces ex ore corusco
Sunt inter partes gelidas Aquilone locatae,
Atque inter spatium, & laeti uestigia solis.
At pars inferior Delphini fusca uidetur,
Inter solis iter, simul inter flamina uenti,
Viribus erumpit qua summi spiritus austri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens,
Inferiora tenet truculenti corpore Tauri.
Quem qui suspiciet in caelum nocte serena,
Lati dispersum non uiderit, abdita uero
Cetera se speret cognoscere figna potesse.
Namque pedes subter rutilo cum lumine claret,
Feruidus ille Canis stellarum luce refulgens.
Hunc tegit obscuris subter praecordia uesper.
Ver toto spirans rabido de corpore flammam,
Aestiferos ualidis erumpit flatibus ignes,
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
Hic ubi se pariter cum sole in lumina caeli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra
Suspensos animos arbusta ornata tenere.
Nam, quorum stirpes tellus amplexa prehendit,
Haec augens anima uitali flamina mulcet.
At, quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat folijs ramos, & cortice truncos.
Hunc propter, subterq. pedes, quos diximus ante,
Oriona, iacet leuipes Lepus: hic fugit, ictus
Horrificos metuens rostri tremebundus acuti:
Nam Canis infesto sequitur uestigia cursu.
Praecipitantem agitans, oriens iam denique paullũ,
Curriculum numquam defesso corpore sedans.
At Canis ad caudam serpens praelabitur Argo,
Conuersam prae se portans cum lumine puppim.
Non aliae naues, ut in alto paudere proras
Ante solent, rostro Neptunia prata secantes,
Sed conuersa retro caeli semper loca portat.
Sicut cum coeptant tutos constringere portus
Obuertunt nauem magno cum pondere nautae.
Aduersamq. trahunt optata ad litora puppim.
Sic conuersa uetus super aethera uertitur Argo,
Atque usque a prora ad caelum sine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara uidetur,
Inde gubernaculum disperso lumine fulgens
Clari posteriora Canis uestigia condit.
Exin semotam procul, in tutoq. locatam
Andromedã, tamen explorans fera quaerere Pistrix
Pergit, & usque sitam ualidas Aquilonis ad auras
Caerula uestigat, finita in partibus austri.
Hanc Aries tegit, & squammosi corpore Pisces,
Fluminis illustris tangentem corpore ripas
Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum,
Caeli funestum magnis cum uiribus amnem,
Quem lacrymis maestae Phaethontis saepe sorores
Sparserunt, letum maerenti uoce canentes.
Hunc Orionis sub laeua cernere planta
Serpentem poteris, proceraq. uincla uidebis,
Quae retinent Pisces caudarum parte locata.
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reuerti
Hinc una stella uertuntur, quam iacit ex se
Pistricis spina ualida cum luce refulgens.
Exinde exiguae tenui cum lumine multae
Inter Pistricem fusae, sparsatq. uidentur
Atque Gubernaclum stellae, quas contigit omnes
Formidans acrem morsum Lepus his neque nomen
Nec formam ueteres certam statuisse uidentur.

*

Nam, quae sideribus claris natura poliuit,
Et uario pinxit distinguens lumine formas,
Haec ille astrorum custos ratione notauit,
Signaq. signauit caelestia nomine uero.
Has autem, quae sunt paruo sub culmine fusae,
Consimili specie stellas, pariliq. nitore,
Non potuit nobis nota clarere figura.

*

Voluitur inferior Capricorno Piscis ad Austrum,
Pistricem obseruans, procul illis piscibus haerens:
At prope conspicies expertes nominis omnes
Inter Pistricem, & Piscem quem diximus Austri,
Stellas sub pedibus sparsas radiantis Aquari.
Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem
Exiguo qui stellarum candore nitescit.
E multis tum his duo late lumina fulgent.

*

Vnum sub magni pedibus cernetur Aquari
Quod superest gelido delapsum lumine fontis,
Spumiferam subter caudam Pistricis adhaesit:
Ast omnes stellae perhibentur nomine aquai.
Hic aliae uolitans paruo cum lumine clarae,
Atque priora pedum subeunt uestigia magni
Arcitenentis, & obscurae sine nomine condunt,
Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
Aram quam flatu permulcet spiritus Austri,
Exiguo superum quae lumina tempore tranat.
Nam procul Arcturo est aduersa parte locata,
Arcturo magnum spatium supra dedit, orbem
Iuppiter huic paruum inferiori parte locauit
Hic tamen aeterno inuisens lota curriculo nox
Signa dedit nautis, cuncti quae noscere possent,
Commiserans hominum metuendos undique casus.
Nam, cum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram sub media caeli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam:

*

Tum ualidis fugito deuitans uiribus austrum.

*

Quem si prospiciens uitaueris, omnia caute
Armamenta locans, tuto labere per auras:
Sin grauis inciderit uehementi flamine uentus,
Perfringet celsos defixo robore malos
Vt res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Coeperit, & subitis auris diduxerit Ara.

*

Sin humeros medio in caelo Centaurus habebit,
Ipseq. caerulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans uestiet umbra,
Ad signorum obitum uis est metuenda Fauoni,

Ille

Ille autem Centaurus in alta sede locatus.

*

Qua sese clarum collucens Scorpios infert,
Haec subter partem praeportans ipse uirilem,

*

Cedit, equi & partes properat coniungere Chelis.
Hic dextra pergens quadrupes qua uasta tenetur,
Quam nemo certo donauit nomine Graium,
Tendit, & illustrem truculentus cedit ad Aram.
Hic sese inferni de partibus erigit Hydra
Praecipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Hoc caput, atque oculos torquens ad terga Nepai,
Conuexoq. sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda.
In medioq. sinu fulgens Cratera relucet:
Extrema nitens plumato corpore Coruus,
Rostro tundit, & hic, Geminis est ille sub ipsis
Ante canem Graio Procyon qui nomine fertur.
Haec sunt, quae uisens nocturno tempore signa,
Legitimo cernes caelum lustrantia cursu.
Nam, quae per bis sex signorum labier orbes
Quinque solent stellae, simili ratione notari
Non possunt: quia, quae faciunt uestigia cursu,
Non eodem semper spatio portata teruntur.
Sic malunt errare uagae per nubila caeli,
Atque suos uario motu metirier orbes.
Haec faciunt magnos longinqui temporis annos,
Cum redeunt ad idem caeli sub tegmine signum.
Quare ego nunc nequeo totos euoluere cursus:
Verum haec, quae semper certo uoluuntur in orbe
Fixa, simul magnos similes uertentibus orbes
Quattuor, aeterno lustrantes lumine mundum.
E quibus annorum uolitantia lumina nosces,
Quae densis distincta licebit cernere signis.
Tum multos orbes magno cum lumine latos
Vinctos inter se, & nodis caelestibus aptos,
Atque pari spatio duo cernes esse duobus.
Nam, si nocturno cognoscens tempore caelum,
Cum neque caligans detergit sidera nubes,
Nec pleno stellas superaret lumine luna,
Vidisti magnum candentem serpere Circum:
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
H.c non perpetuum detexens conficit orbem,
. ed spatio multum superest praestare duobus:
Dicitur & late caeli lustrare cauernas,
Quorum alter tangens Aquilonis uertitur auras
Ora petens Geminorum, illustratum genu ardens,
In sese retinens Auriga portat utrumque.
Hunc supra, laeua Perseus, humeroq. sinistro,
Tangit, ad Andromedē hic dextra de parte tenetur,
Imponitq. pedes duplices Equus, & simul Ales
Ponit auis caput, & clinato corpore tergum,
Anguitenens humeris conuititur, illa recedens
Austrum consequitur deuitans corpore Virgo.
Inde Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo consistens conuertit curriculum Sol
Aestiuus, medio distinguens corpore cursus.
Hic totus medius circo disiungitur ipso.
Pectoribus ualidis, atque aluo possidet orbem.

*

Hunc octo in partes diuisum noscere circum,
Si potes, inuenies supero conuertier orbe,
Quinque pari spatio. partes tres esse relictas,
Tempore nocturno quas uis inferna frequentet.
Alter ab infernis Austri conuertitur auris.
Ast alter medium subtersecat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum riuum fundentis Aquari,
Caeruleaeq. feram caudam Pistricis, & illum
Fulgantē Leporē, inde pedes Canis, et simul amplam
Argolicam retinet crebro cum lumine Nauem.
Tergaq. Centauri, atque Nepai portat Acumen.
Inde Sagittari defixum possidet arcum.
Hunc a clarisonis auris Aquilonis ad Austrum
Condens postremum tangit rota feruida solis:
Exinde in superas brumali tempore flexu
Se recipit sedes. hinc orbi quinque tributae
Nocturnae partes supra, tres luce dicantur
Hasce inter, mediam in partem retinere uidetur
Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis.
In quo autumnali, atque iterum sol lumine uerno
Exaequat spatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries sublucet corpore totus,
Atque genu flexo Taurus conititur ingens.
Orion claro contingens pectore fertur,
Hydra tenet flexu Crateram, Coruus adhaeret.

*

Et paucae Chelis stellae, simul Anguitenentis
Sunt genua, & summi Iouis Ales nuncius instat.
Propter Equus capite & ceruicum lumine tangit,
Hosce aequo spatio deuinctos sustinet axis,
Per medios summo caeli de uertice trauans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus,
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et simul a medio media de parte secatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur,
Vt nemo, cui sancta manu doctissima Pallas
Sollertem ipsa dedit fabricae rationibus artem,
Tam tornare cate contortos possiet orbes,
Quam sunt in caelo diuino lumine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine transuerso retinentes sidera fulta.
Quattuor hi motu cuncti uoluuntur eodem,
Sed tantum supra terras, semper tenet ille
Curriculum oblique inflexus.
Quanto est diuisus Cancer spatio a Capricorno,
Ac subter terras spatium par esse necesse est.
Et quantos radios iacimus de lumine nostro,
Quis Lunae conuexum * contingimus orbem,
Sex tantae poterunt sub eum succedere partes
Bina pari spatio caelestia signa tenentes.
Zodiacum hunc Graeci uocitant, nostriq. Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine uero.
Nam gerit hic uoluens bis sex ardentia signa.
Aestifer est pandens feruentia sidere Cancer.
Hunc subter fulgens cedit uis torua Leonis,
Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo.
Exin proiectae claro cum lumine Chelae,
Ipsaq. consequitur lucens uis magna Nepai.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Post hunc ore fero Capricornus uadere pergit.
Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin squamiferi serpentes ludere Pisces.
Queis comes est Aries obscuro lumine labens:
Inflexoq. genu proiecto corpore Taurus:.

Et Gemini clarum iactantes lucibus ignem.
Haec ol aeterno conuestit lumine lustrans,
Annua conficiens uertentia tempora cursus.
Hic quantum terris conuexus pellitur orbis,
Tantundem patens supra mortalibus exstat.
Sex omni semper cedunt labentia nocte.
Tot caelum iussu fugientia signa reuisunt.
Hoc spatium tranans caecis nox conficit umbris,
Quod supra terras prima de nocte relictum est.
Quod si solis aues certos cognoscere cursus,
Ortis signorum nocturno tempore uises,
Nam semper signum exoriens Titan trabit unum.
Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
Aut adiment lucem caeca caligine nubes,
Certas ipse notas caeli de segmine sumes.
Ortus, atque obitus omnes cognoscere possit.
Quae simul exsistant cernes, quae tempore eodem
Praecipitent obitum nocturno tempore nosces.
Iam simul ut supero se toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona.
Et loca conuisit cauda tenus infera Piscis.
Dimidiam retinens stellis distincta Corona
Parsẽ, etiam supera, atque alia de parte repulsa est.
Quam tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
Tractus, sed supero contectus corpore cedit,
Atque humeros usq. a genibus, Cancrumq. recondit
Anguitenens ualidis magnum a ceruicibus Anguem.
Iom uero Arctophylax non aequa parte secatur.
Nam breuior clara caeli de parte uidetur.
Amplior infernas depulsus possidet umbras,
Quattuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi. tum serius ille,
Cum supera sese satiauit luce, recedit,
Post mediam labens claro cum corpore noctem.
Haec obscura tenens conuestis sidera tellus,

*

At parte ex alia claris cum lucibus errat,
Orion humeris, & lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non cassum luminis ensem.
Sed, cum de terris uis e patefacta Leonis,
Omnia, quae Cancer praeclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata simul uis maior *
Pellitur, ac flexo confidens corpore Nisus.
Iam supero ferme depulsus lumine cedit,
Sed laeuum genu, atque illustrem liquit in altum
Plantam. tũ contra exoritur clarum caput Hydrae,
Et Lepus, & Procyon, qui sese feruidus inferi
Ante Canem, indo Canis uestigia prima uidentur.
Non pauca e caelo depellens signa repente,
Exoritur candens illustria lumina Virgo,
Cedit clara Fides Cyllenia: mergitur unda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta:
Atque auis ad summam caudam, primasq. recedit
Pennas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite, & longa ceruice latescit.
Longius exoritur iam claro corpore serpens,
Crateraq. tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis ostendit iom posteriores,
Et post ipse trahit claro cum lumine puppim.
Insequitur labens per caeli lumina Nauis,
Haec medium ostendit radiato stipite malum.
Et iamiam toto processit corpore Virgo.
At, cum procedunt obscuro corpore Chelae,
Exsistit pariter larga cum luce Bootes.
Cuius in aduerso est Arcturus corpore fixus,
Totaq. iam supra fulgens prolabitur Argo.
Hydraque, quod late caelo dispersa tenetur,
Nondum tota latet, non caudam contigit umbra.
Iam dextrum genu, & decoratam lumine suram
Erigit ille uagans uulgato nomine Nisus,
Quem nocte exstinctum, atque exortum uidimus una
Persaepe, ut paruum tranans geminauerit orbem.
Hic genu, & suram cum Chelis erigit altes
Ipse autem praeceps obscura nocte tenetur,
Dum Nepa, & Arcitenens inuisant lumina caeli.

*

Nam secum medium pandet Nepa, tollere uero
In caelum totum exoriens conabitur arcum.
His tribus elatus cum signis corpore toto
Lucet, at exoritur media de parte Corona.
Caudaq. Centauri extremo candore refulget.
Hic se iam totum caecas Equus abdit in umbras,
Quem rutila fulgens pluma praeteruolat Ales.
Occidit Andromedae clarum caput, & fera Pistrix
Labitur horribiles epulas funesta requirens.
Hanc contra, Cepheus non cessat tendere palmas,
Ille usque ad spinam mergens se caerula condit:
At Cepheus caput, atq. humeros, palmasq. reclinat.
Cum uero uis est uehemens exorta Nepai,
Late fusa uolat: per terras fama uagatur,
Vt quondam Orion manibus uiolasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet, Aegaeo defixa in gurgite *
Brachia quae uiridi conuestis segmine uitis.
Ille feras uaecors amentis corde necabat,
Oenopionis auens epulas cenare nitentes.
At uero pedibus subito perculsa Dianae
Insula discessit, disiectaq. saxa reuellens
Perculit, & caecas lustrauit luce lacunas.
E quibus ingenti exsistit cum corpore, prae se
Scorpios infestus praeportans flebile acumen.
Hic ualido cuspide uenantem perculit ictu,
Mortiferum in uenas figens per uulnera uiruss
Ille graui moriens constrauit corpore terram.
Quare, cum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum uero fugit Andromeda, & Neptunia Pistrix
Tota latet. cedit conuerso corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput, & superas potis est demergere partes,
Infera lumborum numquam conuestiet umbras
Nam retinent Arctoi lustrantes lumine suras.
Labitur illa simul gnatam lacrymosa requirens
Cassiopia, neque ex caelo depulsa, decore
Fertur: nam uerso contingens uertice primum
Terras post humeros euersa saepe refertur.
Hanc illi tribuunt poenam Nereides almae,
Cum quibus, ut perhibent, ausa est cõtendere forma.
Haec obit inclinata, ac pars exorta Coronae est
Altera. cum caudaq. omnis iam panditur Hydra.
At caput, & totum sese centaurus opacis
Eripit e tenebris, linquens uestigia parua.
Ipse feram dextra retinet, prolabitur inde

*

Anguitenens

Anguitenēs capite, et manibus prōfert simul Anguis
Iam caput, & summum flexo de corpore lumen.
*
Hic ille exoritur conuerso corpore Nisus,
Aluum, crura, humeros, simul et praecordia lustrās:
Et dextra radios laeto cum lumine iactans.
Inde Sagittipotens superas conuisere luces
Institit, & mergit Nisi caput. & simul effert
Sese clara Fides, & promit corpore Cepheus.
Feruidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obijt Lepus abditus umbra.
*
Inferiora cadunt Aurigae.
*
Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam, instantēq. Capram paruos simul Haedos.
Et magnam antiquo depellit nomine Nauem,
Crus, dextrumq. pedem linquens obit infera Perseus
In loca, tum cedens a puppi linquitur Argo.
*
Obruitur Procyon, emergunt Alites una.
Et uolucris terris exsistit clara Sagitta.
AVIS. * perq. notum rutila cum nummis Hydra
Delphinum paruas promit Capricornus in auras.
Et matutino consurgit Aquarius orbe.
Oc Equus, atque pedes nouus exserit. ecce cadentis
Parte poli trahit occiduum nox atra sub aequor
Centaurum cauda, sed non caput, aut humerorum.
Vasta simul recipit, persistit pectore celso.
Coraipedis species, & caelum uertice fulcit.
Ora dehinc Serpens & prima uolumina tantum
Conditur, ingentis late tamen agmina caudae
Pone trahit, subit ista solum, subit aequora rursum,
Integer Oceani cum se Ceataaruc in undas
Iecerit, atque nouo uibrauit sidere Piscem:
His summa caeli surgentibus, ille per Austrum
Piscis item planta quam pulcher Aquarius urget
Redditur. haud toto tamen hic se corpore promit,
Sed manet alterius uenientis tempora signi.
* sic brachia maestae
Andromedae, sic crura dehinc, humeriq. nitentes
Paullatim recauo redeunt maris aurea caelo
Postqaam adoleat Pisces, incendia denique Pisces
Cum rutilant mūdo, dextram haec attollet in ulnam
Laeuaq. Virginei rursum se corporis edunt.
Phryx postquam pecoris proruperit ortus,
Australem hic Aries Aram procul admouet undis,
Gurgitis occidui qua lux redit, excitat idem
Persea proceri sustollere uerticis astra,
Et claros fulgere humeros. at cetera nondum
Sunt exempta solo, quin totum hoc inuida ueri
Natura ambigua rerum ratione reliquit,
Eximne an reliquos Aries produceret artus
Perseos, an Tauro freta pelleret assurgente.
Hoc una caelum subit integer. haud
Viscera nasceatis noua Tauri desrit astra.
Quippe huius flammis Aurigae situs inhaeret,
Nec tamen hunc totum sustollit Taurus in aethram.
Aurigam salsis euoluunt fluctibus amnem
Surgentes Gemini, Tantum Capra, plantaq. laeua
Atque Haedi exsuperāt, cū primum rursus ab undis
Cetosa in superum efferuntur uiscera caelum.

Emiauc ingentem condit pars prima Booten.
Quattuor hic etenim signis surgentibus altum
Vix penetrat pelagus. aeq. summa totus ab aethra
Labitur Arcturus, manus olli quippe sinistra
Inge, manet, celsisq. * subducitur Vrsis.
At, cum iam pedibus repetit fluxus Ophiuchus
Vt genua Oceanus uasto procul aequore condat,
Signum erit Eoa Geminos procedere parte,
Nec lateri Pistrix cuiquam uicina uidetur:
Sed, cum tota super sustollitur, expuit atram
Iam pelagus speciē, nec adhuc tamen extima sorbēt:
Quin nec nascentis suspectat nauita ponto
Agmina prima Padi caelo tum feruere aperto,
Vicinasq. faces rutili manet Orionis.
Curricula ut sollers uero mox indice discat
Certa tenebrarum, possitq. fideliter astro
Explorare notos, & tuto carbasa ponto:
* monet alta Iuppiter aethra
Singula nos. facilis ueram dedit arbiter artem.
Nonne uides, primum cum Phoebe in cornua surgit
Tenuia, & angusto lumen iacit ore per aethram
Decedente die, pronoq. ab tramite Solis,
Promat ut ingressi sollers tibi tempora mensis?
* sunt tales quattuor ortus
Marcentis Lunae, quales sub mense renato
Quattuor exsurgunt languentis luminis umbrae,
Atque bis octonas includunt ordine luces.
At decedentis postrema crepuscula noctis,
Bis sex signa tibi quae uersat signifer orbis
Monstrabunt. * nam Phoebus singula mutat
Semper & alterno succedit omnia lapsu
* uel cum deuexus in undas
Labitur, & rebus formam absumpsere tenebrae
Vel matutino redit in cunabula *
Cum pelago, & rebus suffudit luce colores.
Sic diuersa diem comitantur sidera semper.
Sed prim * exordia sumpsit ab anno,
Torreret rutilo cum Phoebus sidere Cancrum,
Singula cum ueheret pelagus procul Orionis,
Et cum caeruleo flagraret Sirius astro.
Hoc ut fontem, unde & duxit tempora Lunae
Nauita quo longum facili rate curreret aequor,
Et quo ruris amans telluri sacra pareati
Crederet, ingentiq. petat indagine semper,
Seu qui uela salo, seu qui dat semina terrae,
Haec mora discendi breuis, hic labor, et breue tēpus
Poscitur, innumeros habet autem industria fructus.
Vtilitas te certa manet, praenoscere motus
Si libet aerios, & tempestatibus ipsis
Edere principium. te primum sponte procellis
Arcebis rapidis, te rursum principe fluctus
Vitabunt alij, si certis singula signis
Tempora discernas.
Saepe etenim quamquam tranquillae noctis amictu
Mitia portenti requiescunt terga profundi,
Doctus securam subducit ab aequore classem
Nauita, & arcta retinet statione phaselum,
Cum matutinae praesensit signa procellae.
Namque alias caelo tum tertia lumina Phoebus
Exserit.
Crebro quincta dehinc lux commouet amphitritem.
Saepe inopina mali clades ruit. omnia certis

Indicijs tibi Luna dabit, seu lucis utrimque
Caesa facem, seu cum teretem concrescit in orbem.
Sol quoque uenturas aperit tibi saepe pracellas
*Sidera producens, & cum * sidera condit,*
Nec minus ex alijs aderit cognoscere motus
Aequoris, & magnos caeli callere tumultus.
Cynthia cum primum caelo noua cornua promit,
Cautus utrimque deam circumspice. nãque reuersae
Nequaquam semper similis lux imbuit ortum.
Sed species diuersa trabit, uarioq. notatur
Formarum primi cum surgit luminis igne.
Tertia cum rutilat, tum maior sideris aethram
Scandit, & aereas quarta face luminat oras:
Ingredientis erit plene tibi nuncia mensis:
Aacc castigaso si tertia fulserit ortu
Pura, sic ut foedis ab syrtibus absore dicat,
VIR. *Clara serena diu.*
1.Geor. *At, si uirgineum suffuderit ore ruborem,*
Ventus erit. uento semper rubet aurea Phoebe.
AVIE. *Luminis ista debinc si crassiar, atque retusis*
Cornibus ingreditur, si quarti sideris ortum
Percurso, ut tenuem protendat corporis umbram,
Imbribus aut Zephyris bebetabitur: arguet ultro
Flabra Noti, aut pluuias
Tertia si rursum protallat Cynthia currus,
Sic subiecta faces, & acumina lenta coruscans,
Vt nec curua quasi declinet cornua, nec se
Fusa supinato diducat lumen in auras:
Occiduo Zephyrum praedicet surgere mundo,
Aut Libyae de parte Notum. siu quattuor autem
Cynthia curriculis caelum subit, atque coruscis
Cornibus immodice praestantibus usserit ignes:
Vix prolixa salum ciet ocius omnia Cauri.
Istius in Boream quod se sustollit acumen,
Sic curuum specie uelut armat: assore caelo
Saeua procellosi praedicet flabra Aquilonis
Inferiore plaga, si Lunam tertius ortus
Proferat, atque Deae conuoluat circulus oras
Suffusus rutilo: mox tempestate sonora
Spumosum late pelagus canescere cernes,
Maior & bac rauci uersabis gurgitis undas.
Ipsa quoque immodice si uultum Luna rubescat,
Contemplator item seu plenum luminis orbem
Cynthia distendis, seu cum tertius ambitus olli
Caeditur, & mediae uelus indiga lucis utrimque
Sustinet obductae sibimet dispendia formae,
Cornua prima replens, & cornua fessa debiscens.
Induit & qualem procedens ore colorem,
Hinc perpende oculis, ipso monitore dierum
Signa tene, ac totum discerne in tempora mensem.
Non unum deprebensa diem tibi signa loquuntur,
Nec uulgo in cunctis adsunt praecepta diebus,
Sed quae signa nono dederit mox tertia in ortu
Quasta ue, sustollit medios dum Cynthia uultus
Durabunt caelo medio quae edixerit ore.
Ille alias trino conuoluit tramite Lunam,
Et geminus plerumque meat Sol, & unicus idem.
Cingere si simplex circumuersabitur orbem
Signa procellarum certissima, signa sereni
Praeferet: abrupsos subito praenunciat Euros
Marcescens tenui sensim caligine, & aethra
Digestus patula, docet undis adfore pacem.

Si duo se Lunae, circumfudere repente,
Maxima uis pontum, uis uertes maxima terras.
Maioresq. debinc agitabunt stagna procellae,
Si trinus rutilum constrinxeris ambitus orbem.
Et magis immodica formidine saeuies Auster
Zonarum taeter fuerit si tractus in aethra.
Denique disrumpant si sese cingula Lunae,
Vltima tempestas ruet imi gurgitis aestum.
Sol quoque & exoriens; & cum se condit in undas, VIR.
Signa dabit. Solem certissima signa sequentur, 1.Geor.
Et quae mane refert, & quae surgentibus astris.

*

Non hic cum primo seducet gurgite uultum AVIE.
Ceu picturato diuersos ore colores
Proferet. haud etenim tali sibi sale reuecto
Mitia iam caeli fas exspectare serena.
Et si tranquillo conuexa cucurrerit austro,
Indideritq. facem ponso deus integer, atra
Nube carens, purusq. coma, & spendidus orbe:
Conuenit Eoae facem praesumere lucis.
Sed non ora cano similis, medioq. recedens
Orbe, quasi uel si radios discingitur ultro
Figat, ad Australem porrecto sidere partem,
Aut Borea rigidi iaculetur luminis igne:
Et uento, & pluuijs reparata in luce carebit.
Denique per flammas procul, atque incendia sollers
Ipsa die cedunt blandi si lumina Solis,
Tende oculos, certa hoc ducentur signa sinistro.
Et ne sanguineus late rubor imbuat ora,
Qualia protractu uaga nubila saepe rubescunt.
Aut ne labenti piceus color abdat amictu
Lampada, quaere diu si taetro crassior orbe est,
Vuescet pluuijs tellus.
Vis simul amborum si uultum Solis oberret
Cuncta Noti quatient, imbres procul arua rigabunt.
Ecce alas primo nascentis Solis in ortu,
Vel cum praecipites pelago deus inserit ignes,
Si coeunt radij.
Omnibus his signis in terram defluit imber.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese VIR.
Diuersi rumpent radij: 1.Geor.
* *nimbis ingentibus arua madebunt.*
At matutini si Phoebum in litoris *
Maiorem solito produxerit, atque per aethram
Marcenti similis defluxerit extimus orbis,
Alta debinc scandens minuat iubar igniferum Sol:
Pura serena aderunt.
* *bic quoque magnis*
Cum madefacta die sub tempestatibus borret,
Pallidus ora cadens, promittet pura serena.
Quin nascente die uenturos conuenit imbres
Noscere, cum proni procul ad confinia caeli
*De * piceo spectans nubila tractu:*
Et cum declinant radij, sed partem in utramque
Lucis in occasu, nox ut ferat algida rores,
Imber erit. puras si Phoebus condit habenas,
Et Calpetano tranquillum gurgite lumen
Tingat, at in lapsu nubes ignita sequatur:
* *numquam te crastina fallet* VIR.
Hora, nec insidijs noctis capiere serenae. 1.Geor.
* *sed cum radijs marcentibus ardor* AVIE.
Languet, nebtenui tenduntur acumine frustra.

Phoebei

Phoebei crines: nimbos aget atra procella,
Talis & obducti cernetur forma diei,
Qualem fraternos subtexens luna iugales
Lucem habitat;

* *aut ubi cursum*
Cum matutinos molitur Lucifer ortus,
Ebria sanguineas subuoluunt uellera nubes.
Namque grauis caelo fundetur protinus imber.
Nec si Sole procul rutila inter stagna morante
Eminent radij, radios quoque crassior umbra
Contegat: ille dies pluuijs, uentoq. carebit.
Quin erit imber item, si Solem circulus ater
Ambiat exortum. maior si denique nimbus
Vrgebit coelo, maior sola perluet imber,
Circumfusa adeo si cingula nescia solui
Seruarent terram speciem torpentia noctis.
Saepe etiam Phoebo nubes percussa rubescit,
Et meditata dei formam procul igne recepto,
Concipit effigiem simulato luminis orbe.
Id qua parte poli spectaueris, adfore ab ipsa
Parte tene uentos. tamen, haec tamen omnia semper
Decedente die melius uentura docebunt.

*

Conuenit hic etiam paruum Praesepe notare,
Id nubi nomen, quae Cancro obuoluitur alto,
Graecia docta dedit: quapropter denique Asellos
Suspice, quorum unus septem uicina trioni
Astra adolet, tepidũ procul alter spectat in Austrũ,
In medio quod nube quasi contrescit adacta,
Id Praese uocant. Porro hoc Praesepe repente

*

Si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem
Congruus aeriis late rubor ignis Asellis:
Nequaquam tenues agitabunt stagna procellae.
At, si sideribus similis lux duret, & illi
Taetra sit effigies: ruet altis nubibus imber:
Sin Boreae de parte trucis uelut indiga iustae
Stella facis, lento marcescere cernitur igne,
Et procul alterius iuba late flagrat Aselli:
Protinus Aethiopum surget conuallibus Auster.
At regione Noti si lucem stella senescat,
Saeuus Riphoeis Aquilo crepitabit ab oris.

CIC. *Atque etiam uentos praemonstrat saepe futuros.*
Inflatum mare, cum subito, penitusq. tumescit.
Saxaq. cana salis niueo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere uoces,
Aut densus stridor cum celso e uertice montis
Ortus adaugescit, scopuli ui saepe repulsus.

VIR. *Iam sibi tum curuis male temperat unda carinis,*
Cum medio celeres reuolant ex aequore mergi,
Clamoremq. ferunt ad litora. cumq. marinae
In sicco ludunt fulicae, notasq. paludes
Deserit, atque altam supra uolat ardea nubem.

AVIE. *Denique cum caelo tenduntur pura serena,*
Saeuitura polo sunt flamina *

*

VIR. *Saepe etiam stellas uento impendente uidebis*
Praecipites caelo labi, noctisq. per umbras,
Flammarum longos a tergo albescere tractus,

AVIE. *Quod si diuersis se passim partibus ignes*
Excutiant: uerret pelagus sine, fine modoq.
Turba procellarum.

*

At Boreae de parte trucis cum fulminat, & cum VIR.
Euriq. Zephyriq. tonat domus: omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis nauita ponto.

*

* *aut bibit ingens*
Iris.
Si stellam taeter uelut ambiat aequora propter AVIE.
Iam uarias Pelagi uolucres, & quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.
Aut arguta lacus circumuolauit Hirundo.

*

Et ueterem in limo ranae cecinere querellam.

*

Et matutinis Acredula uocibus instat, CIC.
Instat, & assiduas uocum iacit ore querellas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit,
Fuscaq. nonnumquam cursans per litora cornix,
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.

*

Mollipedesq. boues spectantes lumina caeli,
Naribus humiferum duxere ex aere succum.
Saepius & tectis penetralibus extulit oua VIRG.
Angustum formica terens iter.

*

Inferit interius terrarum redditus aestus, AVIE.
Pectora cum curuo purgat gallinula rostro.

*

Agmine cum denso circumuolitare uidetur
Graculus, & tenui cum strident gutture corui,
Cum procera satum repetit languore frequenti
Ardea. *

* *cum paruae designant spicula muscae,*
Et si nocturnis ardentibus undique tectis
Concrescunt fungi, si flammis emicet ignis
Effluus, aut lucis substantia langueat ultro:
Concepit instantes praenoscere protinus imbres.

*

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellae VIRG.
Nesciuere hiemem, testa cum ardente uiderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

*

Si nimium ad montem nebularum crassus amictus AVIE.
Tendatur, summo nudentur uertice saxa.

*

Et cum pontus item freta per distenta quiescit
Nubila si longo se procumbentia tractu
Diffundunt caelo, & Thetidi, terrisq. supinis
Pax aderit, nusquam mundo, ruet effluus imber.
Sed, cum tranquillo tenduntur crassa serena,
Sub Ioue uenturae praenoscere signa procellae
Conuenit, & cum perfurit aeris horror
Inspice, quam referant terris, pelagoq. quietem,
Inter prima tamen paruum praesepe notatur,
Arduus excelso quod Cancer cardine uoluit
Cum minus & primo purgatur flamine uenti
Tempore. *
Nec quidquam seros exercet noctua cantus. VIRG.

*

Tum uespertinum cornix longaeua resultat AVIE.
Tum liquidas corui presso ter gutture uoces VIRG.
Aut quater ingeminant, & saepe cubilibus altis,

Nescio qua praet er solitum dulcedine laeti
Inter se folijs strepitant. iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulcesq. reuisere nidos.

*

AVIE. * *tunc pennis corpora plaudunt,*
Tunc & Strymonias circumuolitare repente
Suspicies, & per aperta ubi mitior annus
Sponte procellosum disiecerit aera caeli.
VIRG. * *tum stellis acies obtusa uidetur.*
AAIE. *Nubila nec crassos circumduxere meatus*
Vt iubar occulerent, flagrantibus obuia flammis,
Nec caligo inbibet rutilantis lampados ignis,
Orbe nec expleto sacra sidera luna recondit.
Sed iam sponte sua stellarum lumina marcent,
Conuenit hibernae praenoscere dura procellae
Nubila. *
Gramina si carpit semesa petatius anser,
Si nocturna tibi cornix canit: Hesperus aethra
Cum redit, innumero si cantu craculus instat,
Si matutino fringuilla resultat ab ore,
Si fugiunt uolucres raptim freta turbida Nerei,
Orchilos infestus si floricomis hymenaeis
Ima petit terrae, si denque paruus Erithcus,
VIRG. * *& e pastu descendens agmine magno,*
Coruorum increpuit densis exercitus alis.
AVIE. *Cecropias si pastus Apis uicinus ab ipsa.*
Castra inbibet, florumq. simul libamina maestae
Proxima decerpunt. si Treiciae per aperta
Sponte Grues trepidant, nec sese audacius aethrae
Committant, *
* *si soluit aranea casses.*
Tenuia si toto uebit Auster licia caelo,
Mox tempestates, & nubila taetra cientur.
Quid maiora canam * *cinis ipse repente*
Cum coit, albenti nix terras uestit amictu,
Nix operit terras, rutilis ubi lumina pruinis
Summa rubent, erantq. breui caligine crassa,
Interius nebulae, & densa iam fomes in igni
Marcescit, penitus pluuios mox arguet austros.

*

Induit immodicis cum semet floribus ilex.
Et cum flore nouo, cum brachia glande grauantur
Vuentis caeli sibi nutrimenta latenter
Sponte operata docet.
CIC. *Iam uero semper uiridis, semperq. granata*
Lentiscus, triplici solita grandescere fetu
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

*

AVIE. *Ter prorumpentis Scyllae teres erigitur flos,*
Sulcandiq. solum ter monstrat tempus adesse,

*

Sic & crabronum rauca agmina si uolitare
Fine sub Autumni conspexeris aethere longo:
Iam uespertinos primos cum commonet ortus
Vergilias, pelago dices instare procellas:
Siq. sues lentae, si lanae sedula nutrix,
Si Capra dumosis errans in saltibus ultro
In Venerem pergat.
Et tempestates, & nubila protinus atra
Adfore praecipites.

*

* *quin & gaudebit arator,*
Quiq. solum iusti uersabit mensibus anni
Plebe gruum prima: gaudebit tardus arator
Agmine pigrarum, si quadam lege deorum.

*

His comes est imber: si denique terram
Lanigerae fodiant, caput aut tendatur in Arcton,
Cum madidus per marmora turbida condit
Pleiadas occasus, cum brumae in frigora cedit
Frugifer autumnus, ruet aethra concitus imber.
At, si perruptis terrarum dorsa lacunis
Infodiant pecudes:
Suspecti tibi sint imbres. namque urget ab alto VIRG.
Arboribusq. satisq. Notus pecoriq. sinister.
Nix herbas laedet teneras, nix uret aristas. AVIE.

*

At, si contigerit plures ardere cometas,
Inualidas segetes torrebit siccior aer.

*

Contemplator item si longo plurima ponto
Agmina festinant uolucrum, solidamq. frequentes
Succedunt terram: sterilis desaeuiet aestus,
At sitient agri.
Sed si * *producant agmina ab undis*
Nec trepido passim uersent conuexa uolatu,
Laetitia est duris pastoribus, adfore parcos
Praesumunt imbres. Sic in contraria semper
Vota homines agimur, nostriq. cupidine fructus
Poscimus alterius dispendia, denique & ipsa
Sollers natura, & rerum genitalibus ordo.
Certa suis studijs affixit signa futuris.
Namque & ouis cupido si gramina tondeat ore
Insaturata cibi decerpens latius agros,
Pastor indicium pluuialis frigoris edet.
Et si perfultans aries lasciuius herbas
Appetit, aut sese sustollant saltibus haedi:
Vel si inge gregi cupiant haerere, nec usquam
Matribus abscedant, & si sine fine, modoq.
Pabula delibent, cum tutas uespera dire
Compellat caulas: monstrabunt adfore nimbos.

*

Bubus arator item trahit atro signa procellae.
Lambere si lingua prima bos uestigia forte
Viderit, aut dextrum prosternere corpus in armum

*

Vel si prolixis auras mugitibus implent
Pascua linquentes uix uespere:

*

* *dat capra moti*
Rursum signa poli, cum spinis ilicis atrae
Multa inhiat. docet haec eadem sus horrida coeno
Gurgitis illuuie si saepius inuoluatur.
Martius ipse lupus uillarum proxima oberrans
Affectansq. locos hominum, lectumq. laremq.
Sponte petens, crasso consurgere nubila caelo
Praemonet: *

* *id parui cum strident denique Mures*
Cum gestire solo, cum ludere forte uidentur
Portendunt, tibimet canis in praesentia ultra
Tellurem fodiens. tamen haec tamen omnia rerum
Adfore; uel primo nimbis mox Sole docebunt:
Vel cum curriculis lux ibit coepta secundis.

Tertius

Tertius aut uerso cum uenerit ortus olympo.

*

Non spernenda tibi sint ulla, sed memor uni
Adde aliud semper, si tertia denique signa
Proueniat, firmo uenturum pectore fare,
Et transactorum sollers componere mensum
Signa laborabis, si sic fluxere reperta,
Nequaquam trepidare pudor persuadeat ullos
Astrorum lapsus, astrorum protinus ortus.
Discute, si casus similis, & stella per aethram
Prodidit exacti iam summa crepuscula mensis,
Et surgentis iter primordia conscius artis
Fare sacrae mensum confinia summa duorum
Caeca latent lucis haec semper semet in octo
Inscia lunaris tendunt faeis. Ipse fideli
Perquires studio, & si quid tibi forte repertum
Pluribus indicijs, sollers fulcire memento.

F I N I S.

IN

Q. CICERONIS

DE. PETITIONE

CONSVLATVS

AD. M. TVLLIVM. FRATREM

LIBRVM

VALERII. PALERMI. VERONENSIS

COMMENTARIVS



IO · BAPTISTAE

FOSCARENO

IACOBI . FOSCARENI . EQVITIS ET . D . MARCI . PROCVRATORIS . F.

VALERIVS . PALERMVS

S . P . D .





NSTITVERAM olim, ex quotidianis scholae obseruationibus, commentarium quendam conscribere, in Q. Ciceronis de petitione consulatus libellum. De eoq. eram cum Aldo Mannuccio, quocum mihi uetus intercedit necessitudo, collocutus; cum ille, qui tanta cum laude semper litterarum studiosis fauit, quanta cum omnium admiratione litterarum studia coluit, auctor mihi fuit, ut hunc ipsum iam inchoatum absoluerem, absolutum expolirem, atque ederem. Ego igitur, etsi aliud ab initio cogitaram, doctissimi hominis, mihiq. amicissimi auctoritate permotus, & supremam manum operi addendam, & animum etiam ad editionem applicandum, si cui forte ea res usui futura esset, censui. In ea autem cogitatione, cum illud insuper (ut fit) coepissem deliberare, cui nam potissimum laborem hunc meum, qualiscumque esset, dedicarem; cui & res ipsa per se, & magis etiam cura me missa, conuenire uideretur; sic demum statui: nulli hominum generi, hoc de petitione commentariolum, nostro tempore accommodatius esse posse, quam Venetis. Neque omnibus tamen aeque, sed nobilibus tantum, & reip. administrationem capescentibus. Apud quos, cum Romanae libertatis, dignitatisq. imago cernitur non obscura, tum honores ipsi, ratioq; eorum obtinendorum, non adeo est antiquae dissimilis. Nam, uere ut loquamur, ubi tales, tamq. praeclari magistratus urbani, seu prouinciales, iustis comitijs mandantur, quos operae pretium sit eo studio petere, ac labore, quo petendos docet hic libellus, praeterquam Venetijs? Vbi

tantum nobilitati ſimul, atque induſtriae hominum tribuitur, quantum apud Venetos? Vbi grauioribus de rebus, & saepius diſceptare, & conſilium capere opus eſt, quam in ipſa Venetorum Republica? Vbi crebriora, eaq. grauiora exercentur iudicia, in quibus liceat ingenij uires, & eloquentiae declarare, quam in ea urbe, quae eſt multorum populorum portus, quae columen Italici nominis, quae Chriſtianae reip. decus, & praeſidium? Merito igitur apud quos ſummi mandantur honores, ab ijs potiſſimum eorum adipiſcendorum ratio perdiſcenda, pertractandaq. eſt. Atque haec eſt praecipua cauſſa, cur Veneto tibi, ac Veneta familia nobiliſſima orto, hoc eſſe dicandum opuſculum cenſui. Sed haec eadem cum alijs quam plurimis eſt communis. Illa igitur tibi, & mihi maxime propria; quod hoc, quidquid eſt operae, quod in hoc ipſo opuſculo, tum explanando, tum a multis mendis, quibus, quaſi tricis quibuſdam, impeditum tenebatur, expediendo, praeſtitiſti. Id eo potiſſimum tempore me praeſtitiſſe memini, cum, te apud nos ſtudiorum gratia commorante, ego de ſuperiore loco, haec ipſa de petitione praecepta interpretabar. Qua quidem explicatione tu magnopere, (quantum ipſe potui animaduertere) praeter ceteros aequales tuos, delectabaris. Vt non contentus ijs, quae ego diſputando attuliſſem, alia quaerere, de alijs dubitare frequenter ſoleres. Quare non temere utrique noſtrum conuenire credidi, ut, quae ex ingenio noſtro, cum tu aderas, explicationes eſſent depromptae, eaedem etiam abſenti tibi dicatae, in manus hominum peruenirent. Qui enim non probatum iri ſperem librum hunc illi, noſtris additis explanationibus, cui nudum ipſum per ſe ſatis iam placuiſſe cognorim? aut cur non ſit is libenter litterarum monumentis ea commendata tractaturus, quae ſumma olim uoluntate ex ore noſtro profecta excipiebat? Accedit eo, ut, quemadmodum illius temporis memoriam tibi iucundam eſſe, de multis audio, ſic perhonorificum mihi fore ducam, teſtimonium aliquod exſtare, uel mea erga te paternae beneuolentiae, uel tuae erga me (ut ipſe loqueris) obſeruantiae. Cum praeſertim (quod mihi nullo modo contemnendum eſt,) meis me ciuibus gratiſſimum in eo facturum ſciam. Apud quos cum pater tuus uir clariſſimus atque optimus Iacobus Foſcarenus magnificentiſſima praetura functus ſit, anno ille memorabili, cum, Italia fere tota fame laborante, ſumma praetoris uigilantia, integritate, & liberalitate factum eſt, ut ciuitas noſtra ſola propemodum nullos famis morſus ſentiret; tam alte defixa, & in animis omnium impreſſa eſt inſignis illa praetura, ut nemo non libentiſſime eius memoriam uſurpet, nemo non toto pectore amplectatur, & exoſculetur, quidquid ad tanti uiri laudes renouandas, & gratam erga illum, totamq. eius domum uoluntatem animi declarandam pertineat. Quid eſt autem quod propius attingere parentem optimum poſsit, quam filius optimus, animi ſimul, & corporis paterni certiſsima effigies? Ob has igitur tot, tantaſq. cauſſas non imprudenter feciſſe me, qui hunc tuo nomini librum dicarim, mihi facile perſuadeo. Reſtat, ut, quam-

quamquam domi habes, unde discas: disciplinam nempe, & exempla patris sapientissimi; qui unus, uel hoc potissimum scriptorum omnium praecepta superauit, quod, quae alij multo sudore ambientes assequuntur, ille, ultro delata, ac prope inuitus accepit. Veluti cum post praeturam Veronensem, Dalmaticae orae periculosissimo Reip. tempore praepositus est. Vel cum ex ea nondum reuersus, totius classis Imperator, qui Sebastiano Venerio, at cui uiro? qui Sebastiano Venerio (inquam) succederet, est creatus. Vel cum deinde summo cum imperio in Cretam, ut eam Insulam dictator constitueret, missus est. Vel demum, cum ob praestantissima in Remp. merita D. Marci procurator est factus. Aliaq. post alia praeclarissima munera, tibi magis, quam mihi nota, domi forisq. honorificentissime accepit, & administrauit. Restat igitur, id quod dixi, ut, quamquam magistrum tam excellentem, non petendorum solum, sed & gerendorum magistratuum domi habes, quem si eris imitatus, quod facturum te sperant omnes, aberrare numquam posis: haec tamen Q. Ciceronis praecepta, quae, uel ob ipsam antiquitatem, plurimum habere debent auctoritatis, non contemnas. Sed, quod iam consuesti, summo studio complectare; eademq. quantum res patitur, tuae personae accommodes. Quod, si tibi non licet in foro uersari, aut dicendo conciones tenere, (neque enim omnia possumus omnes;) at liceat saltem humaniora studia colere; historias, & ueteres, & recentes tractare, multaq. uolumina tam Latine, quam Etrusce scripta uersare; ex quibus ingentem rerum colligas copiam, quibus te ipsum in omni uita meliorem, in consulendo, agendoq. prudentiorem, & in sermone etiam quotidiano instructiorem efficias. Quo multis prodesse, bonam de te spem concitare, & uoluntates hominum allicere facile posis. Sic igitur facies; &, cum de petendis magistratibus cogitabis, illud prae omnibus praeceptum Plauti in ore, atque in animo habeto:

Virtute ambire oportet, non fauitoribus,
Sat habet fauitorum, qui recte facit.

Sed haec hactenus. Tu officium hoc nostrum ab optimo animo, & tui studiosissimo profectum, hilari fronte, ut accipias, & amorem mihi tuum, qua adhuc pietate fecisti, conserues, etiam atque etiam te rogo. Vale.

Veronae, VI. Kal. Octob. ∞ D XXCIII.



IN Q. CICERONIS DE. PETITIONE CONSVLATVS AD. M. TVLLIVM. FRATREM LIBRVM

VALERII. PALERMI. VERONENSIS COMMENTARIVS





NTER *ceteros libros, qui, a Latinis scriptoribus editi, ad manus nostras peruenerunt, non postremum obtinere locum commentarium de petitione consulatus, statuendum est. Siue rem spectemus, siue rationem Latini sermonis. Continet quippe praeclaram* διδασκαλίαν *magistratuum adipiscendorum, quae omnibus, qui in ciuilibus muneribus uersaturi sunt, magno usui esse possit. &, quia de honore illo agit, qui omnium, qui Romae mandarentur, erat maximus; multarum rerum, quae ad Romanam historiam pertinent, notitiam affert non contemnendam. Est uero in primis Latine, & eleganter scriptum, & in illo aequabili genere, quo praecepta traduntur, tam presse, simul & plane, & tanto ordine adhibito, ut nihil purius, nihil dulcius legi possit. Cuius auctoritas esse apud nos non mediocris debet; uel propter tempora, quibus est scriptum; cum ad summum fastigium Latina iam lingua peruenerat: uel propter ipsum scriptorem, qui, quod eloquentissimi hominis frater erat, nihil non perfectum, & dignum domo Ciceronum uidetur emissurus fuisse. Ac uideo esse etiam, qui putent, non a Quincto, sed a Marco hoc opusculum esse conscriptum, & in fratris gratiam Quincti nomine diuulgatum. Quorum opinio, ni fallor, diuinatione potius quadam, quam certa ratione nititur. Ideoq. non est de eo magnopere altercandum. Mihi sane libet credere, huius libelli scriptorem Quinctum fuisse, quem in doctrina percipienda, non solum multum studij a pueritia posuisse testatur Marcus; sed & eundem alias ut poetam commendat, alias summis de rebus disputantem cum doctissimis uiris inducit. ita tamen, ut non uerear, quin a Marco fuerit perpurgatus, & expolitus: de quo eum in ipsius libri calce*

Quinctus rogarat: atque ideo, quasi ex Marci officina profectus, ita accipiendus est. Sed, siue hic, siue ille, siue uterque scripserit, parui refert: illud igitur satis; librum litterarum humaniorum studiosis perutilem fore. Atque, ut magis sit, nostris lucubrationibus, quo ad eius fieri potest, perpurgabitur, illustrabiturque. Sed interim pauca quaedam, tum de scriptore ipso, atque libelli inscriptione, tum de scriptionis genere, & scribentis consilio de more praefari consilium est.

Quinctus igitur Cicero, frater fuit M. Tullij Ciceronis, Quinctus dictus ab ordine nascendi, quod quincto loco esset natus. Fuit disciplina Stoicus, ut in lib. de diuinatione apparet. Fuit poeta, & Tragoedias scripsit, ut lib. 2. & 3. epist. ad ipsum. Romae praeturam adeptus est, & ex praetura in Asiam profectus, eam per triennium administrauit, ut lib. 1. epist. ad eum. Fuit legatus Caesaris in Gallia, & ipsius Ciceronis in Cilicia; ut in epist. fam. Uxorem habuit Pomponiam sororem Attici, ut Nepos in Attici uita. Ex ea filium suscepit natura improbum, ut in ep. ad Att. Natura fuit ualde ad iracundiam propensus, ut ep. 1. ad ipsum. Statura autem parua, unde Scomma Ciceronis in illum de quo Macrobius lib. 2. cap. 3. Saturnalium. In bello ciuili secutus est cum M. Fratre Pompeium, ut ep. 12. lib. ij. ad Atticum. Occisus demum cum filio in proscriptione Triumuirali, ut Plutarch. in uita Ciceronis. Quo tempore quanta apparuerit alterius in alterum pietas, amorque, lege apud Dionem lib. 47.

De petitione consulatus inscribitur, quia, qua ratione petendus sit M. Ciceroni consulatus, ita, ut obtineatur, docet; Consulatus autem, non cuiusuis alius magistratus. nam hic maximus honor in rep. in eoq. maxime laborandum.

Spectat autem hoc praecipue Quinctus, ut quidquid de eo dici possit, breuiter, & per capita quaedam complectatur, ut sic petenti fratri labor minuatur. Nam, quamquam haec praecepta aliqua ex parte, ad alios etiam, qui honores petant, transferri possunt, tamen ad Marcum proprie, & ad eius petitionem, uidentur pertinere, ut in fine libri dicitur.

Genus dicendi in hoc libro est subtile, & acutum, quali in docendo utendum esse dicunt oratores. In quo sit illustris breuitas, & sine magno ornatu, rectae, & acutae sententiae. Quincto autem subtilitatem orationis tribuit Cicero in 2. de orat.

Et, quoniam ad rerum intelligentiam plurimum lucis afferre putatur diuisio, capita quaedam praecipua totius operis nunc proponam. In extremo autem libro singula in suas partes distributa, diligentius in tabula describam. Diuiditur igitur hoc opusculum in Caput, ut sic loquar, Corpus, & Pedes. Idest in exordium, in ipsius rei tractationem, & conclusionem. Exordium illuc usque producitur. CIVITAS QVAE SIT &c. Inde incipiunt praecepta de petitione. Clauditur opus illic, HAEC SVNT &c. Sed de exordio, & clausula, suis locis. Tractatus ipse distinguitur in personam, quae petit; in rem, quae petitur; in locum, ubi petitur. & in singulis fere haec duo spectantur: impedimenta quae obstent, & rem difficiorem faciant; & quae subsidia aduersus impedimenta, ut negotium facilius reddatur, sint paranda.



Q. CICERONIS
DE · PETITIONE
CONSVLATVS
AD · M · FRATREM
LIBER



QVINCTVS.



ETSI tibi omnia suppetunt, quae consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt: tamen ab amore nostro non sum arbitratus alienum, ad te perscribere ea, quae mihi ueniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti. non ut aliquid ex ijs noui adijcerem, sed ut ea, quae in re dispersa, atque infinita uiderentur esse, ratione, & distributione sub uno adspectu ponerentur. Quamquam plurimum natura ualet, tamen uidetur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam uincere.

EXPLANATIO



CVM hic liber suasionem quandam, & consilium contineat, quod uelit Quinctus in petendo consulatu Marcum sequi, uidetur in eo genere scriptus, quod συμβουλευτικὸν a consilio dando, appellant: Atque ideo praecepta, quae ad eam rem faciunt, diligenter sunt obseruata. principia in eo genere breuia esse debent, ut inquit Tullius in Partitionibus, quod non supplex, ut ad iudicem, uenit orator, sed hortator, atque auctor. Hoc breue est. Proponere idem debet, qua mente dicat, quid uelit, quibus de rebus dicturus sit. Id ad amussim est factum. Tota denique oratio simplex, & grauis, & sententijs debet ornatior esse, quam uerbis. neque hoc quidem quisquam in hoc libello desiderat. Praeterea in ipso principio, non solum quo ad breuitatem, sed quo ad reliqua exordij propria munera, mire cum arte consensit scriptor. Si beneuolentiam quaeras; a M. Tullij persona, & sua, & unicuique uidere licet, optime captat. si attentionem: rei utilitas proposita, eam per se parit. Si docilitatem; quae mox subsequetur, breuis diuisio, facillime comparabit.

ETSI *tibi omnia.* } Initium a caussa, cur se ad scribendum contulerit, per ante occupationem. Nam, cum suadere, & dissuadere grauissimae personae sit, ut ait M. Tullius in lib. 2. de orat. & qui consilium suum de maximis rebus apud alterum exponit, sapientiorem se uideatur profiteri eo, apud quem exponit, ideo haec praetexenda est excusatio. Qua utitur ipse Marcus saepe in epist. & praecipue Sulpicius ad Ciceronem lib. 4. fam. Quae in praesentia mihi in mentem uenerunt, decreui breui ad te perscribere. non quod ea te fugere existimem, sed quod forsitan, dolore impeditus, minus ea perspicias. SVPPETVNT. } Abunde adsunt. Cic. primo officiorum: Ad largiendum suppetunt copiae. QVAE *consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt.* } Tria ponit, quibus homines periti rerum fiunt, & quorum praesidio nihil non bene possunt administrare. Ingenium, quod a natura habetur. Vsum, qui est ab exercitatione. Diligentiam, qua utrumque perficitur. Quae conuenire uidentur cum tribus illis, quae ad inueniendum in dicendo oratori esse necessaria, dicebat M. Antonius lib. 2. de orat. Acumen nimirum, artem, & diligentiam. sic tamen, ut intelligamus pro arte, quae in dicendi ratione certa est, hic substitutum esse usum, qui in ciuilibus muneribus, in quibus ars non est, uim artis habet. INGENIO *& usu.* } Cicero ep. 16. lib. 13. Valet ingenio, habet usum. Ingenium, & diligentiam, in orat. pro P. Quinctio. Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam

 compaiaui.

comparaui. Vltimo loco ponitur diligentia. Nam in 2. de orat. ea una uirtute, omnes uirtutes reliquas contineri, & ipsum ingenium diligentia incitari, dicit. CONSEQVI *ingenio, aut usu homines.* § M. Antonius Muretus, uir omni nostra laudatione maior, τὸ Homines, ab omnibus antiquis libris abesse asserebat, ideoq. ab indoctis inculcatum, & uerbum Consequi παθητικῶς positum esse arbitrabatur, in suis in Propertium scholijs. Nos, ut nonnulla ex huiusmodi uerbis, aliqua in parte, aliquando, significatione passiua inueniri non negamus; ita in tribus codicibus scriptis, quos habemus, Homines, esse affirmamus; aures uero nostrae etiam id exigunt, quod sine eo nescio quid curtum sentiant. TAMEN *ab amore nostro non sum arbitratus alienum.* § In libris scriptis omissa praepositione Ab, legitur, Tamen amore nostro. id etsi parui refert, & utrumque Latine dicitur, tamen non est omnino negligendum: quod apud M. Ciceronem sine praepositione saepissime alienum, in hac significatione inuenias, ut epist. 17. lib. 6. fam. Facisq. nihil alienum necessitudine nostra. & 27. lib. 11. Quidquam a me commissum, quod esset alienum nostra amicitia. AD *te perscribere.* § Male in non nullis Praescribere. Legendum est enim Perscribere. sic in fine, Ad te perscripta mittere. NON *ut aliquid ex ijs noui adijcerem.* § Ad ea, quae tibi suppetunt adderem. SED, *ut ea, quae in re, dispersa, atque infinita uiderentur esse.* § Suspendenda est lectio ad illud In re, deinde addendum Dispersa, atque &c. Dispersa, quo ad ordinem; infinita, ad numerum. Ad quae respondent duo sequentia; Ratio, & distributio. Quae enim infinita sunt, ratione ad certum numerum rediguntur; Quae dispersa, distributione ad suas quaeque partes referuntur. Sic in prima agraria: Quae totius rei ratio, atque descriptio. Ratione; id est arte, inuenientur, quaecumque erunt potissimum in petitione obseruanda: distributione, disponentur eadem ad uaria hominum genera, cum quibus erit agendum. SVB *uno adspectu.* § Ita breuiter comprehensa, ut uno adspectu ea intueri possit. ut lib. 3. de legibus: Quam breui frater in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio? & in fine huius libelli, iterum: Putaui non melius scire me, quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse. QVAMQVAM *plurimum natura ualet.* § Occurrit obiectioni, quod nihil praecepta ualeant, nisi adiuuante natura, ut Quinctil. lib. primo. Haec prima igitur, inquit, in omni re, quam agas, certe requiritur. Nihil enim decet inuita (ut aiunt) Minerua, id est aduersante, & repugnante natura. Plurimum natura ualet, si quis habeat a natura ea, quae petitori bono conueniunt, praecipue blanditiam, & uarium ingenium, quod sit ad tantam motum, sermonum, ac uoluntatum uarietatem accommodatum, ut dicit infra. TAMEN *uidetur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam uincere.* § Si quis haec iam dicta non habeat, ut ipse met Cicero, de quo infra. Quod natura non habes, induc in animum, ita simulandum esse, ut natura facere uideare. Item illud difficilius, & magis ad tempus, quam ad naturam accommodatum tuam. IN *paucorum mensium.* § Bene, Paucorum. Nam ait Publius in Mimis: Ficta ad naturam cito redierint suam. & Seneca, Nemo potest personam diu ferre, de Clem. cap. 1. Horatius etiam in epist. Naturam expellas furca; tamen usque recurret. PAVCORVM *mensium.* § Vnius anni, sed sic loquitur. διεξυθετισμὸν, per extenuationem. Nam initium prensandi facere se uelle dixit, ad XVI. Kal. Sext. cum petiturus esset comitijs consularibus sequentis anni, quae mense Quinctili fere habebantur. epist. prima ad Att. Sic Ad cogitationem consulatus bimestris dicitur lib. 10. epist. Fam. cum quinque mensium spatium esset.

QVINCTVS

CIVITAS quae sit cogita, quid petas, qui sis. Prope quotidie ad forum tibi descendenti meditatum hoc sit, Nouus sum, consulatum peto, Roma est. Nominis nouitatem dicendi gloria maxime subleuabis, semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non potest qui dignus habetur patronus consularium, indignus consulatu putari. Quamobrem, quoniam ab hac laude proficisceris, & quidquid es, ex hoc es; ita paratus ad dicendum uenito, quasi in singulis caussis iudicium de omni ingenio futurum sit. Eius facultatis adiumenta, quae tibi scio esse seposita, ut parata, ac prompta sint cura, & saepe quae de Demosthenis studio, & exercitatione scripsit Demetrius recordare.

EXPLANATIO

CIVITAS *quae sit,* § Breuis, & absoluta diuisio, propositionem continens totius de petitione commentarij; nimirum, locum, rem, personam; id est qui, quid, & ubi petat. a quibus ceu a tribus fontibus manat, quidquid de toto hoc genere traditurus est. PROPE *quotidie ad forum tibi descendenti.* § Eandem propositionem repetit, & interpretatur, ut, quantam uim habeat, penitus intelligat. Quod enim dixit Cogita; nunc dicit quoties, quando, & quantum. Nempe quotidie, descendenti ad forum, meditatum sit; Quod dixit qui sis; nunc nouus sum. Quid petas, Consulatum. Ciuitas quae sit, Roma est. & obseruandum non eodem ordine reddidisse haec tria, neque tractasse, quo proposuerat. quod fieri solere non semel animaduertimus. Vt in lib. 1. de Inuent. Considerandum est, inquit, an in ratione, an in scripto sit controuersia. Mox de scripto prius, quam de ratione agit. & in lib. 2. Hic neque facile est, neque necessarium distinguere. Primo loco non necessarium, deinde non facile probat. Atque ipsemet Cicero in eodem lib. praeceperat, ut prima quaeque pars, prout exposita esset in partitione, sic ordine transigeretur. Sed hanc esse figuram usitatam, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuerimus, notauit Seruius in principio libri primi Aeneid. illa figura ysteron proteron dicitur, qua usus est ipse Cicero, in princip. orat. pro Quinctio. AD *forum descen-*

denti tibi. ⸗ Proprie. nam habitauit Cicero in Palatio. Pub. Victor, In regione decima. Forum autem campus est inter Palatinum, Capitolinumq. collem, ut Liuius lib. 1. ex hoc fluxit illud Descendere ad accusandum, quod in foro iudicia exercerentur. De hoc autem epist. 16. libri primi ad Att. Cum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus. MEDITATVM. ⸗ in patiendi significatione, quod frequens est apud M. Tullium. in scriptis codicibus legitur Meditandum hoc sit. & in fine etiam, ubi epilogo utitur, Quotidie ad forum descendenti meditandum hoc esse dixeramus. NOMINIS *nouitatem.* ⸗ Iam incipit praecepta tradere. & primum quidem, quod in eo impedimentum sit maximum proponit, & quomodo ei occurrat. Tum quibus rationibus eam rem faciliorem faciat. Quod igitur maxime obstabat Ciceroni, ipsa erat nominis nouitas. Nam quemadmodum omnes boni semper nobilitati fauent, tum quia utile est reip. Nobiles homines esse dignos maioribus suis, tum quia ualet clarorum hominum, & bene de rep. meritorum memoria, etiam mortuorum, ut est in orat. pro P. Sextio. Sic hominibus nouis fere solebat inuideri. Sallust. in Catilinae de M. Tullij petitione. Antea pleraque nobilitas inuidia aestuabat, & quasi pollui consulatum credebat, si eum, quamuis egregius, homo nouus adeptus foret. Idem in bello Iugur. Consulatum nobilitas inter se per manus tradebat, nouus nemo tam clarus, neque tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore, & quasi pollutus haberetur. DICENDI *gloria maxime.* ⸗ In orat. pro L. Murena. Duae sunt artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis. Vna Imperatoris, altera oratoris boni: per illam Marius, per hanc Cicero, uterque homo nouus emersit. De Mario, Sallust. in Iugurt. De Cicerone, ipsemet in orat. pro Murena: Cum ego tanto interuallo claustra ista nobilitatis refregissem. SEMPER *eares.* ⸗ Cicero in primo de orat. ad Q. Fratrem: Eloquentia in omni libero populo, maximeq. in pacatis, tranquillisq. ciuitatibus, praecipue semper floruit, semperq. dominata est. & in orat. ad M. Brutum: In rep. nostra primas eloquentia tenuit semper, urbanis, pacatisq. rebus. Sed faciunt ad hunc locum uel maxime uerba ex orat. pro L. Murena. Grauis etiam illa est, & plena dignitatis dicendi facultas, quae saepe ualuit in consule deligendo: posse consilio, atque oratione, & senatus, & populi, & eorum, qui res iudicant, mentes permouere. Quaeritur consul, qui dicendo non numquam comprimat tribunicios furores: qui concitatum populum flectat: qui largitioni resistat: Non mirum, si ob hanc facultatem homines saepe etiam non nobiles, consulatum consecuti sunt: praesertim cum haec eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. NON *potest, qui dignus habetur* ⸗ Quoniam uult ut persuasum habeat omnem petitionis spem uiribus eloquentiae niti. Ideo ad uim illius probandum addit argumentum, quod ex coniugatis sumptum uidetur. Propter illas duas uoces, quae sunt eiusdem generis, consulatus, & consularium, qui dignus patronus est consularium, dignus etiam erit consulatu. Vel etiam a minori. Qui tuetur uiros consulares, multo magis tuebitur consulatum. QVAMOBREM, *quoniam ab hac laude proficisceris &c.* ⸗ Quaecunque es assecutus propter unam eloquentiam obtinuisti. in lib. de clar. orat. Et praetor primus, & incredibili populari uoluntate sum factus. Nam cum propter assiduitatem in caussis, & industriam: tum propter exquisitius, & minime uulgare orationis genus, animos hominum ad me, dicendi nouitate conuerteram. QVIDQVID *es, ex hoc es* ⸗ Venusta iteratio, ut illa Marci epist. 11. lib. 2. Quidquid erit, tibi erit. in orat. pro Murena: Praemia mihi tanta, pro hac industria sunt data, quanta antea nemini. ITA *paratus ad dicendum uenito* ⸗ Primum praeceptum, ut quantum maximum potest studium in agendis caussis ponat. In eoque tria facienda dicit. Timendum in singulis caussis. Habenda in promptu quaecumque ad ornandam eloquentiam olim sibi comparauit. Voluenda animo, quae Demosthenes eloquentiae caussa fecisse dicitur. QVASI *in singulis caussis* ⸗ Quasi agatur existimatio, quae de tuo ingenio est. Non erat sane quidquam Ciceroni timendum, in quo, quidquid esset, multo ante, ut ille in Bruto dicit, esse perfectum, & habere maturitatem quandam suam uidebatur; & erat iam aliquot annos, in plurimis caussis, & in principibus patronis uersatus. sed metus prouidentiam docet. Nimis confidens, incautus est. IVDICIVM *de ingenio* ⸗ In primo de orat. quoties dicimus, toties de nobis iudicatur. Diuinat. in Verrem, ut non nullum etiam de suo ingenio iudicium fieri arbitretur. ET *ius facultatis.* ⸗ Oratoriae artis. QVAE *tibi scio esse seposita.* ⸗ Ex longo studio, & exercitatione, quod ipse de se testatur, in Bruto ad finem. & Diuinat. in Verrem. VT *parata, ac prompta* ⸗ Non satis est seponere haec, quibus in dicendo utamur, eadem ipsa usu pertractata habeamus, oportet. & ut in 2. de orat. Genus earum rerum, quae ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debebit. ET *saepe quae de Demosthene* ⸗ Aemulatio alit ingenia. Vt Velleius lib. 1. in animo autem gloriae cupido, qualis fuit Ciceronis, plurimum potest. Atque illius hominis mentio praecipue, cuius stim, quae fuit sine dubio summa, exprimendam sibi statuerat. De studio, & industria Demosthenis lib. 1. de orat. & Val. Max. lib. 8. DEMETRIVS. ⸗ Hic est Demetrius Phalereus, de quo lib. 2. de diuinat. Multi, inquit, naturae uitium meditatione, atque exercitatione, sustulerunt. ut Demosthenem scribit Phalereus, cum Rho dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret.

QVINCTVS

DEINDE & amicorum multitudo, & genera appareant. Habes enim ea, quae noui habuerunt, omnes publicanos, totum fere equestrem ordinem, multa praeterea municipia, multos abs te defensos homines cuiusque ordinis, aliquot collegia. praeterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos, quotidianam amicorum assiduitatem, & frequentiam. Haec, cura, ut teneas commendan-

do, & rogando, & omni ratione efficiendo, ut intelligant, qui debent tua caußa referendae gratiae, & qui nolunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullum fore.

EXPLANATIO

DEINDE *& amicorum multitudo* ꝫ Tribus rationibus putat subleuari posse nouitatem nominis illius. Eloquentia, amicorum multitudine, competitorum uitijs. De prima iam dictum. Nunc de amicorum studio. In hoc uidendum, ut & plurimi, & uarij sint, id est ex omni genere, ex omni ordine, aetate, & gradu. Nec dicit ur sint, sed ut appareant, non modo, quia in petitione, qui uere sunt amici, tum se se ostendant, oportet, operam nauando, sed etiam, quia in ratione ambitus plura ad speciem, quam ad ueritatem comparantur. infra iterum, multitudo eorum, quos tua caussa uenisse appareat. HABES *enim ea.* ꝫ Ideo facile poterunt apparere, quoniam habes, quae desiderantur. QVAE *noui habuerunt.* ꝫ Aliqua cum alijs communia. Aliqua tua propria. OMNES *publicanos, totum fere ordinem equestrem.* ꝫ Coniungit publicanos cum equitibus, quia nulli alij fuerunt publicani, quam equites Romani. Cicero pro Cn. Plancio, Flos equitum Roman. ornamentum ciuitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur. Erant autem publicanorum societates, quae plurimum in rep. poterant. Cic. orat. pro Sextio. Nulla erat Romae societas uectigalium, nullum collegium, aut concilium, quod tum non honorificentissime decreuisset de mea salute. Atque hos fauturos fuisse Ciceroni uerisimile est, cum & ipse equestri loco esset ortus: ut ait in prima agraria. Eosdem etiam fauisse reliquis hominibus nouis, nihil mirum. Nam equites fere, noui erant homines. quippe qui donec equites essent magistratus non caperent; ubi coepissent, equites esse desinerent, & senatores fierent. Nobilitas autem magistratibus curulibus gerendis tantum parabatur. Quae omnia disertissime, & copiosissime tractat Carolus Sigonius in aureis libris de iure Ciuium Romanorum. QVAE *noui habuerunt.* ꝫ Hoc loco non ignoro Lambinum negationem, ante Habuerunt, inserere. Scio etiam Muretum expungere uerbum Habuerunt, & Noui uerbum esse existimare. sed suum cuique, ut aiunt; ego a recepta scriptura non recedo. sententia praesertim non absurda. MVLTA *praeterea municipia.* ꝫ Homines ex municipijs, qui ius ciuitatis habebant, & ad comitia uentitabant. de his etiam infra. MVLTOS *abs te defensos homines.* ꝫ in quorum studio tantum ponebat, ut ijs praecipue fretus, initium petendi fecerit, ut paullo post dicetur. ALIQVOT *collegia.* ꝫ Opificum, artificumq. conuentus intelligit. Qui, ut alij dicunt, a Numa; ut alij, a Seruio Tullio instituti sunt. Erant in ijs descripti ciues, qui ius suffragij ferendi habebant. ut ex Ciceronis orationibus passim colligitur. de ijs, idem numquam satis commendatus Sigonius. Multa praeterea & Paullus Manuccius, in quo nostra tempestate ueteris eloquentiae enituit imago, in suo in orationem pro P. Sextio commentario. Aliquot cum dicit, potius quam omnia, innuit fuisse aliqua collegia honesta, & probata, quae optimus quisque amica habere recte posset; aliqua minus probata, quibus carum esse, nulla esset laus. Quae aliquando legibus, & senat. cons. sublata sunt. Cic. orat. pro Sextio. ut collegia, non modo illa uetera contra senat. cons. restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia noua conscriberentur. & Pedianus in Cornelianam. PRAETEREA *studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos* ꝫ Quales M. Crassus, M. filius Item M. Coelius. Plurimum autem ualuisse in suffragando adolescentulorum studia, & in hoc libro saepe dicetur, & innuitur etiam ep. 6. lib. 2. fam. QVOTIDIANAM *amicorum assiduitatem, & frequentiam* ꝫ Plutarch. in uita Ciceronis singulis diebus non pauciores domum ad Ciceronem adijsse refert, quam qui ob diuitias Crassum, ob militarem gloriam Pompeium salutabant. Qui duo, tum omnium erant maximi, & summa in admiratione apud omnes habebantur. Cura ut teneas dicit, quoniam iam habebat, sic paullo post adolescentes nobiles, elabora, ut habeas, uel ut teneas quos habes. QVI *debent tua caussa* ꝫ Quibus ipse benefeceris. QVI *nolunt* ꝫ A superiori repete. Tua caussa, id est, tui studiosi sunt, etiamsi nihil abs te habeant, nihil tibi debeant. Iam formae illae loquendi, uolo tua caussa, debeo tua caussa, ita sunt frequentes, & necesse non sit, de his aliquem commune facere. Meminerimus tamen, quod docet Pedianus, locutionem non esse plenam, sed subaudiendum, facere. TEMPVS *sibi aliud nullum.* ꝫ Haec eadem sententia bis infra repetitur.

QVINCTVS

ETIAM hoc multum uidetur adiuuare posse nouum hominem, hominum nobilium uoluntas: & maxime consularium: prodest, quorum in locum, ac numerum peruenire uelis, ab his ipsis illo loco, ac numero dignum putari. Hi rogandi omnes sunt diligenter, & ad eos allegandum, persuadendumq. est ijs, nos semper cum optimatibus de rep. sensiße: minime populares fuisse: si quid locuti populariter uidemur, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus; ut eum, qui plurimum poßet, aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non aduersarium. Praeterea adolescentes nobiles elabora ut habeas, uel ut teneas studiosos, quos habes: multum dignitatis afferent. Plurimos habes; perfice ut sciant quantum in his putes esse. si adduxeris, ut ij, qui nolunt, cupiant, plurimum quidem proderunt.

EXPLANATIO

ETIAM *hoc multum uidetur adiuuare posse.* Immo longe plurimum, quia ut supra ex Sallust. retulimus, nobilitas inter se, quasi per manus consulatum tradebat. Et nouos homines illo honore indignos putabat. opponuntur enim noui nobilibus. Cic. pro Mur. Nec mihi umquam minus in Q. Pomp. nouo homine, & fortissimo uero uirtutis esse uisum est, quam in homine nobilissimo M. Aemilio. NOBILIVM *uoluntas.* Voluntatem pro fauore posuit, ut Terent. in prologo Phorm. Voluntas uestra si ad poetam accesserit. MAXIME *consularium.* Quorum maior est dignitas, ut qui consulatum gesserint. PRODEST *quorum in locum, ac numerum peruenire.* Ratio haec uim habet, generalis sententiae, quippe omnibus conuenire potest: nemo enim in eum locum, quem ipse obtinnit, alium se indigniorem peruenire uult, ideoq. quem ipse probat, huic quasi testimonium uirtutis praebet. Quod ualuit ad impellendum C. Octauium, ut hereditatem, & nomen sibi a C. Caesare relictum adire non dubitaret; contra multorum sententiam; cum dictitaret, nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset uisus, semet ipsum uideri indignum. Velleius lib. post. Prodest hoc loco impersonaliter, ut loquimur, positum est. Quomodo apud hunc saepius. Graeci συμφέρει dicunt. id est confert; est uero elegans conduplicatio in repetitione illorum uerborum, locum numerum, loco numero. HI *rogandi omnes sunt diligenter a nobis, & ad eos allegandum.* Amici scilicet summittendi, qui pro nobis rogent. allegare est pro priuata caussa aliquem mittere, quod pro publica legare dicimus. Cicero ep. 10. lib. 15. famil. Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis, me praecipue diligi, & notandum, allegare absolute positum, sine adiunctione personae, quae mittatur, sciunt etiam infra. & Philip. 5. Quemadmodum ad hunc reus alleget? NOS *semper cum optimatibus de rep. sensisse, minime populares fuisse.* Hic in orat. pro Sextio. Duo genera, inquit, semper in hac ciuitate fuerunt eorum, qui uersari in rep. atque in ea se excellentius gerere studuerunt. Quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi, & esse uoluerunt. Qui ea, quae faciebant, quaeq. dicebant, multitudini iucunda esse uolebant, populares: qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur. Haec igitur caussa est, cur ad colligendam nobilium, & consularium gratiam, profiteri eum uult, se optimatem fuisse semper, non popularem. Quod populare nomen in rep. Romana, apud bonos inuisum esset. SI *quid locuti populariter uidemur.* In gratiam populi, contra optimates, ut pro lege Manil., quam promulgatam a trib. pleb. Manilio, suasit aduersus auctoritatem Q. Catuli, & Q. Hortensij. Et in Cornelij defensione, de qua in hoc ipso dicetur. Et bene opponit Locuti, ad Sensisse: nam non tam spectandum quid quisque dicat, quam quo animo dicat. sic infra Multitudo ex eo quod oratione in concionibus popularis fuisti. ID *nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus.* Conciliaremus, fautorem haberemus. Quod orationibus iam dictis facile consequi potuisset, cum in lege Manilij, de bello aduersus Mithridatem Pompeio mandando ageretur. Cornelius autem Pompeij quaestor fuisset. In oratione ipsa pro lege Manilia, aperte dicit, se non eam caussam egisse, ut Pompeij gratiam sibi conciliaret. sed oratorie, non ex rei ueritate dictum est. AVT *amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non aduersarium.* Quamuis enim tum abesset ab urbe Pompeius, potuisset tamen uel litteris, uel ipsa etiam opinione plurimum obesse, uel prodesse. Huic sententiae illa similis uidetur, quae in epist. 9. libri primi fam. est. Rogauit, ut eius dignitatem ne oppugnarem, si nollem, aut non possem tueri. Et aduertendum in hoc uerborum tractu, quam suauiter deflexerit a secunda persona ad primam: & cum ad Fratrem loqueretur, se ipsum quoque admiscuerit, quasi non de Fratre tantum, sed de se quoque ageretur. sic infra, In praetura competitorem habuimus. sic M. Cic. lib. 10. Fam. Gloriae, quam consecuti sumus. PRAETEREA *adolescentes nobiles.* Non idem repetit, quod paullo ante dictum est. Nam illic enumerauit, quae haberet; hic, quae curare debet, ut habeat. aut seruet, si habet. illic de quibusuis adolescentibus, hic praecipue de nobilibus. VT *habeas, uel ut teneas studiosos.* Tale est illud in ep. prima ad Att. Vides in quo cursu sumus, & quam omnes gratias non modo retinendas, uerum etiam acquirendas putemus. PERFICE *ut sciant, quantum in his putes esse.* Quantum spei tibi in illis ponas. SI *adduxeris, ut ij, qui nolunt, cupiant, plurimum quidem proderunt.* Horum uerborum sensus parum efficax, uel, ut dicam, frigidus, & sine ullo acumine uidetur. Quis enim nescit, plurimum conducere rationibus nostris, si, qui antea nobis aduersabatur, mox nostri cupidus fiat, hoc enim significant illa uerba. Qui nolunt cupiant. Quare cum in scripto meo legatur Non uolunt, suspicatus sum, legendum esse Non nolunt. Non nolle autem est, nec magnopere uelle, nec magnopere recusare. ut in 2. de orat. Inuitatus Hannibal ab hospitibus suis, ut Phormionem Peripateticum, si nellet, audiret, cumq. is se non nolle dixisset. Erit enim hic sensus, &, ut puto efficacior: si efficies, ut, qui nunc tibi non aduersantur quidem, sed nec admodum fauent: Mox tuis uerbis adducti, ita incitentur, ut tua caussa cupere uideantur, id erit tibi perutile, aut fortasse legendum uolunt; ut, qui nunc tantum uolunt, etiam cupiant. Plus est in cupiditate, quam in uoluntate, ep. 4. lib. 15. Fam. Huic meae uoluntati, in qua inest aliqua uis desiderij. Atque huc respiciunt illa in fine libri, si nostros ad summum studium beneuolos excitamus.

QVINCTVS

AC *multum etiam nouitatem tuam adiuuat, quod eiusmodi nobiles tecum petunt, ut nemo sit, qui audeat dicere, plus illis nobilitatem, quam tibi uirtutem prodesse oportere. Iam P. Galbam, & L. Cassium,*

ſium, ſummo loco natos, qui eſt, qui petere conſulatum putet? Vides igitur ampliſſimis ex familijs, homines, qui ſine neruis ſint, tibi pares eſſe non poſſe. at Antonius, & Catilina moleſti ſunt; imo homini nouo, induſtrio, innocenti, diſerto, gratioſo apud eos qui res iudicant, optandi competitores, ambo ſicarij, ambo libidinoſi, ambo egentes.

EXPLANATIO

AC *multum etiam nouitatem.* ʒ Tertia ratio, qua ſubleuetur nouitas Ciceronis, eſt competitorum indignitas, de quibus, quid ſcripſerit Aſcon. Pedianus, operae pretium eſt uidere. Ille igitur in commentario orat. in competitores, Sex competitores, inquit, in conſulatus petitione Cicero habuit, duos patricios P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam. quattuor plebeios, ex quibus duos nobiles, C. Antonium M. Antonij oratoris filium, L. Caſſium Longinum; duos, qui tantum non primi ex familijs ſuis magiſtratum adepti erant. Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. ceteri eius competitores, modeſte ſe geſſere, ut ſiq. ſunt Cornificius, & Galba ſobrij, ac ſancti uiri; Sacerdos nulla improbitate notus. Caſſium, qui iners, ac ſtolidus, tum magis, quam improbus uideretur, poſt paucos menſes in coniuratione Catilinae eſſe apparuit, ac cruentiſſimarum ſententiarum fuiſſe auctorem. Itaque hi quattuor pro re iacebant. Ex ijs igitur quattuor tantum nominat Quinctus, nobiles nimirum, de Cornificio, & Licinio, hominibus nouis nullum uerbum. EIVSMODI *nobiles.* ʒ Vno tempore quattuor ipſos nobiles complectitur, ac ſi comparetur omnium nobilitas cum unius Ciceronis uirtute, illam non plus, quam hanc, ualere debere dicit. Deinde ad ſingulos deſcendit, ac de P. Galba, & L. Caſſio addit, non ſolum praeferendos non eſſe Ciceroni, licet ſummo loco nati ſint, uerum mirum etiam eſſe, eos conſulatum audere petere. Quare, quod non nulli τὸ Iam, in Nam, mutare uoluerunt; tamquam rationem reddat, cur illis plus nobilitas, quam Ciceroni uirtus prodeſſe non debeat, mihi non placet, cum haec non ad reddendam rationem magis, quam ad amplificandam, addita ſint. SVMMO *loco natos.* ʒ Erat quidem alter patricius, alter plebeius; Sed erant permultae familiae plebeiae amplae, & honeſtae. QVIS *eſt, qui petere conſulatum putet?* ʒ Galba enim, licet modeſtiſſimus, atque optimus uir eſſet, ut eſt in orat. pro L. Murena, tamen imprudentia uidetur damnari, in prima ep. ad Att. ubi de eius praepropera prenſatione fit mentio; nec multae auctoritatis homo apparet, quod ei prenſanti uulgo negarent. De Caſſio uero iam dictum eſt, ex Aſconio. QVI *ſine neruis ſint.* ʒ Sine uiribus, ſine auctoritate, ſine uirtute; Hic, pro Qui, legendum uidetur, Quod: reddit enim cauſſam. AT *Antonius, & Catilina moleſti ſunt.* ʒ Occupatio. alij ſint ſine neruis, at non tales ſunt Antonius, & Catilina. De ijs idem Aſconius: Catilina, & Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum uita eſſet, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem conſulatu deijcerent, adiutoribus uſi firmiſſimis M. Craſſo, & C. Caeſare. IMMO *homini nouo optandi competitores.* ʒ Quia illorum uitiorum comparatione, tuae uirtutes magis apparebunt, & ſic facilius eos ſuperabis, quod contraria inter ſe collata maxime eluceſcant, ut eſt apud Ariſt. lib. 3. Rhet. Hinc etiam paullo poſt dicet meliorem fortunam petitionis Ciceroni datam, quam homini nouo, C. Coelio, nempe propter uitia competitorum. APVD *eos, qui res iudicant.* ʒ Id eſt, apud iudices. ſic loquuntur Latini ſaepe, ep. 14. lib. 8. Fam. Item in prima Philipp. Qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt. In Diuinat. in Verr. Ordo alius ad res iudicandas poſtulatur. INNOCENTI, *diſerto, gratioſo.* ʒ ſic in ſequentibus. Vt forti homini, innocenti, diſerto. GRATIOSVS *porro.* ʒ Ob innocentiam, & eloquentiam. AMBO *ſicarij.* ʒ Infra duas ſicas appellat. AMBO *libidinoſi, ambo egentes.* ʒ Quaſi ex libidine orta ſit eorum egeſtas, & certe apud Plautum, In prologo Trinummi: Inopia luxuriae filia fingitur.

QVINCTVS

EORVM *alterius bona proſcripta uidimus, uocem denique audiuimus iurantis, ſe Romae iudicio aequo cum homine Graeco certare non poſſe; & ex ſenatu eiectum ſcimus. Optima uero cenſorum exiſtimatione, in praetura competitorem habuimus, amico Sabidio, & Panthera, quod ad tabulam, quos poneret, non habebat. Quo tamen in magiſtratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit. In petitione autem conſulatus, caupones omnes hic compilare, per turpiſſimam legationem maluit, quam adeſſe, & populo Romano ſupplicare.*

EXPLANATIO

EORVM *alterius bona proſcripta uidimus* ʒ Hactenus de utriſque coniuncte, nunc ſeparatim de ſingulis. Ac de Antonio prius, cuius aeris alieni magnitudo quanta eſſet, hinc cognoſcimus, Quod eius bona proſcripta dicit. nempe a creditoribus. proſcripta autem, ut uenderentur. Proſcribi enim bona dicuntur, cum fixis publice libellis, uenditio eorum bonorum in diem certam edicitur. ſic lib. 3. off. Proſcribere aedes. debitorum bona proſcribi ſolere docet. Cic. in orat. pro P. Quinctio. Conſiderant, quid, & quantum ſit, alterius bona proſcribere. Atque ad hoc non nihil uidentur facere uerba in orat. Cic. in competitores, ex qua, & ex Pediani in eam commentario, multa ſumenda ſunt, ad multa ex ijs explicanda. Ille igitur de Antonio loquens, ait; Alter pecore omni diuendito, & ſaltibus prope addictis, paſtores retinet, ex quibus ait ſe, cum uelit, ſubito fugitiuorum bellum excitaturum. Et Aſconius antea dixerat, ſenatu motum a cenſoribus Antonium

nium ob has caussas, quod socios diripuisset, quod iudicium recusasset, quod propter aeris alieni magnitudinem, praedia mancipasset, bonaq. sua in potestate non haberet. VOCEM *denique audiuimus iurantis* ❡ Huius loci expositio tota ex iam dicta oratione in toga candida, & Asconio petenda. Cic. Quem clientem habere potest is, (de Antonio loquitur) qui in sua ciuitate cum peregrino negauit, se iudicio aequo certare posse. Ibi Asconius, Antonius multos in Achaia spoliauerat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. Deinde Graeci, quos spoliauerat, eduxerant Antonium in ius, ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat, egit pro Graecis etiam tum adolescentulus C. Caesar, & cum Lucullus, id quod Graeci postulabant, decreuisset, appellauit tribunos Antonius, iurauitq. se ideo appellare, quod aequo iure uti non posset. De hoc etiam Plutarch. in Caesare. Quod igitur dicit Vocem iurantis, intelligimus apud tribunos, apud quos iurare necesse erat ei, qui appellasset, aequo iudicio certare non posse, quasi aut iudicis iniquitate, aut impotentia aduersariorum opprimeretur. Appellabantur autem tribuni pleb. apud Romanos, sicut hodie in Rep. Veneta Aduocatores, quos dicunt Communis, quod eorum potestas magistratuum omnium decretis posset intercedere. Cic. lib. 3. de legibus. Plebes, quos pro se, contra uim auxilij ergo decem creassit, tribuni eius sunto, quodq. ij prohibessint, quodq. plebem rogassint, ratum esto. De huiusmodi tribunorum appellatione, habes etiam in orat. pro P. Quinctio. Appellantur tribuni, a quibus cum esset certum auxilium petitum. Itemq. praetor decernebat, tribuni appellabantur. ET *ex senatu eiectum scimus* ❡ Hoc iam relatum est ex Asconio. Censores hi fuerunt L. Gellius, & Cn. Lentulus, de quibus est in Epitoma Liu. XCVII. Cn. Lentulus, & L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quattuor & sexaginta senatu motis. OPTIMA *uero censorum existimatione in praetura competitorem habuimus* ❡ Apparet haec dicta esse per ironiam. significat enim non meliore fuisse existimatione cum praeturam peteret, quam ante, cum senatu motus est. Quid tamen hoc sit, mihi non constat: hoc certe patet, de eo non satis bene populum existimasse, cum dicat Cic. in orat. in toga candida, se praetorem primum esse factum; Antonium concessione competitorum, & collatione centuriarum, & Ciceronis maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse subiectum. Vbi illud obseruandum, censorum notam non potuisse impedire, quo minus alicuius ratio haberetur in petendis magistratibus. Quod legimus in orat. pro A. Cluentio, ubi refert Cic. C. Getam, cum a L. Metello, & Cn. Domitio censoribus ex senatu eiectus esset, censorem ipsum postea esse factum. Nam censoris iudicium nihil fere damnato affert, nisi ruborem, ut est apud M. Tullium in fragmentis lib. 4. de Rep. AMICO *Sabidio, & Panthera, quod ad tabulam, quos poneret, non habebat.* ❡ Quam tabulam hic intelligat, dubitant aliqui, utrum auctionariam, an argentarij cuiusdam, an suffragatoriam; ego, quia hic neque de bonis auctione uenditis, neque de pecunia accepta, aut expensa, & in tabulas relata agitur, sed de petitione magistratus; de tabula, quae ad comitia pertineat, puto accipiendum. neque tamen tabellam accipio illam, qua in cistam coniecta, suffragium ferebatur, quae uindex libertatis dicitur, in 3. de legibus, sed in qua numerus suffragiorum, quae quisque candidatus tulisset, punctis quibusdam notaretur, quae ipsorum candidatorum amicis, qui ad ea colligenda singulis centurijs praeficiebantur, dabatur, ne quid fraudis in suffragatione admitteretur. Quod pluribus prosequitur Nicolaus Gruchius de com. Rom. lib. 1. ad quod pertinere uidetur Varronis locus lib. 3. cap. 5. de re rustica. Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum, tesserulas conijcientem in loculum; eum ad consulem tractum a fautoribus competitorum. Pauo surgit, quod eius candidati custos dicebatur deprehensus. Amico ergo Sabidio, & Panthera, quorum opera usus est, cum alios non haberet, quos custodes ad tabulam apponeret. in quo notatur, quam inops ab amicis esset Antonius, qui homines de faece populi, quales putamus Sabidium, & Pantheram fuisse, ad hoc munus adhibuit, cum moris esset honestiores propinquos, aut graues amicos adhibere. Cic. ipse in Pisonis comitijs, primus praerogatiuae custos praepositus est, ut in orat. post reditum in senatu. & in ea in Pisonem legimus, cum lex de reuocando Cicerone ferretur, honoris caussa senatores ipsos rogatores, diribitores, custodes, fuisse tabularum. Atque ij priuato nomine uidentur praefuisse. Nam illi, qui Nongenti uocabantur, publice praepositi sunt ad custodiendas cistas suffragiorum in comitijs de quibus Plinius lib. 33. cap. 2. QVO *tamen in magistratu amicam* ❡ Notauit egestatem, & amicorum inopiam, nunc libidinem, & impudentiam. Quod in magistratu, in quo decet esse continentem, amicam emerit, quod domi palam habuerit, nulla habita pudoris ratione. DE *machinis emit* ❡ Hic locus torsit multos, quod alibi, quid sit de machinis emere non legamr. Ideoq. alij idem ualere putant, quod de lapide emere. Alij eminentiorem quendam locum, ubi res uenales exponerentur. mihi in hac ambiguitate uenit in mentem suspicari corruptum esse locum, & pro Machinis legendum Drachmis. Illud uero De numeri notam esse, ut C.L. uel D. quae significet, uel centum quinquaginta, uel quingentas drachmas, quibus empta sit illa mulier, ut ex pretij uilitate personae condicio habeatur. ut facit Thraso Terentianus de ancilla Thaidi dono a riuali missa. Hic sunt tres minae. est uero drachma centesima pars minae, ut obseruat Budaeus, ideoque pro parui ualoris nummo ponitur, ut in fine lib. 1. de Diuinat. Quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmas ipsi petunt. & Terent. in Andria. Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem, ut fortasse hic etiam decem drachmis legi possit; sed, ut ut sit, satis est meam me suspicionem indicasse, quam confirmet locus Horat. sat. 7. lib. 2. Vbi de seruo ait, stultior ipso Quingentis empto drachmis deprenderis. IN *petitione autem consulatus caupones omnes hic compilare.* ❡ Pertinent haec ad Antonium, item ut superiora, non ad Catilinam, ut aliqui arbitrantur, quoniam de Catilina mox agere ibi incipiet. Alter uero Dij boni. Obijcit uero hoc loco Antonio, cum negligentiam in petendo, quod obire legationem tum uoluerit, cum petendum esset; tum ingluuiem, & rapacitatem. quippe, qui in ea legatione cauponum, ad quos diuerterat, bona compilarit, ac diripuerit, dum sibi, ut populi Rom. legato, quae uellet, sine suo sumptu iuberet subministrari. Sed est in hac tota sententia,

quod

quod negotium facessat? Hic, quod neque aduerbium dicere possumus, cum opponatur uerbo illi, Adesse, & ideo contrarium aliquid significare debeat: neque pronomen, quia neque Antonij nomen referre opus est, quod per se satis intelligitur, neque Catilinae, de quo non hic, sed paulo post agitur, itaque aut, ut sine caussa intrusum, tollendum, aut, si pronomen aliquod interponendum sit, Idem potius, quam Hic, admittendum. PER *turpissimam legationem.* } Munus legationis per se non est turpe. ipse etiam Cic. petitionis suae anno, qui fuit idem, qui & Antonij, se ad Pisonem excurrere legatum uelle dixit, epist. 1. lib. 1. ad Att. legatione nimirum libera. at eadem res diuersis de caussis suscepta, modo turpis, modo honesta uideri potest. Turpissima igitur Antonij legatio, uel quia non aliam ob caussam, nisi ut caupones compilaret, eam suscepit. Legatis enim, & magistratibus P. R. procul ab Vrbe proficiscentibus, quaedam publice praebebantur, ab ijs, qui parochi dicebantur, ut apud Horat. sat. 5. lib. 1. uel quia turpissime obita fit. orat. pro Fonteio, legationibus flagitiose obitis.

QVINCTVS

ALTER *uero, dij boni, quo splendore est? Primum nobilitate eadem, qua Catilina. Num maiore? non, sed uirtute. Quamobrem, qui inanius umbram suam metuit, hunc negliges quidem, natum in patris egestate, educatum in sororis stupris, corroboratum in caede ciuium. Cuius primus ad remp. aditus in equitibus Rom. occidendis fuit. Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum, ac Vanniorum, ac Tanusiorum capita demebant, Sulla unum Catilinam praefecerat, in quibus ille hominem optimum Q. Caecilium, sororis suae uirum, equitem Rom. nullarum partium, cum semper natura, tum etiam aetate iam quietum suis manibus occidit.*

EXPLANATIO

ALTER *uero, dij boni.* } Haec de Catilina dici, libris omnibus, quos uidi, & hominibus etiam, quos esse aliquos scio, inuitis contendo. Nam cum ambos simul proposuerit, & mox dicturus de singulis coeperit, Eorum alterius &c. atque ea dixerit, quae omnia in Antonium conueniant, necesse est, ut, cum iam ad alterum transeat, haec omnimode de Catilina scripta sint, cum praesertim ea dicat, quae ab ipso Catilina facta plane constat. Et licet nominatur in ijs uerbis Catilina, tamquam comparetur cum illo altero, de quo uidetur sermo institutus: tamen non dubito, quin ex hoc loco eijcienda sit uox illa, Catilina, & pro ea, admittenda Antonius. Videtur enim irrepsisse in textum errore librarij, qui uiderat adscriptum in margine, Catilina, ut indicaret hic de Catilina agi. Nam & simile mendum notatum est in ep. 32. lib. 7. Fam. Vbi per Antonij personam disputatum esse dicit de ridiculis, cum Iulius, non Antonius, de ridiculis disputauerit, in 2. de orat. ALTER *uero, dij boni.* } Similis exclamatio in orat. pro P. Sextio ubi de Gabinio agit. Alter, o dij boni, quam taeter &c. QVO *splendore.* } qua dignitate, quo honoris gradu. Splendor autem complectitur nobilitatem, opes, uirtutem. PRIMVM *nobilitate eadem, qua Catilina.* } Qua C. Antonius, legendum putat Paullus Mannuccius. aliter enim Catilina cum Catilina comparabitur. de quo sermonem esse, indicant uerba subsequentia. Vel igitur, Qua C. Antonius, legendum putat; uel abundare credit, Qua Catilina. PRIMVM *nobilitate eadem, qua Antonius.* } Haec ironice dicta sunt. non enim confert re uera generis nobilitatem, sed, dum agere de ea uidetur, innuit procul dubio eos esse, ut ad extremum dicet, non tam genere insignes, quam uitijs nobiles. NVM *maiore? non, sed uirtute.* } Si quis attente cogitet, non dubito, quin uideat, otiosam esse hanc interrogationem, Num maiore? si ad nobilitatem referas, quam in utroque iam parem dixit. Quid ergo? uideor mihi propemodum coniectura attingere, ut hic aliquid desit. nam cum his non minus egestatem obijciat, quam pleraque grauissima uitia, atque ideo antea ambos sicarios, ambos libidinosos, ambos egentes appellarit; hic in commemoranda (licet per ironiam) nobilitate, & uirtute, non erant omittendae diuitiae, quarum opportune fiet mentio, si legamus Non maiore re? fuit autem uenustum incrementum, ut primum dicat, Catilinam nobilitate parem Antonio; mox quaerat num opibus sit superior; & per subiectionem respondendo neget; demum addat, uirtute illum superare, nempe flagitijs, audacia, & crudelitate, in qua Catilinam Antonio praestitisse apparet. Fuit uero procliue scriptoribus omittere illud Re, quae erat syllaba eadem, cum praecedentis uerbi postrema. Neque non alibi saepe hoc modo peccatum est. Nam quod attinet ad uerba, Maiore re, pro maioribus opibus, recte dici nemo nescit, qui nouit, quid sit Rem facere, Rem augere, & illud in Catone maiore, Vir haud magna cum re. QVAMOBREM *qui inanius umbram suam metuit, hunc negliges quidem.* } Collector prouerbiorum Vmbram suam metuere dicit, prouerbialiter esse, pueriliter trepidare, ubi nihil omnino sit periculi. mox, id quod omnes uident, locum deprauatum esse ait, & corrigit, Quamobrem, qui manium umbram suam metuit &c. Intelligitq. Catilinam ita expauescere, ut qui arbitrantur se suos uidere manes. sed longe mihi melior eorum correctio uidetur, qui legunt, Quamobrem C. Antonius umbram suam metuit, hic ne leges quidem: natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corroboratus in caede ciuium. Optime enim cum dixerit Catilinam maiore audacia esse, quam Antonium, subdit, quod sit ad utriusque naturam accommodatum, nempe Antonium timidissimum esse, qualem ante descripsit, cum Romae, cum homine Graeco iudicio certare non ausus sit. Hunc audacissimum, qui ne leges quidem timeat. Quam sententiam non nihil adiuuat scriptus liber, quem mihi Aldus Mannuccius commodauit, iuuenis in benemerendo de optimis studijs, a patris, atque aui uestigijs nequaquam, ut

norunt

norunt iam omnes, recedens, in quo legitur, Natus, Educatus, Corroboratus recto casu, ut conueniat cum eo, Ne leges quidem metuit. accedit & locus Cic. in prima orat. in Catilinam: Tu non solum ad negligendas leges, & quaestiones, uerum etiam ad euertendas, perfringendasq. ualuisti. NATVS *in patris egestate.*§ De egestate Catilinae omnes loquuntur, de patris eius non facile inuenias. Sallust. in Catil. Agitabatur magis, magisq. in dies animus ferox inopia rei familiaris. IN *sororis stupris*. § De sororis stupro, non alibi legi. sororem habuisse mox uidebimus: sed, qui libidinis caussa filium non dubitabit occidere, ne a sororis quidem concubitu abstinebit. hinc Cic. orat. 2. in illum: Quae caedes per hosce annos sine Catilina facta est? Quod nefarium stuprum non per illam? & in orat. in toga candida: Stupris se omnibus, ac flagitijs contaminauit; caede nefaria cruentauit; diripuit socios, leges, quaestiones, iudicia uiolauit. CORROBORATVS *in caede.*§ Hoc probant ea, quae subsequentur. sed notandum tale incrementum factum in uitijs a Catilina, quale solet in uita hominum a natura esse. primum enim nascimur, mox educamur, tum corroboramur, immo etiam de ipsa arte Cic. in 2. de orat. Quae sunt orta iam in nobis, & procreata educat, atque confirmat. CVIVS *primus ad remp. aditus in equitibus Romanis occidendis fuit.* § Nimirum sub Sulla, in cuius partibus Catilina fuit, equites uero Romani contra Sullam, ut ait Asconius in orat. in toga candida. Ideoq. in ea Cic. A quibus enim petis consulatum? ab equestri ordine, quem trucidasti? NAM *illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum, ac Vanniorum, ac Tanusiorum, capita demebant, Sylla unum Catilinam praefecerat.* § Legimus apud Dionem lib. 37. Catilinam accusatum fuisse, quod proscriptorum multos occidisset, atque in iudicio absolutum. QVOS *meminimus.*§ Nam haec uiginti fere annis, antequam haec scriberentur, acciderant. TITINIORVM.§ Titinij nominantur a Cicerone in lib. 9. ep. ad Att. a T. Liuio lib. 5. VANNIORVM.§ In scriptis est Nauiorum, & Nanniorum. P. Mannuccius in commentarijs ep. ad Att. libri primi, Nanneiorum legit. TANVSIORVM.§ Videndum, num Tantasiorum legendum sit, quandoquidem Asconius inter eos, qui a Catilina occisi sunt, L. Tantasium ponit. IN *quibus ille hominem optimum Q. Caecilium sororis suae uirum equitem Rom.* § Inter alios a Catilinae occisos nominat Asconius etiam Q. Caecilium. ideoq nihil mutandum arbitror, licet in scriptis non uno modo sit scriptum hoc nomen. NVLLARVM *partium cum semper natura, tum.*§ Haec ad augendam facti indignitatem; Nullarum partium, qui nec Sullanos, nec Marianos secutus esset, sicuti M. Tullius ciuem bonarum partium appellat, C. Coelium in orat. pro eo, quod bonis adhaereat. hominem nullarum partium nunc uulgo Neutralem dicimus Ep. 31. lib. x. Famil. Tum uero non liceret mihi nullius partis esse. Cic. huiusmodi homines appellat Otiosos, qui in dissensionibus ciuilibus soli quiescant, ep. 6. lib. 9. Fam. & lib. 11. ad Att. Satis autem constat apud Plutarch. in Sulla, & Vell. lib. poster. in proscriptione Sullana, insontes multos propter priuatas uel inimicitias, uel opes fuisse interfectos. SVIS *manibus.* § Magni odij signum, quod non per alios. sic illud magni amoris: Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido Fecerat. Virg. lib. 4. Paullo post de caede Marij, collum gladio sua dextra secuerit. Item caput sua manu tulerit.

QVINCTVS

QVID ego nunc dicam petere eum tecum consulatum, qui hominem carissimum pop. Rom. M. Marium, inspectante pop. Rom. uirgis per totam urbem ceciderit? ad bustum egerit? ibi omni cruciatu lacerarit? uiuo stanti collum gladio sua dextra secuerit? cum sinistra capillum eius a uertice teneret, caput sua manu tulerit, cum inter digitos eius riui sanguinis fluerent; qui postea cum histrionibus, & cum gladiatoribus ita uixit, ut alteros libidinis, alteros facinoris adiutores haberet. Qui nullum in locum tam sanctum, ac tam religiosum accessit, in quo non, etsi in alijs culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret; qui ex curia Curios, & Annios; ab Atrijs Sapalas, & Caruilios: ex equestri ordine Pompilios, & Cuacos, sibi amicissimos, comparauit. Qui tantum habet audacia, tantum nequitiae, tantum denique in libidine artis, & efficacitatis, ut parentum, prope in gremijs praetextatos liberos constuprarit.

EXPLANATIO

PERGIT in describendis crudelibus Catilinae facinoribus, atque in uno praecipue immoratur. Quod ita oratorie describit, ut oculis paene subijciat. Illud autem est, M. Marij Gratidiani caedes. De qua Plutarch. in Sull. Catilina M. Marium aduersae factionis hominem confodit, & ad Sullam in foro sedentem caput eius attulit. HOMINEM *carissimum pop. Rom.* § De hoc M. Tullius lib. 3. offic. Nemo umquam multitudini fuit carior. omnibus uicis statuae factae sunt. Ad eas thus, & cerei. & in orat. in toga candida. Inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis. Quo igitur erat clarior, eo debuit Catilina esse iniustior. Ideo in eadem orat. ut ostenderet, non esse, cur ille petere consulatum auderet, dixit, A plebe petis? Cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit, ut nemo sine luctu adspicere, sine gemitu recordari posset. VIRGIS *per totam urbem ceciderit*. § Non muto uulgatam lectionem, etsi in scriptis sit Vitibus; ex quo aliqui Vitibus fecerunt. neque tamen ignoro, solitos esse interdum uitibus milites caedi, ut Plin. lib. 14. cap. primo. & Iuuen. sat. 8. Verum hoc non in urbe, sed in castris, neque a quouis ciue, sed a centurione gerebatur. Praeterea uitibus caedebantur, qui ciues erant, minoris ignominiae caussa; ut in epitoma 57. Scipio, quem

militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, uitibus; si extraneus, uirgis cecidit. Quam rationem non erat habiturus Catilina in Mario, quem omnibus modis lacerare studebat. Au *bustum egerit.* ‡ Bustum dicitur locus, in quo mortuus est combustus, & sepultus. Fest. Pomp. Quod igitur Bustum hic intelligimus? Catuli. L. Florus lib. 3. M. Marius ducis ipsius frater, apud Catuli sepulcrum, oculis, manibus, cruribusq. defossis, seruatus aliquandiu, ut per singula membra moreretur. IBI *omni cruciatu lacerarit.* ‡ Seneca lib. 3. cap. 18. de ira, M. Mario, L. Sulla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit, & quasi toties occideret, quoties uulnerabat, paullatim, & per singulos artus laceratit. Quis erat huius imperij minister? quis, nisi Catilina omne facinus in Mario exercens? sic illum ante bustum Q. Catuli carpebat. Val. Max. lib. 9. cap. de crudelitate, & Orosius lib. 5. cap. 21. Liuius in epit. 88. VIVO, *stanti collum gladio sua dextra &c.* ‡ Haec dicuntur per hypotyposin, qua ita res uerbis expressae sunt, ut cerni potius uideantur, quam audiri. Itaque singula uerba ponderanda, nam unicuiq. sua uis inest, neque ab ijs abhorrent ea, quae scripsit Virg. de nece Priami lib. 2. Aeneid. QVI *postea cum histrionibus.* ‡ Nunc de libidine, & nequitia. Histrionia ars turpis apud Romanos, FF. De his qui notantur infamia. Ait Praetor, qui in scenam prodierit, infamis est. & M. Cic. lib. 4. de rep. in fragmentis idem asserit. in orat. etiam pro Roscio Comoedo. Optimo histrione, & uiro, artifex, eiusmodi est, ut solus dignus uideatur, qui eo non accedat. Horum commercio uiri molles, & lascini delectati sunt, ut de Sulla Plutarch. sodalicia cum mimis, mulierculis, citharoedis, scenicis hominibus agitabat. & de M. Antonio Cic. in Philippicis: Quod uero hic de Catilina dicit Q. Cic. eadem fere dicit M. in orat. 2. in eundem. Nemo est in ludo gladiatorio, paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateatur. Nemo in scena leuior, & nequior, qui se non eiusdem prope sodalem fuisse commemoret. QVI *nullum in locum tam sanctum.* ‡ Sallust. Iam pridem adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat cum uirgine nobili, cum sacerdote Vestae, & alia huiusmodi contra ius, fasque. sed huius loci expositio ex orat. in toga candida sumenda est; ad ea uerba, Cum ita uixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non aduentus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret. Ibi Asconius: Fabia uirgo Vestalis caussam incesti dixerat, cum ei Catilina obijceretur, eratq. absoluta haec Fabia, quia soror erat Terentiae Ciceronis, Ideo sic dicit, Etiam si culpa nulla subesset. Ita & suis pepercit, & nihilo leuius inimico summi opprobrij turpitudinem obiecit. TAMEN *ex sua nequitia dedecoris suspicionem &c.* Talis enim erat, & habebatur Catilina, ut & ad quos ille occideret, & qui ad se accederent, ijs ex sua consuetudine turpitudinis notam adspergeret. Hinc Sallust. Scio fuisse non nullos, inquit, qui ita existimarent, iuuentutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse. Sed ex alijs rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama ualebat. QVI *ex curia Curios.* ‡ Haec de comitibus Catilinae, ex omni ordine, & genere collectis, qui omnes, quales fuerint, uno, aut altero posito, intelligi uult. eos uero apertissime descripsit Sallust. Quicumque impudicus, adulter, ganeo, uentre, manu, pene, bona patria dissipauerat, quiq. aes alienum grande conflauerat, quo flagitium, aut facinus redimeret; praeterea omnes undiq. parricidae, sacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes; ad hoc, quos manus, atque lingua periurio, aut ciuili sanguine alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat: hi Catilinae proximi, familiaresq. erant. Per Curios igitur, Annios, & Sapalas, huiusmodi homines accipiendi sunt. & de Curio quidem Ascon. in orat. in compet. Curius hic notissimus fuit aleator, damnatusq. postea est. Sallust. in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitijs, atque facinoribus coopertus, quem senatu censores probri gratia mouerant. Atque hic est, per quem detecta est coniuratio. Quaesiuit autem ornatum ex annominatione, ex curia Curios. ut M. Tul. lib. 1. de leg. Ad Vennonium uenias. ET *Annios.* ‡ Q. Annium significat, quem simul cum Curio ex senatorio ordine, participem fuisse coniurationis Sallust. narrat. AB *Atrus Sapalas, & Caruilios.* ‡ Atria haec sunt loca, in quibus bona obaeratorum diuendebantur, quae ob id auctionaria dicta sunt. Cic. prima orat. in Rullum: Hoc etiam nequissimi homines consumptis patrimonijs faciunt, ut in Atrijs auctionarijs, potiusquam in Triuijs, aut in compitis auctionentur. Per hos ergo putamus intelligi homines egentes, quorum bona in ijs Atrijs uenijssent, aut qui uide aliquod officium in ijsdem exercuissent. ut praeconium, aut quid tale. Cic. orat. pro P. Quinctio: Tollitur ab Atrijs Licinijs, atque e praeconum consessu Naeuius. SAPALAS. ‡ In uno scripto est Existapalas, omnino nomen ignotum. EX *equestri ordine Pompilios, & Cnaeos.* ‡ Hi, qui fuerint, ignoramus, in uoce Cneios, aliqua uarietas est in scriptis. sed uideo placere doctis Cnaeos, qui etiam obseruarunt Cnaeos, Gentem a praenomine Cnaeo deductam. COMPARARIT ‡ Aldi codex scriptus, Comparauit, Quod probo. QVI *tantam habet audaciae.* ‡ Dictum est antea de Catilinae libidine, sed seruauit in extremo factum in re Venerea tam audax, quam nefandum, quod hyperbolice uidetur augere, sed ita, ut non longe absit a ueritate, si Catonis in illum declamatio legatur, qui eius domum, sacrarium libidinum, appellauit. Nam quod in parentum gremio stupratos liberos dicit, intelligimus ipsis parentibus (pro pudor) consentientibus; uel quod & ipsi ex Catilinae gregibus essent; uel quod ab eius uafro ingenio, ut multi boni decepti, filios domum eius frequentare non prohiberent. Atque ideo dixisse puto, tantum artis, & efficacitatis habere. EFFICACITAS. ‡ Verbum rarum, sed tantam uim sono ipso habens, quantum re significat, uerba autem materiae modo cernenda sunt. Quinct. lib. 8. PRAETEXTATOS. ‡ Impuberes, qui toga praetexta utebantur, usque ad decimum septimum aetatis annum, cum sumebant puram togam. Cic. de amicitia, Summi puerorum amores, saepe una cum praetexta, sumpta toga, deponuntur. CONSTVPRARIT. ‡ satis erat dicere stuprarit, sed & sonum, & rem illud conauget, ut in Consceleratus, Contrucidare. ac uideo hunc scriptorem uerbis ita compositis delectatum, ut infra, Concerno, Commonendo, Concelebrare.

QVINCTVS

QVID ego nunc tibi de Africa, quid de testium dictis scribam? nota sunt. & tu ea saepius legito. sed tamen hoc mihi non praetermittendum uidetur, quod primum tam egens ex eo iudicio discessit, quam quidam iudices eius, ante illud iudicium fuerunt; deinde tam inuidiosus, ut aliud in eum iudicium quotidie flagitetis. Hic se sic habet, ut magis timeat, etiam si quieuerit, quam ut contemnat, si quid commouerit.

EXPLANATIO

DE Africae administratione, & de illius accusatione, haec habentur apud Asconium. Catilina ex praetura Africam prouinciam obtinuit, quam cum grauiter uexasset, legati Afri in senatu, iam tum absente illo, questi sunt, multaeq. graues sententiae, in senatu de eo dictae sunt. Deinde cum redijsset ex Africa, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceronis fuit. Sed eo iudicio absolutus est, infamia iudicium. Vt & Clodius infamis fuerit, quippe qui praeuaricatus est. Nam & reiectio iudicum ad arbitrium rei uidebatur esse facta. De hoc in orat. pro M. Coelio: Fuit assiduus mecum praetore me, non nouerat Catilinam, Africam tum praetor ille obtinebat, secutus est annus; caussam de pecunijs repetundis Catilina dixit. Sall. Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit. in orat. de harusp. responsis: A Catilina Clodius pecuniam accepit, ut turpissime praeuaricaretur. ET *ea tu saepius legito.* § Vt intelligas ab huiusmodi competitore esse tibi nihil timendum. nam licet absolutus sit, ex testium dictis, qualis sit, apparet. in orat. in toga candida. In iudicijs quanta uis esset, didicit, cum est absolutus; si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est. TAM *egens ex eo iudicio discessit.* § Dum multa ad corrumpendos iudices largitur. sic de Clodio in orat. de haruspicum responsis. Nisi forte tibi ignotum putas, quod te iudices dimiserunt excussum, & exhaustum: Discedere ex iudicio. i. Dimitti a iudicibus. orat. pro P. Quinctio Discedere superiorem. Diuin. in Verr. Discedere cum scelere; & pro A. Caecina Superiorem discedere. Modum esse loquendi Graecum obseruauit P. Victorius Var. lect. lib. 5. cap. 2. QVAM *quidam iudices eius ante illud iudicium.* § Videntur ij iudices fuisse, quales qui Clodium absoluerunt, quos fames magis, quam fama commoueret, ut est lib. 1. ep. 14. ad Atticum. De quibus illic etiam legitur: Maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerarij, ut appellantur, quam aerati. DEINDE *tam inuidiosus.* § Inuisus, quia corrupto iudicio absolutus sit. VT ALIVD, *in eum iudicium.* § Cic. in toga candida. O miser qui non sentias, illo iudicio te non absolutum, uerum ad aliquod seuerius iudicium, ac maius supplicium reseruatum. Item in Clodium. Erras Clodi, non te iudices urbi, sed carceri reseruarunt. ep. 14. lib. 2. ad Att. VT ALIVD *iudicium.* § Non quidem repetundarum, a quo iam absolutus sit, sed corrupti iudicij. Quo damnari uidentur potuisse & corrupti iudices, & corruptores eorum, & sequestres, & interpretes, & emissarij, ut est apud Ascon. in Diuin. Flagitetur autem, & ardenter, & ab omnibus. HIC *se sic habet ut magis.* § Non timendum est, inquit, ut aliquid commoueat, & consulatum per largitionem adipisci paret. Nam tantum abest, ut contemnat accusationem, si aliquid huiusmodi tentarit; ut timeat, ne accusetur, etiam si nihil egerit. HIC *se sic.* § In non nullis editum uideo, Res se sic habet. quod nec improbo, nec tamen magnam mutandi caussam puto.

QVINCTVS

QVANTO melior tibi fortuna petitionis data est, quam nuper homini nouo C. Coelio? Ille cum duobus hominibus, ita nobilissimis petebat, ut tamen in ijs omnia pluris essent, quam ipsa nobilitas. Summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio, ac diligentia petendi. Tamen eorum alterum, cum deesset alter: Coelius etiam multo esset inferior genere, superior nulla re paene, superauit. Quare, si facis ea, quae tibi natura, & studia, quibus usus es semper, largiuntur: Quae temporis tui ratio desiderat: Quae potes, quae debes, non erit difficile certamen, cum ijs competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes, quam uitijs nobiles. Quis enim reperiri tam improbus ciuis potest, qui uelit uno suffragio duas in remp. sicas distringere? Quoniam igitur, quae subsidia nouitatis haberes, & habere posses, exposui, nunc de magnitudine petitionis dicendum uidetur.

EXPLANATIO

QVANTO *melior tibi fortuna.* § Hoc exemplum eo adductum est, ut rationem petitionis, ob competitorum uitia facilem probet. NVPER. § Ante xxx. annos. appellatur hic C. Coelius Crassi aequalis, & homo ibidem nouus in 1. de orat. ILLE *cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat.* § Erant, inquit, competitores Coelij nobilissimi homines, sed ita, ut non nobilitate sola eorum petitio niteretur, uerum multo magis uirtutibus, ac diligentia. Et tamen superior exstitit Coelius: ex quo uidere licet, quid sperandum sit Ciceroni, qui competitores habeat nobiles quidem, sed uitijs obrutos. IN IIS *omnia pluris essent.* § cetera omnia, praeter nobilitatem, pluris aestimanda essent, quam ipsa nobilitas: Haec autem erant, ingenia, pu-

dor, beneficia &c. BENEFICIA.} In populum collata, propter quae suffragatores propensiores haberent. TAMEN *eorum alterum, cum deesset alter; Coelius etiam cum multo.* } Qui fuerint illi duo, quibuscum Coelius consulatum petierit, quaeri uideo. ego ut de utroque respondere non possum, sic de altero nihil dubito, quin fuerit L. Domitius, qui cum eodem, consul factus est: quem ideo superatum a Coelio dixit, quoniam prior fortasse, consul renunciatus sit. qui locus omnino erat dignior. itaque numquam omittit Cic. dicere, se priorem aedilem, primum praetorem, priorem item consulem factum esse. licet autem suspicari Coelium priorem renunciatum, quod & in fastis Capitolinis, & apud Cassiodorum priore loco ponitur. CVM *deesset alter.* } Hoc quid sit, ignoratur a multis; neque fortasse est adeo obscurum. innuit ex duobus Coelij competitoribus, unum abfuisse, quo tempore sunt lata suffragia. Ideoque non potuit dicere utrumque a Coelio superatum, sed unum tantum, cum alter deesset. Sed hoc uerbum Deesset, non plane satisfacit, nam potius Abesset dicendum fuerat. arbitramur igitur legendum Decesset per syncopen, id est mortuus esset. quomodo correxit in hoc ipso uerbo olim in ep. 20. lib. 5. fam. Paul. Mannuccius: Quod iam depositis rationibus ex prouincia decessemus. & ut est apud Terentium in prologo Heautontim. Seruo currenti in uia decesse populum. Atque hanc correctionem nostram probauit sine dubitatione Adamus Fumanus, uir longe iudicio, & integritate praestans, quem ego honoris caussa nominatum uolo. QVARE *si facies ea.* } Epilogus huius primae partis de subsidijs nouitatis. QVAE *potes, quae debes.* } Ad duo praecedentia uerba respondent. Potes, quia natura, & studia largiuntur. Debes, quia ratio temporis desiderat. Natura, & studia simul iuncta plurimum ualent. ut ep. 31. lib. x. Fi. Natura mea, & studia trahunt me &c. Tempus uero pro necessitate, & praesenti negotio ponitur. sic in prooemio lib. 2. off. Quantum superfuerat amicorum, & reip. temporibus. & in orat. pro Archia: A nullius me umquam tempore, aut commodo, aut otium meum abstraxerit. &c. Et infra, Si hoc tuo tempore non satisfecerint. NON *erit difficile certamen cum iis competitoribus.* } scripti omittunt particulam Cum. QVI *nequaquam sunt tam genere insignes, quam uitijs nobiles.* } Quos quam extollit nobilitas, tam deprimunt uitia: Nobiles uitijs, bene elegit uocabulum medium, Nobile: quo significatur, quidquid in re, uel bona, uel mala ita notum sit, ut excellat. Quare orat. 4. in Verr. dicitur. Facinus nobile: Et lib. 2. off. Nobilitata Phalaridis crudelitas. Itemque nobilis meretrix, nobilis gladiator. QVIS *enim reperiri tam improbus?* } Vix uerisimile putat, ut aliquis eis suffragetur, quos reip. perniciosos fore intelligat. VNO *suffragio.* } Non poterat quis una tabella utrisque suffragari. Nam in suffragijs ferendis, tot tabellae, quot erant candidati, dabantur: Sed idem est, quod unis comitijs, & uno tempore tabellis in cistam coniectis. De quo more Nic. Gruchius de comitijs. DVAS *in remp. sicas distringere.* } Per sicas metonymice, homines sicarios. id est Catilinam, & Antonium intelligit, qui quasi duae sicae essent futuri contra remp. si consules crearentur. Hic autem loquendi modus est etiam apud M. Cic. in orat. in toga candida, Duas uno tempore conantur in remp. sicas distringere. in orat. 3. in Catil. Gladios in remp. districtos retundimus. QVONIAM *igitur quae subsidia.* } Transitio ad secundum huius tractatus caput.

QVINCTVS

CONSVLATVM petis, quo honore nemo est, qui te non dignum arbitretur, sed multi, qui inuideant. Petis enim homo ex equestri loco, summum locum ciuitatis; atque ita summum, ut forti homini, diserto, innocenti, multo ille idem honos plus amplitudinis, quam ceteris afferat. Noli putare eos, qui sunt eo honore usi, non uidere, tu, cum idem sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis. Eos uero, qui, consularibus familijs nati, locum maiorum consecuti non sunt, suspicor tibi, nisi qui admodum te amant, inuidere. Etiam nouos homines praetorios existimo, nisi qui tuo beneficio uincti sunt, nolle abs te, se honore superari. Iam in populo, quam multi inuidi sunt: quam multi consuetudine horum annorum ab honoribus nouis alienati, uenire tibi in mentem certo scio. esse etiam non nullos tibi iratos ex ijs caussis, quas egisti, necesse est. Iam illud tu te circumspicito, quod ad Cn. Pompeij gloriam augendam tanto studio te dedisti, num quos tibi putes ob eam caussam esse amicos. Quamobrem, cum & summum locum ciuitatis petas, & uideas esse studia, quae tibi aduersentur, adhibeas necesse est omnem rationem, & curam, & laborem, & diligentiam.

EXPLANATIO

CONSVLATVM *petis* } cum quadam emphasi hoc dictum est. idem enim ualet, ac si, rem maximam diceret, quam summo etiam labore uix consequi possit. Id quod a Quincto consulto factum est, ut intelligat Cicero, eo maiorem adhibendam diligentiam, quo res difficilior est. augeamus suspicionem, augebimus simul & diligentiam, inquit in orat. pro Marcel. Difficultatem uero duobus praecipue modis ostendit, & ex rei magnitudine, & ex aduersantium studiis. Atque in hac ratione duo genera hominum spectanda illi proponit, aduersarios alios, a quibus caueat; alios amicos, quorum auxilio utatur. De aduersariis primum. Aduersantur alij inuidia impulsi; ut sunt consulares homines; consularibus familiis nati. Noui homines praetorii, quod aegre ferant Ciceronem tantum dignitatis adipisci. Alii etiam ira: Vel horum annorum consuetudine alienati. Vel irati ob alias actas caussas. Vel inimici, quia Pompeium ornet. NEMO *est, qui te non dignum arbitretur, sed multi qui inuideant.* } Simul spem, simul timorem inicit: neque enim potest non sperare, qui scit se dignum putari; neque non timere, qui putat sibi inuideri. quamquam & in ipsa inuidia est te-

stimonium

stimonium uirtutis cuius esse inuidiam comitem dicunt. cum contra ignauis nemo soleat inuidere; ut est apud Plautum in Bacchidibus. PETIS *enim homo ex equestri loco, summum locum ciuitatis*. § Tamquam antitetha ponuntur haec: equestri loco, summum locum. Ac si dicat, petis plus, quam tibi uideatur conuenire: quod non ex summo, summum petas. Ex *equestri loco*. § Cuius pater eques fuerit, ipse in senatum primus lectus sit. lic. 1. orat. in Rull. Quem equestri ortum loco consulem uidet; & quidem solus ex omnibus competitoribus, ut ait Ascon. in argum. orat. in competit. & orat. pro Cn. Plancio. Mihi equitis Romani filio. SVMMVM *locum*. § Idest consulatum. Honorum enim populi finis est consulatus. Vt in orat. pro Cn. Plancio. Infra iterum, summum locum appellat consulatum. ATQVE *ita summum, ut forti*. § Haec est inuidiae caussa. At enim Arist. lib. 2. Rhet. solere homines ei inuidere, qui si uoti compos fuerit, ac bene rem gesserit, ipsi decus suscipient. VT *forti homini, diserto, innocenti*, § Habebit enim, ubi uirtutem suam ostendat, ex sententia Biantis: Magistratus uirum declarabit. NOLI *putare eos, qui sunt eo honore usi, non uidere*. § Etenim honorum gradus summis hominibus, & infimis sunt pares, gloriae dispares, itemque, Est in uirtute multis adscensus, ut is gloria maxime excellat, qui uirtute plurimum praestet. pro Cn. Plancio. TV CVM *idem*. § Idem dixit genere neutro. cum ante Eo honore dixerit, uidebatur ergo dicendum, Eundem. sed Latini saepe sic solent. Terent. in Hecy. act. 3. sc. 1. Tot meas iniurias, quae nullo umquam patefecit loco. Cic. epist. 9. lib. 1. fam. Tota uero interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus; in quo omnia dicta sunt libertate, animoq. maximo. & ep. 8. lib. 2. Nullis in alijs, nisi de reip. sermonibus uersatus sum, quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt. EOS *uero, qui consularibus familijs nati*. § Alterum genus inuidorum, eorum est, qui putant sibi magis, quam Ciceroni, consulatum deberi, quod sint ex parentibus nati, qui ante gesserint consulatum. Versatur autem praecipue inuidia in ijs, quae homines appetunt, & putant conuenire se habere. Arist. lib. 2. Rhet. CONSVLARIBVS *familijs* § In quibus consulatus fuerit. orat. pro Cn. Plancio. Quaesisti utrum mihi putarem equitis R. filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores uiam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari. NISI *qui admodum te amant* § Recte hos excipit. nam, qui amat, laetatur commodis, & condolet incommodis eius, quem amat. ut Arist. lib. 2. Rhet. Inuidus uero contra prorsus facit. ETIAM *nouos homines*. § Caussa inuidiae in ijs est, ipsa honorum contentio. nam, quoniam homines cum competitoribus, & riualibus, & omnino eadem expetentibus, de honore contendunt, fit, ut ijs potissimum inuidere necesse sit. Arist. NOVOS *homines praetorios*. § Quasi dicat, qui tibi pares sunt. nam inter hos etiam uiget inuidia: Cic. 2. de orat. Inuident homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent euolasse. & Arist. lib. 2. ubi de stomach. NISI *qui tuo beneficio iuncti*. § Vt propter beneficia te amare cogantur. Legitur autem, & Iuncti, & Vincti, & utrumque recte. Nisi rectius sit Victi. IAM *in populo*. § Vno uerbo homines obscuros complectitur, qui & ipsi inuideant. Mox de ijs, qui irati esse possint, agit. QVAM *multi consuetudine horum annorum ab honoribus nouis alienati:* § Interpretantur non nulli, ab honoribus nouis, pro ab hominibus nouis, quibus honores darentur. ego ueram lectionem puto esse Ab hominibus nouis. nam & Honores pro hominibus durum est; & pro Hominibus, scribere Honoribus procliue fuit. Quae sit autem horum annorum consuetudo, mihi non est compertum; nisi dicat multos alienatos ab hominibus nouis, propter Marium, nouum hominem, & alios eius generis, qui ciuiles dissensiones excitarunt, & insolenter se gesserunt. & sane homines in diuitijs, & potentia noui insolentiores esse solent. Arist. lib. 2. Rhetoricorum. VENIRE *tibi in mentem certo scio*. § Hic interpungendum, & subsistendum, contra quam in multis codicibus est. Quod cum ita sit, in principio huius sententiae legēdum uidetur, Quam multi inuidi sint. ESSE *etiam non nullos tibi iratos*. § Etsi enim monet Cic. lib. 2. off. ut aduertamus, ne, cum alios iuuare uelimus, alios offendamus, tamen ibidem ostendit, cogi nos interdum, uel inuitos, aliquem offendere. De ijs iterum dicet, cum, quomodo placandi sint, quos laeserit, dum contra eos pro amico diceret, docebit. Quod uero multos laesisset, dicit Dio lib. 38. Plurimos M. Cicero laeserat, nec tantum apud eos, quibus profuerat, fauoris habebat, quantum eorum, quos offenderat, animos a se abalienauerat. IAM *illud tu te circumspicito*. § Tu ipse animaduerte, me etiam nihil dicente. QVOD *ad Cn. Pompeij*. § Praecipue in suadenda lege Manilia, ut sup. TE *dedisti*. § Manuccij liber scriptus, item alter, quem ab homine mihi amicissimo, & praestanti ingenio, & doctrina praedito, Federico Ceruto accepi, Dedidisti, habet. Quod tanto magis placet, quanto plus est Dedere, quam Dare. NVM *quos tibi putes ob eam caussam*. § Ipsemet. Cic. in fine orat. pro L. Manil. Tantum abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quaesisse uidear, ut multas etiam simultates, partim obscuras, partim apertas, intelligam, mihi non necessarias, uobis non inutiles, suscepisse. De ijs uidetur intellexisse ep. 2. lib. 1. ad Att. Summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, aduersarios honori nostro fore. etiam Ascon. Pedianus in arg. orat. in competit. dicit M. Crassum & C. Caesarem adiuuisse Catilinam, & Antonium, ut Ciceronem consulatu deijcerent. NVM *quos tibi putes ob eam caussam esse amicos*. § Lege sine interrogatione, & Amicos pro Inimicos explana, sicut in ep. 5. lib. 1. Fidem pro Perfidia ponit Cic. & Terent. in Andria act. 4. sc. 6. Quam mihi sit facile, atque utile: pro, difficile, & inutile: idq. comicum esse, dicit Donatus. QVAMOBREM *cum & summum locum*. § Epilogus utriusque rei, quae petitionem difficilem faciunt, ut mox tradat, quibus rationibus omnis difficultas euincatur. Nam gratis nihil acquiritur. Epictetus cap. 15. Summam autem se adhibuisse diligentiam in omni munere candidatorio fungendo testatur ipse Marcus ep. 1. ad Atticum.

QVINCTVS

ET petitio magistratuum diuisa est in duarum rationum diligentiam, quarum altera in amicorum studijs, altera in populari uoluntate ponenda est. Amicorum studia, beneficijs, & officijs, & uetustate, facilitate, ac iucunditate naturae parata esse oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quam in cetera uita. Quisquis est enim, qui ostendat aliquid in te uoluntatis, qui colat, qui domum uentitet, is in amicorum numero est habendus. sed tamen, qui sunt amici ex caussa honestiore cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicuius necessitudinis, his earum, & iucundum esse maxime potest. Deinde, ut quisque optimus, ac maxime domesticus, ut is amet, quisque fidelissimum esse te cupiat, ualde elaborandum puto. tum ut tribules, ut uicini, ut clientes, ut denique liberti, postremo etiam seruitus. nam fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus.

EXPLANATIO

ET *petitio magistratuum.* ❡ Hic agere incipit tum de ijs, per quos, tum a quibus adepturus est consulatum. De amicis nimirum, qui non suo suffragio solum, sed & pro eo prensandi opera, illum adiuturi sunt. tum de populi uoluntate, qui suis suffragijs, honorem ipsum demandaturus est. sed hoc posterius. In priori igitur illud seruat, ut alios amicos, quos habeat conseruandos, ac confirmandos dicat, alios comparandos. Atque in eis quidem, quos iam habet, id curandum, ut se ament, carumq. habeant. Tantoq. magis, quo sunt coniunctiores. IN *duarum rationum.* ❡ Hoc nomen Ratio, in hoc libello uarias accipit significationes, quae suo quaeque loco consideranda sunt. sicut in ep.1.& 2. ad Att. Vbi quinquies positum obseruauimus. AMICORVM *studia beneficijs, & officijs.* ❡ Perfecta amicitia, cum multis esse non potest, ut ait Arist. lib.8.de moribus. Cum igitur hic tam multos memoret, quos habere amicos oporteat, non de uera, & perfecta amicitia haec dicta fuerint, sed de uulgari, aut mediocri. quae tamen ipsa etiam delectat, & prodest, ut ait Cic. in Laelio. cognoscitur autem ex eo, quod dicit, parta esse debere haec amicorum studia beneficijs, officijs &c. Nam cum amicitiae tres soleant esse caussae, honestas, iucunditas, utilitas, ut est apud eundem Arist. ea sola uera est amicitia, cuius conciliatrix est uirtus, ut etiam Cic. dicit in Lael. At hic uidetur tangere reliquas duas caussas, utilitatem nimirum, & iucunditatem, propter quas etiam cum malis intercedere solet amicitia, licet huiusmodi amicitia, ex similitudine potius, quam proprie amicitiae dicantur. Idem Arist. lib.8.de moribus. Id quod non ignorauit Quinctus, cum dixit amicorum nomen in petitione latius patere, quam in cetera uita. huiusmodi amicitias Cic. ipse in ep.lib.primi ad Att. Ambitiosas, fucosasq. uocat. Quae sunt in splendore forensi, fructum domesticum non habent. Quod uero de beneficijs, & facilitate dicit, quibus comparantur studia amicorum, scripsit M. Cic. lib.2.offic. Beneuolentiam beneficijs capi maxime, & fama, & opinione earum uirtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. PARTA *esse oportet.* ❡ sic infra: Quamquam partis, & fundatis amicitijs, fretum ac munitum esse oportet. LATIVS, *patet.* ❡ plures complectitur, ad plures se effundit. sic in 5. de finibus. Nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum. QVAM *in cetera uita.* ❡ In qua non est amici nomine ullus appellandus, nisi uarijs modis de eo periculum sit factum; ex quo illud apud Arist. in eodem de moribus. & M.Cic. in Lael. Multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. uide quiddam simile infra: In ceteris molestijs habet hoc tamen petitio commodi, ut possis honeste, quod in cetera uita non queas, quoscumque uelis adiungere ad amicitiam. QVISQVIS *est enim, qui ostendas aliquid.* ❡ Ex signis etiam leuioribus, uult, ut quis amicus dicatur, licet ea ficta esse possint. Quamobrem illum paullo post monebit, ut caueat, ne facile omnibus credat. Atque huiusmodi homines, quos dicit eum colere, aut domum ad illum uentitare, sunt ij, quos deinde, salutatores, deductores, assectatores uocat. SED *tamen, qui sunt amici ex caussa honestiore:* ❡ Paullaum in angustum contrahit amicitiae gradus. Nam primi aliquid tantum uoluntatis ostendunt: secundi uero sunt necessitudine etiam coniuncti: tertio loco ponuntur domestici, & uicini. Primis satis est tribuere, ut amicorum numero habeantur. Alteris curandum, ut iucundi simus. A tertijs petendum, ut nos ament, & honori nostro maxime faueant. AMICI *ex caussa honestiore.* ❡ Amicitia societas est quaedam. Arist. lib.9. de moribus. itaque in omni societate, amicitia aliqua reperitur. Arist.lib.8. Vt igitur uariae sunt societatis caussae hominum inter homines, sic uariae sunt amicitiae. Nam & compotores, & collusores, & uenatores, & philosophi inter se amicos se esse dictitant. Alia igitur, alia honestior. bene ergo dixit honestiore caussa amicos esse, qui propter cognationem, quam qui propter salutationem tantum. SODALITATIS. ❡ Sodalitatis nomen hoc loco, non consuetudinem, aut conuictum quendam uoluptatis caussa significat, sed collegium. ut Iurisconsultus. De collegijs illicitis. Sodales sunt, inquit, qui eiusdem collegij sunt. Sodalitates autem hae uidentur, uel sacrorum, uel alicuius negotiationis caussa constitutae. Vt in eadem lege est. Has in ambitu, & comitijs plurimum ualuisse, in hoc ipso apparebit, cum quattuor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissimorum sibi obligasse Ciceronem dicet. Atque ob id de ijs aliquando lex Licinia lata est, quae de ambitu erat, ut in orat. pro Cn. Plancio. AVT *alicuius necessitudinis.* ❡ Quae uis arcta sanguinis, amicitiae, familiaritatis coniunctio, necessitudo dicitur. Vnde illud fluxit, Quocum mihi omnes necessitudines sunt, ep.12.lib.13.Fam. & in orat. pro P. Sextio: M. Crassus, quocum mihi

erant

erant omnes amicitiae necessitudines. Itaque in orat. pro Q. Ligario, ubi legitur, Haec ego noui, propter communes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone, pro Communes, recte repositum est, Omnes, ut est etiam in meo lib. scripto. HIA *carum, & iucundum esse.* } Amat Cic. haec duo nomina coniungere ad perfectam beneuolentiam exprimendam, ut ep. 9. libri primi ad finem. & ep. 2. & 10. lib. 2. & 10. lib. 3. Fam. ad finem. MAXIMA *potest.* } In scriptis legimus Prodest: nec aliter legendum est, ut supra: Prodest quorum in locum peruenire uelis. DEINDE *ut quisque optimus, ac maxime domesticus.* } Hic complectitur maxime coniunctos, ac caros. Sed, quid optimo cum domestico? Corrigo igitur, & pro Optimo, repono Intimus, quo uerbo ista summa coniunctio significatur, & fere Intimus cum nomine domestico copulatur. ep. prima lib. 3. Est ex meis domesticis, atque intimis familiaribus. ep. prima, lib. primi, Ab intimis, ac domesticis Pompeij. QVISQVE *fidelissimum esse te cupiat.* } Fidelissimum procul dubio corruptum est. Aliqui emendarunt Fidelissimus esse te cupiat. nempe iste domesticus. hoc non placet. Aliqui etiam amplissimum esse te cupiat. hoc melius, nisi malimus. honestissimum esse te cupiat, ut illud ep. 15. lib. 2. Fam. Caesarem honestum esse cupio. TVM *ut tribules.* } Homines ex eadem tribu, a quibus amari laudabile erat, ut summa erat ignominia, in petitione, tribum suam non ferre. Cic. in Vatin. Scias te tribulium tuorum iudicio notatum, nec post Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidisse. & paullo post: Si te uicini, si affines, si tribules, ita oderunt, ut repulsam tuam, triumphum suum duxerint. TVM *ut uicini, ut clientes.* } Si sic legatur, haec pendent a uerbo Cupiat. Sed si expungatur illud, Tum, quod abest a scriptis, subaudiendum est, sunt. Atque illud, Ut, erit expositio intimorum, ac domesticorum. Atque haec planior uidetur lectio. POSTREMO *etiam seruitus.* } Sic habent omnes libri, quos uidi. ueram tamen correctionem puto, Serui tui. Nam Seruitus pro seruis nimis durum. NAM *fere omnis sermo.* } Non fuit omittenda haec ratio, quia absurdum uideri posset, ut in petitione, earum se seruis esse curaret. Est necessarium, inquit, nam serui de dominorum uita, ac moribus, disseminare sermones solent, ex quibus bona, uel mala fama excitatur. A *domesticis emanat auctoribus.* } Quippe quibus maxime creditur, quod omnium optime, nos cognitos habeant, ex quo illud emanauit prouerb. Domesticus testis; de eo, qui facile nosse, & cuius testimonio fides haberi possit. Sic enim uidetur interpretandum, licet de hoc in uarias sententias scriptores discedant.

QVINCTVS

DEINDE *instituendi sunt cuiuscumque generis amici. ad speciem hominis illustris, honore, ac nomine, qui etiam si suffragandi studia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis: ad iustitiam obtinendam magistratus; ex quibus maxime consules, deinde tribuni plebis; ad conficiendam centurias, homines excellenti gratia. Qui tribuent centuriam, ut aliquod abs te beneficium, aut habeant, aut ut habeant sperent, eos prorsus magnopere compara, & confirma. Nam per hos annos homines ambitiosi, uehementer omni studio, atque opere laborarunt, ut possent a tribulibus suis, ea, quae peterent, impetrare. Hos tu homines, quibuscumque rationibus poteris, ut ex animo, atque ut ex illa summa uoluntate tui studiosi sint, laborato.*

EXPLANATIO

DEINDE *instituendi sunt.* } Ad amicos, quos habet, alios, atque alios, ex diuersis hominum generibus, addendos dicit, eosq. uarijs de caussis. Tria igitur hominum genera ponit, quorum alij illustres sunt, licet priuati, alij magistratum gerunt; alij gratia excellunt. Illustres, dignitatem petitori afferunt; magistratus, ne fraus fiat, prouident. Gratiosi centurias conficiunt. haec est loci huius sententia, sed ita erant corrupta uerba, & interpunctiones perturbatae, ut elici commode non posset, nisi in eo ante alij laborassent. AD *speciem, homines illustres.* } Ad ornatum quendam exteriorem comparandum. Sic loquitur M. Cic. tertia Verr. Forum, comitiumq. adornatum, ad speciem magnifico ornatu. Cum his autem consentiunt, illa quae dicuntur ad finem. Tota petitio cura, ut pompae plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis, ut habeat summam speciem, ac dignitatem. HOMINES *illustres.* } Male in omnibus libris, legebatur, Hominis illustris, secundo casu, Illustres honore ac nomine, qui magistratum gesserint. id enim ualet honos; & ex illustri sint familia. nam nomen pro familia saepe accipitur. SVFFRAGANDI *studia non nauant.* } Non enim patitur eorum dignitas, ut pro quibusuis populum rogent, nisi magna caussa urgeat. Vt de Q. Metello Pio consule dicitur, qui praetorijs comitijs petente Q. Calidio, pop. Romano supplicare non dubitauit, ut gratus in illum uideretur, Cuius lege Q. Metellus pater ab exsulio reuocatus esset. Cic. pro Plancio, & Val. Max. lib. 5. cap. 2. AD *iustitiam obtinendam.* } Duriuscule dictum uidetur obtinere iustitiam, in ueteribus libris dicunt aliqui esse, Ad ius obtinendum. id si uerum est, non dubito, quin ita legendum sit; sin secus, idem censeo quod infra dixi, de restituenda gratia. Est autem ad iustitiam obtinendam, Ad impetrandum; ut iuste omnia in comitijs, & suffragijs ferendis agantur, ne quid fraudis fiat, id uero magistratus praestare poterant, & praecipue consules, qui centuriatis comitijs praeerant, & Tribuni etiam pleb. qui intercedendo poterant comitia dirimere. Nicol. Gruchius lib. 2. de comitijs. DEINDE *tribunos plebis.* } Et hic interpungendum est, & legendum Tribuni, nominandi casu, non accusandi. Nam pendent omnia a primo uerbo instituendi sunt magistratus. S. Consules, Tribuni plebis. Tum homines excellenti gratia. AD *conficiendum cen-*

turi as homines excellenti gratia. } Hic desinit tertium membrum, Homines excellenti gratia, hi sunt, quos gratiosos in suffragijs uocat, Cic. ep.6. lib.2. fam. Conficere autem alicui centurias, est, efficere ut centuriae alicui in suffragijs faueant. sic ep. 16. lib. 2. fam. Mitte ad lupum, ut is nobis eas centurias conficiat. QVI *tribuet cenenriam.* } Et hic locus male se habet, nec medium adhuc certum nactus est. Qui tribuet, est in libris uulgatis. in scriptis, Qui abs te tribuniciam, aut centuriam. Corrupte. sed sic emendandum. Qui abs te tribum iam, aut centuriam. item sequentia non uno modo leguntur. sed omnino male. ergo ex scriptis, sic emendari possunt. Aut aliquod beneficium aliud habuerunt; aut ut habeant, sperant, eos &c. Hoc nempe sensu, inter ceteros amicos, hos praecipue compara, & confirma, qui abs te beneficium aliquod acceperint, & in hoc maxime genere, in quo tu eos tibi cupis gratificari, ut, qui in suis petitionibus, olim aut tribum aliquam tributis comitijs, aut centuriam centuriatis, tua opera habuerint. AVT *ut habeant sperant.* } In posterum, si iam ante non habuerint. Nam & paullo post: Et spe reliquorum tuorum officiorum, & recentibus beneficijs &c. Nam cum alijs de caussis; ad suffragandi studium ducuntur homines, Tum his duabus praecipue, beneficio, & spe. ut ipsemet dicet. sed iam omnia subscribam, prout legenda esse puto.

Deinde instituendi sunt cuiuscumque generis amici. Ad speciem homines illustres honore, ac nomine. Qui etiam si suffragandi studia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis. Ad iustitiam obtinendam, Magistratus; ex quibus maxime consules, deinde Tribuni plebis: ad conficiendum centurias, homines excellenti gratia. Qui abs te tribum iam, aut centuriam, aut aliquod beneficium aliud habuerunt, aut ut habeant sperant, eos prorsus magnopere compara, & confirma. NAM *per hos annos homines ambitiosi.* } Ratio quaedam haec est, in qua inest argumentum a minori. si ambitiosi homines, uehementer laborarunt, ut a suis tribulibus impetrarent, quod peterent, quos uerisimile est ultro fauere debuisse. quanto magis laborandum est nobis, ut idem ab alienis hominibus illustribus, & gratiosis obtineamus? Per hos annos, inquit, quibus ambitus maxime ferueret, cum antea idem fieri non soleret. Hocq. significatur in 2. Philip. Vbi est: Cum consulatus petebatur, non rogabatur. VEHEMENTER *omni studio.* } Sic uidetur dictum sine copula, ut illud, Vehementer, Etiam atque etiam. OMNI *studio atque opere.* } Aliquibus uidetur parum Latine dictum, Omni opere laborare. & opera mallent. est omnino usitatius hoc. sed neque illud damnandum, nisi forte male locutum Terentium putamus, cum dixit, Thais maximo te orabat opere, Eunuc. act. 5. sc. 3. & Cic. ep. 7. lib. 13. Fam. Quantoq. opere; Aut aliud esse omni opere seiunctum, quam illa coniuncta, summopere, magnopere. Si quis tamen emendare cupiat opera, aut quod huic par est, ope, per me id faciat, licet Cic. ep. 14. lib. 14. ad Att. Omni ope, atque opera enitar. HOS *tu homines quibuscumque.* } Concludit hanc partem, adiuncta breui cohortaciuncula. In his autem uerbis, si coniungamus hos homines cum uerbo, Laborato, erit modus loquendi non probandus. Aut igitur, Hi tu homines, legendum est. Aut aliquid deest, ueluti Nactus, aut quid simile. ut sit. Hos tu homines nactus. Aut est genus locutionis, quod absolutum dicitur, quo usus est Terent. Cic. Virg. Vide Donatum in scen. 1. act. 3. Hecy. ibi: Nam nos omnes, quibus est alicunde, aliquis obiectus labor, omne, quod est interea tempus, priusquam id resciitum est, lucro est. VT *ex animo, & illa summa uoluntate.* } Non ficte, non segniter agant, & illa, cum emphasi, quae in huiusmodi negotio desideratur. SVMMA *uoluntate.* } Ep. 9. libri primi, umma Suoluntate cessit, & egregia animi alacritate abfuerit.

QVINCTVS

QVOD si satis grati homines essent, haec omnia parata esse debebant, sicut parata esse concerno. Nam hoc biennio, quatenor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti: M. Fundanij, Q. Gallij, C. Cornelij, L. Cornini, & horum in caussis ad te deferendis, quid nam eorum sodales receperint, & confirmarint, scio, nam interfui. Quare hoc tibi faciendum est, ut idem ab ijs, quod debent, exigas; saepe commonendo, rogando, confirmando, curando, ut intelligant, nullum tempus aliud se umquam habituros restituendae gratiae. Profecto homines, & spe reliquorum tuorum officiorum, etiam recentibus beneficijs, ad studium seruandum excitabuntur. Et omnino, quoniam eo genere amicitiarum petitio tua maxime munita est, quod caussarum defensionibus adeptus es. Fac, ut plane ijs omnibus, quos deuinctos tenes, descriptum, ac dispositum suum cuique munus sit. Et, quemadmodum memini, quod nulla in re illis umquam molestus fuisti, sic cura, ut intelligant, omnia te, quae ab illis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reseruasse.

EXPLANATIO

QVOD *si satis grati homines essent.* } Confirmat spem fratris, quod eum munitum uidet ijs amicorum praesidijs, quibus opus est. Tum monet, quid, & quomodo ab uno quoque exigat. HAEC *omnia.* } Scripti, Illa omnia. SI SATIS *grati homines.* } Haec in uniuersum de omnibus hominibus dicuntur. Si uigeret in hominibus, grati animi uirtus. HAEC *iam parata esse debebant.* } Nam, quod ad te attinet, tu ea fecisti, cur ea tibi comparare posses. PARATA *esse concerno.* } Placuit quibusdam mutare Concerno, in Confido. ego a uulgata lectione non recedo, quae est in scriptis. At Concerno non facile inuenias. penes Quinctum sit huius uerbi defensio, nostrum non est mutare, quae scriptoris sunt, sed exponere. Quasi non alia multa huiusmodi uerba apud probatos scriptores habeantur. ne repetam illa, quae iam sunt dicta ad uerbum,

Constu-

constupratit. NAM *hoc biennio quattuor sodalitates.* } Ratio, quod iam sibi illa parauerit. HOC *biennio.* } Ascon. orationem pro Cornelio dictam refert L. Cotta. L. Torquatio cos. post annum, quam superiores, idest post orationes pro Q. Gallio, M. Fundanio habitas. Qui duo anni praecedunt annum petitionis Ciceronis. AD *ambitionem gratiosissimorum.* } Qui in ambiendo plurimum gratia ualent. Ambitio hic, non improbata ambitio est, sed simplex quoddam honorum studium, quod esse in hominibus politicis solet. Cic. de se epist. 15. lib. 1. ad Att. Me ambitio quaedam ad honorum studium duxit. Item ep. 27. lib. 2. fam. Ambitio nostra, & uitae dissimilitudo, non est passa uoluntates nostras conglutinari. M. FVNDANII, *Q. Galli.* } De his orationibus uide fragmenta Ciceronis a Carolo Sigonio Romanae antiquitatis instauratore collecta. De ea pro Cornelio apud eundem Sigonium, & Asconium Pedianum. Anno postquam praetor fuerat Cicero Cornelium defendit. CN. *Cornelii.* } Non Cn. sed C. praenomen fuit Cornelij, & C. est in duobus scriptis. De oratione pro L. Coruino mentionem nullam uidi. Coruinus cognomen gentis Valeriae, Coruus autem primum cognominatus est Valerius ille, qui coruo fauente feliciter aduersus Gallum pugnauit: de quo Liuius lib. 7. Itaque putarunt docti quidam eius etiam posteros cognominandos esse coruos. sed sine caussa. Nam praeter quam quod innumera sunt cognomina apud Romanos, ita inflexa, ut Rufinus, Marcellinus, Longinus, Paetinus, Crispinus, a Rufo, Paeto, Marcello, Longo, Crispo. Fasti ipsi consulares, & Poemae etiam satis docent Coruinos, non coruos dictos esse illos, qui a Valerio Coruo originem duxerunt. Horat. Od. 21. lib. 3. Iuuenal. saty. 1. HORVM *in caussis ad te deferendis.* } Proprie locutus est. defert enim caussam litigator ad patronum. Recipit patronus, qui caussam defendendam suscipit. Deferri etiam dicitur ad praetorem, qui iudicaturus est, ut ep. 58. lib. XIII. fam. RECIPERINT, *& confirmarint.* } Vt Recipere plus est, quam promittere, prout apparet ep. 8. lib. 5. fam. ubi est, Tibi promitto, ac recipio. & epist. 10. lib. 13. sic uidebitur plus Confirmare, quam Recipere. tamen Cic. ep. 12. lib. 6. & 28. lib. 13. diuerso ordine posuit, Confirmauit, atque recepit. SCIO, *nam interfui.* } Optima ratio ad faciendam fidem. ut illa ep. 18. lib. 10. Ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus interfuerunt. QVARE *hoc tibi faciendum est.* } commonitio. QVOD *debent, exigas.* } Exigas, quia debent. Infra, Debent, quia tu defendisti, illi promiserunt. Ep. 1. ad Att. Illi ita uulgo negant, ut mihi se debere dicant. SAEPE *commonendo, rogando.* } Vide diligentis hominis officium. CONFIRMANDO. } In eo, quod promiserunt. CVRANDO *ut intelligant.* } haec est sententia, quam supra iterum uidimus, & paullo post etiam habetur. HABITVROS *restituendae gratiae.* } Video in non nullis impressis libris pro Restituendae, positum Referendae. quod si ex antiquis codicibus sumptum est, admittendum censeo; sin certo alicuius iudicio inuectum, restituendum in suum locum, Restituendae; non quin usitatius illud sit, sed quia standum est magis scriptoris iudicio, quam nostro, qui fortasse uariandi caussa hanc formam dicendi innouauit; cum illa satis nota essent Referre, Reddere, Rependere. PROFECTO *homines, & spe reliquorum officiorum tuorum.* } Nam Publius Mimographus inquit, Beneficia plura recipit, qui scit reddere. ETIAM *recentibus.* } Etiam in omnibus legitur, sed illud, Et, quod est in membro praecedenti, exigit alterum, Et. quod quia unius tantum uirgulae superadiectione mutari in Etiam potuit, suspicor, potius Et quam Etiam legendum. RECENTIBVS *beneficijs.* } Monet hic locus, ut obseruemus aliud esse Officium, aliud Beneficium. Officium eius uidetur, qui antea obligatus, referendae gratiae caussa aliquid agit. Beneficium eius, qui benefaciendo alterum sibi deuincit. Haec differentia uidetur obseruata in ep. 7. lib. 1. famil. Nostra defensio dignitatis tuae, propter magnitudinem beneficij tui, fortasse plerisque officij maiorem auctoritatem habere uideatur, quam sententiae. Itidem ep. 23. lib. 10. Opto, ut mihi liceat, iam praesenti pietate meorum officiorum, tua beneficia tibi facere iucundiora. & separatim de utroque. ep. 5. lib. 5. ego si abs te summa officia desiderem, & 7. lib. 13. Homines honestissimos summo beneficio, in perpetuum tibi, tuisq. deuinxeris. Eadem etiam differentia supra agnoscitur, ubi de amicorum studijs agere incipit. AD STVDIVM *seruandum exercitabantur.* } Non audeo, quod quidam faciunt, temere receptam lectionem mutare. Seruare studium, non uidetur hoc loco improprie dictum. imo maxime conuenire, quia de illis loquitur, qui ante receperant se illi esse fauturos. est igitur tamquam Seruare fidem, & Seruare promissum; quare nescio, cur in mentem alicui ueniat legere Nauandum studium. EXCITABVNTVR. } Vt infra: Ad summum studium beneuolos excitamus. ET *omnino, quoniam eo genere amicitiarum.* } Nihil non aequum praecipio, nihil non antea prouisum, accessisti ad petendum, fretus amicorum studiis, quibus in iudicio adfuisti. Vtere ergo eorum opera, quam ad hoc praecipue tempus reseruasti. EO GENERE *amicitiarum.* } Sine amicorum ope, nemo auderet petere. Sed amicos non omnes eadem uia sibi pariunt; Ciceronis amicitiae caussarum defensionibus partae erant. Nam supra dixit, Quidquid es, ex hoc es. INITIATA *est.* } Sic in uno scripto, in duobus est Nunciata, corrupte. Alij emendarunt Munita. propius ad scripturam ueterem accedit Initiata. Quod uerbum licet saepius de sacris dicatur, quid prohibet tamen ad cuiuslibet rei initium transferre? Muretus legit Innixa, Et haec fortasse germana est lectio. Nam & M. Tull. lib. & ep. 1. ad Att. In quo uno ambitio nostra maxime nititur. QVOD *caussarum defensionibus.* } Philipp. 7. Omne curriculum industriae meae in foro, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est. Hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus. DESCRIPTVM, *& dispositum.* } Distributum, ut unusquisque sciat, quid sibi faciendum sit, de qua distributione, infra suo loco pluribus agetur. Descriptum, pro Distributum, ut infra. & Horat. in Poet. Descriptas seruare uices, Cic. ep. 10. lib. 16. fam. Italiae regiones descriptae sunt. ET, *quemadmodum memini quod* } Locus corruptus, & a M. Antonio Mureto sic emendatus, Variarum lect. lib. 7 cap. 12. Nemini ulla in re umquam molestus fuisti. Libri etiam scripti habent Nemini. AD *hoc tempus reseruaße.* } Etsi officia meminisse debetis, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. ut in Laelio, Cic. Nec enim, ut idem

in eodem inquit, benefici, liberalesq. ſumus, ut exigamus gratiam, quod beneficium non feneramur; ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus. Tamen, quia beneficium date, docere eſt reddere. ut P. in Mimis. & ſine ijs mutuis officijs hominum ſocietas ſeruari non poſſet, ideo non iniquum eſt, cum egeas, ab eo petere, de quo benemeritus ſis, & ad illum excitandum, etiam fateri te ab eo aliquid tale aliquando exſpectaſſe. eoque magis, ſi, ut mox ſubdet, qui nobis obligati erunt; ita rogabuntur, quaſi ijs uiciſſim nos obligari adhuc poſſe uideamur.

QVINCTVS

SED, quoniam tribus rebus homines maxime ad beneuolentiam, atque haec ſuffragandi ſtudia ducuntur, beneficio, ſpe, adiunctione animi, uel uoluntate: animaduertendum eſt, quemadmodum cuique horum generi ſit inſeruiendum. Minimis beneficijs homines adducuntur, ut ſatis cauſſae putent, ſe ad ſtudium ſuffragationis dediſſe: nedum ij, quibus ſaluti fuiſti, quos tu habes plurimos, & intelligant, ſi hoc tuo tempore non ſatisfecerint, ſe probatos nemini umquam fore. quod cum ita ſit, tamen rogandi ſunt, atque etiam in hanc opinionem adducendi, ut, qui nobis adhuc obligati fuerint, ijs uiciſſim nos obligari adhuc poſſe uideamur.

EXPLANATIO

SED, *quoniam tribus rebus homines.*} Diuidit rationem parandae beneuolentiae, de qua ſupra confuſius egerat. & triplicem eam facit, aut in fructu praeteritorum, aut in ſpe futurorum, aut in animorum ſimilitudine. Illud interim ſciendum, non eſſe eandem beneuolentiam, & amicitiam; licet amicitiae principium ſit beneuolentia; nec eoſdem beneuolos, & amicos. de quo uide Ariſt. lib. 8. & 9. de moribus. VEL *uoluntate.*} Interpretatur, quid ſit animi adiunctione adduci ad ſuffragandi ſtudium. nempe uoluntate, quod non utilitate ulla moueatur; ſed libera quadam animi propenſione. ideoque hoc genus ſtudiorum uoluntarium deinceps uocatur. QVEMADMODVM *cuique horum generi ſit inſeruiendum.*} Quomodo cum ſingulis agendum, ut eorum nobis ſtudium comparemus. Inſeruiendum dicit, quod genus quoddam ſit ſeruitutis, tam uarijs uoluntatibus, tam diuerſas ob cauſſas ſe accommodare. Cic. pro Murena. Huic inſeruias, huic te oſtentes oportet. & pro Cn. Plancio: Seruire populo. & in 1. Off. Gloriae cupiditatem, quae eadem eſt, quae & ambitio, eripere dixit libertatem. MINIMIS *beneficijs.*} De prima ratione cum bene ſperare iubet. hoc argum. ſi alij leuioribus beneficijs ſibi perſuadent, obligaſſe ſibi homines, ut ſuffragari debeant, quanto magis tu, a quo grauiſſima ſunt beneficia profecta? uult tamen eum ita rogare, quaſi non gratiam repetat, ſed ut ſi ipſe obligandus eſſet. MINIMIS *beneficijs.*} dandis. AD *ſtudium ſuffragationis.*} promerendum. NE *dum ij, quibus ſaluti fuiſti.*} Argum. ordo petebat, ut diceret, nedum tu ſperare poſſis. ſed ad certiorem eius ſpem oſtendendam, inuertit, ac dixit. nedum homines, qui a te beneficium acceperunt, intelligant, quaſi rem nimis apertam, & claram. ſe ita tibi debere, ut non poſſint ſine ſumma infamia tibi deeſſe. QVIBVS *ſaluti fuiſti.*} Quod eſt omnium, beneficium maximum. id uero cauſſarum defenſionibus conſecutus erat. ET *intelligant.*} Etſi conſentiunt ſcripti cum impreſſis, qui habent, Et intelligant: tollenda tamen uidetur illa copula, Et. Verbum autem cum praecedentibus coniungendum: De quo alij iudicent. SI HOC *tuo tempore non ſatisfecerint.*} Scripti amplius habent, Tibi non ſatisfecerint, quod placet. SE *probatos nemini*} Quia ingrati habebuntur. Dixeris porro maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris. Pub. Mimogra. QVOD *cum ita ſit.*} Vt non poſſint huiuſmodi homines honeſte tibi deeſſe, tamen, ad euitandam arrogantiam, rogandi ſunt; ne in mercedis potius, quam beneficij loco, quod petis, numerare uidearis. ut dicit Cic. ep. 6. lib. 2. fam. IN *eam opinionem adducendi*} Ideſt, illis perſuadendum. VT *qui nobis adhuc obligati.*} Beneficijs noſtris. IIS *uiciſſim nos obligari.*} Vt non ſolum relatam nobis gratiam, ſed quaſi beneficio accepto, nos ijs obligatos etiam putemus. ut fiat quod ait Geta Terent. Adeo res redijt, ſi quis quid reddit, magna habenda eſt gratia.

QVINCTVS

QVI autem ſpe tenentur, quod genus hominum multo eu diligentius, atque officioſius; ijs fac, ut propoſitum, ac paratum auxilium tuum eſſe uideatur. Denique, ut ſpectatorem te ſuorum officiorum intelligant eſſe diligentem, ut uidere te plane, atque animaduertere, quantum ab uno quoque proficiſcatur, appareat. Tertium illud genus eſt ſtudiorum uoluntarium, quod agendis gratijs, accommodandis ſermonibus ad eas rationes, propter quas quiſque ſtudioſus eſſe uidebitur, ſignificanda erga illos pari uoluntate, adducenda amicitia in ſpem familiaritatis, & conſuetudinis, confirmari oportebit. atque in ijs omnibus generibus iudicato, & perpendito, quantum quiſque poſſit, ut ſcias, & quemadmodum cuique inſeruias, & quid a quoque exſpectes, & poſtules.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVI *autem spe tenentur.* } Secundum hominum genus, qui aliquid a nobis sperant. MVLTO *est diligentius, atque officiosius.* } Quam ij, qui acceperunt beneficium. Recte sane, dum enim aliquid cupiunt homines, & exspectant, nihil non promittunt, nihil non se facturos eius caussa ostendunt, a quo exspectant. Vbi uero, quod optant, acceperunt, fit illud, quod aiunt, simul & misertum est, & interijt gratia. Ideo Cic. lib. 2. de orat. Plus proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeterii beneficij commemoratio. IIS *fac ut propositum, ac paratum auxilium.* } Vt, quo certius sperabunt, eo diligentius laborent. Duo autem in hoc proponit, ut ostendatur auxilium paratum, & ut spectator credatur, & existimator eius, quod praestitum fuerit. ESSE *uideatur.* } Hic est numerus, quo quia frequenter usus est in clausulis M. Cic. notatus est ab obtrectatoribus: iteratur infra, ut fratrem Ciceronis agnoscas: SPECTATOREM *suorum officiorum.* } Sic incenduntur milites in pugna, qui sese spectari a duce putant. Sallust. in Catil. Quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat. & Liuius lib. 26. Testis, spectatorq. uirtutis, atque ignauiae cuiusque adest Scipio. Et Caesar lib. 1. Bel. Gal. Vti eos testes suae quisque uirtutis haberet. Et lib. 1. Bel. ciuil. Sub oculis domini suam probare uirtutem studebant. VT *uidere te plane, atque animaduertere.* } Tum ut sciant se non praestitisse operam homini inscio: tum, ut non audeant fucum facere. ita paullo post, ut ipsi intelligant te uidere quid a quoque exspectes. Item, Ijs significato, te animaduertere. TERTIVM *illud genus est studiorum uoluntarium.* } Eorum, qui nihil acceperunt, nihil exspectant, sed sola uoluntate adducti nobis student. Hi quattuor rationibus confirmandi sunt, gratiarum actione, sermonum communicatione, paris animi significatione, spe familiaritatis. AGENDIS *gratijs.* } De eo, quod sua sponte ante egerint. ACCOMMODANDIS *sermonibus* } ut de ijs rebus loquamur, quibus quisque capi uidebitur. Ennius, amicum illum describens, omnium horarum hominem, apud Aul. Gel. lib. 12. cap. 14. ait secunda loquens in tempore, commodus, &c. STVDIOSVS *esse uidebitur.* } Qui studeat nobis, praestantia aliqua ductus, quae in nobis, puta eloquentiae, antiquitatis, aut alicuius rei similis, de ea libenter cum eo agamus, studio eius morem geramus. SIGNIFICANDA *erga illos pari uoluntate.* } Sic enim confirmatur amicitia, efficiturq. quod est in amicitia mutuum, cum par uoluntas accipitur, & redditur, ut est ep. 2. lib. 5. Fam. Quamquam hic non tam reddi, quam significari oportere ait, quod hoc ad praesens tempus satis esse uideatur. ADDVCENDA *amicitia in spem.* } Potest esse inter aliquos amicitia, non autem familiaritas. Iucundior tamen fit familiaritate amicitia. Cic. pro rege Deiot. Quo cum mihi amicitiam resp. conciliauit, hospitium uoluntas utriusque coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit. hic non dissimulabo esse in scriptis, In speciem. Quod non puto esse omnino reijciendum. nam in hac tota ratione, non tam res ipsa spectatur, quam species, & demonstratio quaedam. ideo ante, Ad speciem homines illustres. ATQVE *in his omnibus generibus.* } Conclusio cum praecepto, quomodo cum tam uarijs amicorum generibus agendum sit. IVDICATO, *& perpendito.* } Ordo uidetur exigere, ut prius perpendamus, deinde iudicemus. sed defendi sic potest, ut iudicemus, quid quisque possit, tum perpendamus, & consideremus quantum illud sit, multum ne, an parum petitioni nostrae conducat. Nisi forte dicamus ea esse tamquam synonima, ut in 3. de orat. Non arte aliqua perpenditur, sed quoddam quasi naturali sensu iudicatur. QVEMADMODVM *cuique inseruias.* } Neque enim omnibus pari studio inseruiendum est. Sed quod iubet Cic. primo offic. ut in suscipienda actione animaduertatur, quanta illa res sit, quam efficere uelimus, ne ue minor, ne ue maior cura, & opera suscipiatur, quam caussa postulet. Sic petitionis nostrae adiutoribus, pro cuiusque merito ita tribuere, atque inseruire aequum est. POSTVLES *& exspectes.* } Postulare, & exspectare possis; exspectare quod ab eis sponte fiat, postulare quod ipse exigas M. Cic. ep. 5. lib. 2. A te hoc ciuitas, uel omnes potius gentes, non exspectant solum, sed etiam postulant.

QVINCTVS

SVNT enim quidam homines in suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi: sunt diligentes, & copiosi, qui, etiam si antea non studuerunt huic gratiae, tamen ex tempore elaborare, eius caussa cui debent, aut uolunt, facile possunt. His hominum generibus sic inseruiendum est, ut ipsi intelligant, te uidere, quid a quoque exspectes; sentire, quid accipias; meminisse, quid acceperis. Sunt autem alij, qui aut nihil possunt, aut etiam odio sunt tribulibus suis, nec habent tantum animi, aut facultatis, ut enitantur ex tempore. Hos internoscas: & uideto, ne, spe in aliquo maiore posita, praesidij parum comparetur.

EXPLANATIO

SVNT *enim quidam.* } Ratio, cur iudicandum sit, quantum quisque possit, cum distinctione duorum generum hominum. IN *suis ciuitatibus & municipijs;* } Ciuitas nomen generale, ad omnes hominum coetus iure sociatos; ut M. Cic. lib. 6. de rep. Municipium uero species ciuitatis, proprio quodam iure affecta, de quo dicetur. Sic loquitur etiam in orat. pro Murena: Grauiter homines honesti, atque in suis ciuita-

tibus, & municipijs gratiosi tulerunt. SVNT *diligentes, & copiosi.* } Qui diligentia, & copiis ualent. Copiae, & diuitias significant, ut in Lael. Opibus, & copijs praeditus. & quantumcumque ualemus auctoritate, & gratia, ep. 2. lib. 4. ad Att. Hinc Copiosus. ANTEA *non fluduerunt huic gratiae.* } Prensandi, petendi, in quo praecipue laboratur de retinenda, & acquirenda hominum gratia. Ex *tempore elaborare.* } Repente ad id aggredi, quod antea non fecerint. CVI *debent, aut nolunt.* } Liber scriptus, Debent ac uolunt; ut illud ep. 75. lib. 13. Cuius caussa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo; neque tamen τὸ Aut reprobandum, quod possit quis non debere, & tamen uelle. CVI *debent, aut nolunt.* } Velle, cum casu dandi, pro fauere, bene cupere. ut Cic. pro Cn. Plancio: Filio meo omnia malo, quam mihi. sic uerbum cupio. Terent. in Andria act. 5. sc. 4. Vel quod ipsi cupio Glycerio. IIS *hominum generibus.* } Quorum alij gratiosi, alij diligentes sunt &c. VT *ipsi intelligant.* } Ita cum illis agas, ut possint intelligere. TE *uidere quid a quoque.* } Dilucida, & expedita distributio; Videre futura, ideo exspectes; sentire praesentia, ideo accipias; meminisse praeterita, ideo acceperis. Si intelligent te uidere, quid exspectes, non licebit illis esse negligentibus; si sentire, quod accipias, non se operam perdere cognoscent; si meminisse, quod acceperis, laetabuntur officio, quod tibi homini memori praestiterint. SVNT *autem alij.* } Diuersum a superioribus genus. AVT *nihil possunt.* } Auctoritate & gratia, apud tribules. opponitur ad illud, In suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi. AVT *etiam odio sunt.* } Qui obesse potius possint, quam prodesse. si quis, odio illorum, petitori, cui ipsi faueant, aduersetur. NEC *habent tantum animi, aut facultatis.* } Ad illud ex tempore laborare facile possint. Itaque homines nullius pretii esse prorsus ostendit, qui nec possint, nec uelint quidem, aut audeant pro amico eniti, & periclitari. HOS *internoscas.* Bene Internoscas; quasi malos a bonis. id enim ualet. in lib. de amicitia ad finem. Secerni blandus amicus a uero, & internosci potest adhibita diligentia. ET *uideto &c.* } Variauit modum. nam cum Internoscas modo coniunctiuo dixisset, mox Videto imperando dixit. etsi autem uterq. modus idem significat, uim tamen maiorem habet imperatiuus, quam coniunctiuus. Videto igitur cum dicit, legem quandam praescribit, ac ualde attentum facit fratrem, ad eam obseruandam. NE *spe in aliquo maiore.* } Maiore quam ponenda esset. PARVM *praesidij.* } Quaesiuit ornatum ex contrarijs. Multum spei, parum praesidii, fiet enim, quod prouerbio dicitur, Scipioni arundineo inniti, eritq. praesidium ficulnum, ut uulgo fertur.

QVINCTVS

ET quamquam partis, & fundatis amicitijs fretum, ac munitum esse oporteret, tamen in ipsa petitione amicitiae permultae, ac perutiles comparantur. nam in ceteris molestijs, habet hoc tamen petitio commodi, ut possis honeste, quod in cetera uita non queas, quoscumque uelis adiungere ad amicitiam: quibus cum si alio tempore agas, ut te utantur, absurde facere uideare: in petitione autem, nisi id agas, & cum multis, & diligenter, nullus petitor esse uideare.

EXPLANATIO

ET *quamquam partis.* } Meminerimus agi in hoc loco de ea parte petitionis, quae posita est in amicorum studiis, quae parta iam esse oportere dixit. iccirco transitus ad eas amicitias, quae in ipsa petitione comparari possunt, breuiter repetit: Quod de partis iam dictum est. PARTIS, *& fundatis.* } Prius partis, deinde fundatis, idest firmatis, & stabilitis, quae amicitiae omnium optimae sunt. OPORTERET. } libri scripti habent Oportet, modo indicatiuo, quod placet. IN *ipsa petitione.* } Cum utendum est studijs amicorum, tum tamen noui amici acquiruntur. NAM *in ceteris molestijs, habet hoc commodi.* } Venusta oratio, ex contrarijs, ut ep. 9. lib. 1. fam. In molestia gaudeo, & 21 lib. 15. In ea uoluptate hunc accepi dolorem. QVOD *in cetera uita.* } In ceteris uitae partibus, aut ceteris obeundis muneribus, ut supra. Latius patet, quam in cetera uita. QVOSCVMQVE *uelis.* } Dum prensando ab iis petis, iis te uicissim offers. ADIVNGERE *ad amicitiam.* } sic loquitur paullo post: Homines adiungere, atque inuitare ad amicitiam. VT *te utantur.* } Vt te amicum habeant, ut tibi familiares esse uelint. ALIO *tempore.* } Tanta uis est & loci, & temporis: Cic. 1. off. ABSVRDE. } Nam inepta, & impudens est sui uenditatio, & suspecta etiam esse saepe solet. Quare & Pythagoras dixit, Ne cui uis dexteram inieceris, & Isocrates ad Daemonicum, Tarde fias amicus. NVLLVS *petitor.* } Nullius pretii. sic ep. 3. lib. Nullus imperator fuit. liber Aldi non habet Esse.

QVINCTVS

EGO autem tibi hoc confirmo, esse neminem, nisi si aliqua necessitudine competitorum alicui tuorum sit adiunctus, a quo non facile, si contenderis, impetrare possis, ut suo beneficio promereatur, se ut ames, & sibi ut debeas, modo intelligat te magni aestimare, ex animo agere, bene se ponere; fore ex eo non breuem, & suffragatoriam, sed firmam, & perpetuam amicitiam: nemo erit, mihi crede, in quo modo aliquid uirtutis sit, qui hoc tempus, sibi oblatum amicitiae tecum constituendae praetermittat; praesertim cum id tibi casus afferat, uti tecum petant, quorum amicitia aut contemnenda, aut fugienda sit, & qui hoc, quod ego te hortor, non modo non assequi, sed ne incipere quidem possint.

EXPLA-

EXPLANATIO

EGo *tibi hoc.* § Suadet a facilitate, & satis fidenter, ego tibi confirmo. NISI *si aliqua.* § Recte hi excipiuntur, quos uerisimile est, necessarijs suis potius, quam alijs fauturos. Itaque stultum est de his sperare. NISI *si.* § Terentianum est, ut in Andria, Nisi si, id est, quod suspicor. SI *contenderis.* § Diligenter egeris, uehementer petieris. VT *suo beneficio.* § suo suffragio tibi praestito. SE *ut ames, sibi ut debeas.* § Quis enim non cupiat a summo uiro amari, eundemq. sibi habere deuinctum? MODO *intelligat.* § Scripti habent Modo ut. TE *magni aestimare.* § Amicitiam illorum scilicet. bene autem addit, Has cautiones, ut sciat, quomodo agendum. Nam quis uelit beneficium suum profundere, ac perdere? EX *animo agere.* § A superiori, Te, repetendum. ex animo agere, non simulare, quod tali tempore fere fit. BENE *se ponere.* § Apud hominem gratum collocare beneficium. sic infra, Apud quos optime poni arbitraretur. Cic. ep. 55. lib. 13. Quam bene positurus sis studium tuum. idem ualet Praeclare ponere. NON *fore ex eo breuem, & suffragatoriam.* § Qualis solet esse inter eos, qui suffragiorum caussa tantum amici facti sunt. Huiusmodi amicitiae temporariae appellantur, apud Senecam, ep. 9. lib. primi. NEMO *erit.* § Non solum dicit impetraturum Ciceronem facile, quod petet; sed homines ipsos eam occasionem libentissime amplexuros, ut cum Cicerone amicitiam constituant. IN *quomodo aliquid uirtutis sit.* § Nam, cum eadem in te sit, facile contrahet amicitiam uirtus, ut Cic. in Lael. Si qua significatio uirtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, & adiungat. AMICITIAE *tecum constituendae.* § Id est, conciliandae. sic locutus aliquando est M. Tul. lib. 2. de Finibus. Si utilitas amicitiam constituet. Hic noster iterum: Quoniam de amicitijs constituendis. PRAESERTIM *cum id tibi.* § Vnus scriptus liber habet Cum hic tibi casus. quod non aeque placet. VTI *tecum petant.* § Videtur illud Vti disiungendum, & legendum Vt ij, ut sit ad quod respondeat τὸ Quorum. id quod etiam uidit M. Antonius Muretus. QVORVM *amicitia aut contemnenda, aut fugienda.* § Duo dicit contra duos competitores. Alterum in Antonium, alterum in Catilinam. Sic M. Cic. in orat. in toga candida, quem enim aut amicum habere potestis, qui tot ciues trucidauit, aut clientem, qui in sua ciuitate cum peregrino negauit se iudicio aequo certare posse? Contemnenda igitur, ad alterius sordes; Fugienda, ad alterius scelera refertur. QVOD *ego te hortor.* § Facere scilicet. Nisi uelimus sic dictum, ut illud, Quod te oro, in prima orat. in Catil. Certe est, Quod te iam dudum hortor. NON *modo non assequi, sed ne incipere.* § Id est, tentare, quod minus est. Incipere autem proprie dicimus, Magna. Donatus in Terent.

QVINCTVS

NAm quid incipiat Antonius homines adiungere, atque inuitare ad amicitiam. quos per se suo nomine appellare non possit? Mihi quidem stultius nihil uidetur, quam existimare eum studiosum tui, quem non noris. Eximiam quandam gloriam, & dignitatem, ac rerum gestarum magnitudinem esse oportet in eo, quem homines ignoti, nullis suffragantibus meritis, honore afficiant. Namque, ut homo iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia, nullis amicis saeptus, hominum plurimorum studio, atque omnium bona existimatione munitum praecurrat, sine magna culpa negligentiae fieri non potest.

EXPLANATIO

NAm *quid incipiat Antonius.* § Excurrit ad probandum quod proposuit, facilius esse Ciceroni, quam competitoribus, amicos adiungere. &, cum de duobus proposuerit, de uno tantum probat, ut, quod in altero sit probatum, facilius in altero credatur. Nam si nihil poterit ille, cuius amicitia contemnenda, multo minus ille, cuius etiam fugienda. PER *se suo nomine appellare.* § Amicitiae initium, cognitio: cognitionis signum, appellatio proprij nominis. Per se autem dicit, quia multi in petendo utebantur nomenclatoribus. licet lex esset, quae candidatos uti nomenclatoribus uetaret. ut dicit Plutarch. in Catone Minore. quam Cato unus aliquando seruauit, ut idem inquit. sed non esse semper seruatam docet Cic. in orat. pro L. Murena: Quid? quod habes nomenclatorem? in eo quidem fallis, ac decipis. Nam, si nomine appellari abs te ciues tuos honestum est, turpe est eos notiores esse seruo tuo, quam tibi. de hoc intelligit Horat. ep. 6. Mercemur seruum, qui dictet nomina. Valet autem ad beneuolentiam conciliandam, suo nomine ciues appellare. in quo commendatur Themistocles, Cyrus, alij. unde Val. Max. Ideo infra de populari ratione dicit, Primum, id quod facis, ut homines noris, significa. QVEM *studiosum tui.* § Enallage personae. cum de Antonio loquatur, ad Ciceronem sermonem accommodat. quod eleganter factum est. MIHI *quidem nihil.* § Homines enim, cum alicui inseruiunt, ne operam uideantur perdere, se cognosci ab ijs cupiunt, quibus inseruiunt, sicuti & qui ulciscuntur, sciri uolunt ab ijs, quibus molestiam exhibuerunt, qui sint. Arist. lib. 2 Rhet. TVI § Secunda persona pro tertia. Vt Terent. And. sce. 1. Nam si illum obiurges. EXIMIAM *quandam.* § Si qui sunt, quibus homines etiam ignoti, & nullis beneficijs affecti, operam nauent, honoribus eorum studeant, ij sunt, in quibus est singularis aliqua dignitas, & de quibus est eximia quaedam opinio, ut cum Scipio, & Marius absentes, consules creati sunt; ut cum alij etiam inuiti. Haec igitur cum in Antonio non sint, & cum ille homines non norit, ad suam amicitiam inuitare neminem poterit. NVLLIS *suffragan-*

tibus

tibus meritis.} Cuius merita nulla exstent, quibus adducti homines illi suffragentur. NAMQVE *ut homo iners.*} Cum talis igitur sit Antonius, turpe esset te ab eo uinci. prout gloriosum est ab inimico praestanti superari. Haec coniunctio Namque non uidetur conuenire. Alij, Vt quidem, legunt. Mihi placeret, Itaque INERS} sine arte. Cum contra Cicero eloquentiam haberet. SINE *officio.*} Minime officiosus. Qualem facile agnoscas in epistola M.Tullii ad illum. quae est 5.li.5.Fam. CVM *infamia.*} Propter eas caussas, quas iam exposuit. NVLLIS *amicis saeptus.*} Qui expleant, quod illi deest. Parum igitur timendum ab eo, qui & ipse infamis sit, & nullos amicos habeat. ut ep. prima ad Att. Qui sic inopes ab amicis & ab existimatione sunt. SAEPTVM, *& munitum amicis.*} Translationes, & pulchrae, & frequentes. HOMINVM *plurimorum.*} Libri scripti, & aliqui ex impressis legunt Hominem. quod probo. Vt mutuo sibi respondeat. Homo saeptus, Hominem munitum. sicuti & illa. Nullis amicis, & Plurimorum studio. Item illa, Cum infamia, & Omnium bona existimatione. PRAECVRRAT.} superet in petitione. Translatio a cursoribus, sicuti. Tuorum honorum cursus cui suspectus umquam fuit? ep.2.lib.3.Fam. & ep.1. ad Att. Vides in quo cursu sumus. SINE *culpa negligentiae.*} Non illum plus te ualuisse, sed te illo negligentiorem fuisse dicerent.

QVINCTVS

QVAMOBREM omnes centurias, multis, & uarijs amicitijs, cura ut confirmatas habeas. & primum, id quod ante oculos est, senatores, equites Romanos: ceterorum hominum, nauos homines, & gratiosos complectere. Multi homines urbani, & industrij, multi libertini gratiosi, in foro namque uersantur, quos per te, quos per communes amicos poteris sumere. Cura, ut tui cupidi sint. elaborato, appetito, allegato, summo beneficio te affici ostendito. Deinde habe oratores urbis totius, collegium omnium pagorum, uicinitatum; ex ijs principes ad amicitiam tuam si adiunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis.

EXPLANATIO

QVAMOBREM *omnes centurias.*} Adiungendos esse amicos in uniuersum ostendit, & quomodo fieret, docuit. Nunc de singulis ordinibus distincte. Et primum de iis, qui in urbe, tum de ijs, qui extra. In urbe igitur, complectendi senatores, equites, ceteriq. gratiosi. tum principes collegiorum, & pagorum. OMNES *centurias.*} Quia consulatus, ut & reliqui magistratus maiores, comitijs centuriatis, id est maioribus, creabantur, ideo centuriarum fit mentio. Nam, cum populus Romanus uniuersus a Seruio Tullio rege, in sex classes distributus esset; ut est apud Liuium lib.1. classes autem in centum, & nonaginta tres centurias, censu, & aetate distinctas; singuli ciues ita suffragia ferebant, ut, quem cuiusque centuriae ciues plures consulem fecissent, is ab ea centuria factus diceretur. Singularum autem centuriarum suffragia, pro uno suffragio habebantur. &, licet nomen centuriae a centum ductum sit, tamen cum singulae classes ex censu cuiusque certum haberent numerum centuriarum, licet longe plures, aut pauciores numero essent ciues in unaquaque classe, quam ferret iustus numerus centuriarum, non tamen eorum suffragia plura ducebantur, quam numerus centuriarum, quae in ipsa classe essent. itaque, ut dixi, una centuria unum erat suffragium, sicuti &, tributis comitijs, uni tribui, unum suffragium erat concessum. Dionysius Halicarnaseus, Antiquit. Rom. lib.4. CONFIRMATAS *habeas.*} Ad tui studium; Confirmatas autem dicit, quasi, quae per illum iam essent paratae; amicorum studis essent confirmandae. supra, Eos prorsus magnopere compara, & confirma. PRIMVM *id quod ante oculos.*} Tangit tres ordines praecipuos ciuium Romanorum; Senatorium, Equestrem, Plebeium: Primum Senatores ponit, quia ordo ille amplissimus, ac summus in urbe erat. Ideoq. dicit, Ante oculos est. Tum Equites. Demum ceteros homines ex plebe. CETERORVM *hominum.*} Et si omnes libri sic habent, tamen suspicor legendum Ceterorum ordinum. Nam illa repetitio Ceterorum hominum, Nauos homine, insulsa est. Neque nouum uideatur, cum dixerimus tres fuisse ordines Romae, positis duobus, in tertio dicere Ceterorum ordinum. Si quidem in ipsa plebe, non unus erat hominum ordo, id est, gradus, seu condicio, sed plures. In antiquis monumentis appellatur ordo scribarum, ordo praeconum, & uiatorum, itemq. alij. Denique sic locutus est Cicero pro Rabirio perduel. reo: Quid de Equitibus Romanis dicemus, qui tum una cum senatu salutem reip. defenderunt? Quid de tribunis aerarijs, ceterorumq. ordinum hominibus? & pro lege Manilia: Publicani suas rationes, & copias in eam prouinciam contulerunt, deinde ceteris ex ordinibus, homines naui, & industrij. Haec cum iampridem scripsissem, uidi sic etiam a Lambino emendatum. NAVOS *homines, & gratiosos.*} non quosuis, sed nauos, id est industrios, & gratiosos, qui grania ualeant. Nauos. alias, Gnauos. Vide Festum. COMPLECTERE.} Matus est in uariando. *Complectere.* ad amicitiam adiunge. sume. habe. MVLTI *homines urbani.*} Alias homines urbani sunt culti, elegantes, politici. hic homines de plebe urbana, quales mercatores, artifices, libertini, & similes, qui in tribubus urbanis suffragium ferebant, quae erant minus honestae, quam rusticae. Plin. lib. 18. cap.3. De his Liuius lib.9. Q.Fabius omnem forensem turbam excretam in quattuor tribus coniecit, urbanasq. eas appellauit. In has etiam aliquando libertini redacti sunt. ut epitoma 20. Liuij. MVLTI *libertini.*} Et si non optimum ius in ciuitate habebant: Vt qui in quattuor tribub. urbanis censerentur, quod frustra in rusticas migrare saepe tentassent; tamen si qui essent gratiosi & industrij, ij poterant prodesse. IN *foro namque uersantur,*} Vt scribae, mercatores, institutores, argentarij, magistratuum apparitores. De quibus uide Carolum

Sigon.

Sigon. lib. 2. de iure ciuium Romanorum. NAMQVE. § Omnes impressi ita habent, Scriptus, Nauiq. Quod non dubitandum est, quin rectum sit. QVOS *per te.* § sine alterius opera. PER *communes amicos.* § Vt per Atticum iam alios conciliare sibi studuit, ad quem sunt illa lib. primo, epistola prima: Illam manum tu mihi cura, ut praestes. & ep. 2. Ad eorum uoluntatem mihi conciliandum maximo te mihi usui fore uideo. PER *communes amicos.* § Sic loquitur Cicero ep. 2. lib. 5. fam. CVRA *ut tui cupidi sint.* § Supra: Si adduxeris, ut ij qui uolunt, cupiant. APPETITO § studiose petito, idq. per te: infra etiam, Cognoscas, appetas, confirmes. ALLEGATO. § Missis communibus amicis. supra, Rogandi sunt diligenter, & ad eos allegandum. SVMMO *beneficio te affecere ostendito.* § Eos scilicet, quod non positum, tamen est intelligendum. est uero amphibologia, quae per passiuum tollitur; idest te ab ijs affici; ut docet Quinctil. lib. 7. cap. 10. Itaque etiam hoc loco Afficit legit Lambinus. Haec sententia infra, Cura ut intelligant te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. DEINDE *habe oratores urbis totius.* § Haec lectio primo adspectu plausibilis uidetur, quia oratorum maxima esset gratia in urbe. Verum, quia agit hoc loco Quinctus de uarijs ciuium ordinibus, atque infirmorum quidem, Oratorum autem nomen, non ordinem certum significat, sed peritiam quandam dicendi, quae in summis, infimisq. hominibus aeque esse potest: Ideo & uerbum illud Oratores, mihi semper fuit suspectum, & non possum non probare correctionem illorum, qui, Habeto rationem urbis totius, legunt. Nam, cum antea Quinctus locutus sit per tempus futurum, Appetito, allegato, ostendito, etiam uerisimile est dixisse Habeto. Facillimum autem fuit librario, ex Habeto rationem, facere Habe oratores. Praeterea, ratio etiam id persuadet. Vt, cum, de plebe agens, primum eos, qui in foro uersantur, posuerit, paullatim, se ad alias urbis partes extendat; prout demum etiam extra urbem egreditur, sed illud addendum, ut legamus, Etiam collegiorum secundo casu, & iungamus cum eo Omnium, deinde subdamus Pagorum, uicinitatum per asyntheton. COLLEGIORVM *omnium.* § De collegijs dictum supra. PAGORVM. § Pagi erant castella quaedam in locis editis, quo se agrestes homines, ubi incursiones subitae hostium fierent, recipiebant, a Ser. Tullio in agro Romano constituta, ut Dionys. Halicar. lib. 4. Eorum incolae, pagani dicti, in plebe urbana numerabantur, quia in urbanis tribubus conserentur. De ijs M. Tullius in orat. pro domo sua: Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani, quoniam plebi quoque urbanae maiores nostri conuenticula, & quasi concilia quaedam esse uoluerunt. VICINITATVM. § Locorum uicinorum. M. Cic. orat. pro Sex. Roscio, & pro A. Cluentio: Non solum municipij, sed etiam regionis illius, & uicinitatis facile princeps. Ex *ijs principes.* § Si ad ordines superiores referas, uiros primarios intellige. Si ad collegia, & pagos, accipiendum est de pagorum, & collegiorum magistris, qui sic dicti sunt, quia magis ceteris possent. Fest. Pomp. Ex *ijs principes.* § Facta enim principum, plerique studiose imitantur. M. Cic. 1. offic. & lib. 3. de legibus. Permulti imitatores principum exsistunt. Hinc Mobile mutatur semper cum principe uulgus, Claudianus. de 4. consulatu Honor.

QVINCTVS

POSTEA totam Italiam, fac ut in animo, ac memoria distributam, comprehensamq. habeas, ne quod municipium, coloniam, praefecturam, locum denique Italiae, ne quem esse patiare, in quo non habeas firmamenti, quod satis esse possit. Perquiras etiam, & inuestiges homines ex omni regione, eosque cognoscas, appetas, confirmes, cures, ut in suis ciuitatibus, tibi aliquos petant, & tua caussa quasi candidati sint. Volent te amicum si suam a te amicitiam expeti uidebunt. Id ut intelligant, oratione, quae ad rationem pertinet, consequere.

EXPLANATIO

EGREDITVR iam ex urbe, & agro Romano, & uniuersas Italiae partes, quae ius suffragij habent, prout & in ciuitate fecit, complectitur, iubetque, ut eas in animo comprehensas habeat. Tum ut perquirat, & confirmet homines, qui sibi faueant. Facileq. id illum posse, si apta ad id oratione utatur. POSTEA *totam Italiam.* § Ius ciuitatis R. toti aliquando Italiae, idest municipijs, colonijs, praefecturis, foederatis ciuitatibus, foris, conciliabulis, uarijs temporibus, uarijsq. legibus, datum est, Vt probat pluribus Car. Sigon, in lib. de antiq. iure Italiae. IN *animo, ac memoria.* § In animo distributam. in memoria comprehensam. licet comprehendere animo, & memoria apud M. Ciceronem saepe sit. NE *quod municipium.* § Quod uno uerbo dixit, nunc per partes distribuit. Nomina ciuitatum Italiae ex iure ducta, sunt, municipia, coloniae, praefecturae, foederata opida, fora, conciliabula. Sig. lib. 2. de iure Ital. sed tangit tria tantum prima, quia illa maiora sunt. Sic Cic. pro P. Sextio: Nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, quae non honorificentissime decreuisset de salute mea. & Philip. 2. Omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit. Municipia erant opida iure ciuium Romanorum donata: Coloniae erant opida, quo P. R. ciues suos ad incolendum deduxerat. in quo differant haec inter se, A. Gel. lib. 16. Praefecturae autem erant opida in Italia, in quae Romani quotannis praefectos mittebant, qui ius dicerent, a quo onere libera erant municipia, & coloniae, quae suis magistratibus utebantur. Vide eundem Sigonium. LOCVM *ne quem.* § Hoc ad reliquas partes, ut sunt conciliabula, fora. FIRMAMENTI *satis.* § Ad suffragationem. Habere parum firmamenti. orat. pro A. Cluent. PERQVIRAS. § Sicuti loca habere nota debet, ita homines ipsorum locorum, non omnes quidem, sed eos, qui prensandi officio pro eo fungi possint. PERQVIRAS, &

inuestiges.} Verba significantia, prius perquiras, tum inuestiges. Quaerendo enim inuestigatur, idest inuenitur. Terent. in Heauton.act.4.sc.1. Nihil tam difficile est, quin quaerendo inuestigari possit. COGNOSCAS.} Bono ordine infra, Hi cognoscendi primum sunt. APPETAS.} supra. CIVITATIBVS.} Placet quod est in scriptis, Vicinitatibus. Nam & supra Vicinitatum mentionem fecit. QVASI *candidati.*} Notum est Candidatos dictos, qui magistratum petebant, a toga candida, quam eo tempore gestabant. hic ergo dicit, quasi candidati, ut qui pro te petunt. VOLENT *te amicum.*} Supra, neminem esse, a quo non facile impetres ut item: Nemo erit, qui hoc tempus sibi oblatum amicitiae tecum constituendae. SI *suam a te amicitiam.*} Nam, ut dicit Seneca, Inuitis nemo libenter dat. lib.3.cap.13.de Ben. ID *ut intelligant.*} Te expetere amicitiam. supra: Modo intelligant te magni aestimare. ORATIONE *quae ad rationem.*} Qua utendum petitionis tempore. significat autem orationem blandam, quam necessariam esse petitori, dicit infra.

QVINCTVS

HOMINES municipales, & rusticani, nomine tantum noti, in amicitia se esse arbitrantur. si uero etiam praesidij se aliquid sibi constituere putant, non amittunt occasionem promerendi. Hos ceteri, & maxime tui competitores, ne norunt quidem. Tu & nosti, & facile cognosces. Sine queis amicitia esse non potest. Neque id tamen satis est; tametsi magnum est, sed ut consequatur spes utilitatis, atque amicitiae; ne nomenclator solum, sed amicus etiam bonus esse uideare. Ita, cum & hos ipsos, propter suam ambitionem, qui apud tribules suos, plurimum gratia possint, studiosos in centurijs habebis: & ceteros, qui apud aliquam partem tribulium, propter municipij, aut ciuitatis, aut collegij rationem ualent, cupidos tui constitueris; in optima spe esse debebis.

EXPLANATIO

HOMINES *municipales.*} In negotio alioqui laborioso nititur ostendere esse facilitatem, si diligentiam adhibeat, atque ideo bene esse sperandum: Agit igitur de municipalibus per se, & per comparationem competitorum; eosque primum cognoscendos dicit. tum spem utilitatis illis ostendendam. MVNICIPALES *rusticani.*} Sic Verr. 3. Homines rusticani ex municipijs. Rusticani autem, quasi dicat simplices. ut contra, Vrbani, astuti. Ab ἄστυ, quod urbem significat. NOMINE *tantum noti.*} Quae leuis est amicitia. Quare Hora. de amico illo importuno, sat.9.lib.1. Notus mihi nomine tantum. NOMINE *tantum noti.*} Aliqui addunt, Si. & Sint. sine quibus etiam integra est sententia. IN *amicitia.*} Alij legunt, In amicis. nescio cur mutandum sit, cum & illud Latine dictum: Vt Esse in clientela. in fide. & ita habetur in libris scriptis. SI VERO *etiam praesidij se aliquid sibi constituere putant.*} Si, dum tibi inseruierint, praesidium in te aliquod constituere putabunt, quod te sibi obligauerint, sententia patet. uideo tamen ab alijs mutatum; praesidij in se aliquid tibi constitutum esse putent. diuerso prorsus sensu. utrum bene, nec ne, iudicent alij. Ego puto hos homines spectaturos potius, ut sibi constituant in Cicerone praesidium, quam ut in se Ciceroni constitutum putent. Infra, Multi spe praesidij tui teneantur. Postremo his duobus membris, Nomine tantum noti: etsi uero etiam praesidij &c. Respondent duo, quae sequuntur. Tu nosti. &, ut consequatur spes utilitatis. PROMERENDI.} Vt suo merito sibi debeas, ut dixit supra. HOS *ceteri, & maxime.*} Iam per comparationem rem faciliorem ostendit, quod fecit etiam antea: NE *norunt quidem.*} Si non norunt, non sperandum est, ut eos sui studiosos habeant, pro ut Paullo ante probauit. TV *& nosti, & facile cognosces.*} Plus est Cognoscere, quam Noscere. Terent. in Eunuc. act.5.sc.4. Meretricum ut mores posset noscere. Mature, ut cum cognorit. ibi Donat. Cognoscere plenae perspicaciae est. SINE *queis.*} Pro quibus, id est plena, & perfecta cognitione, Queis pro quibus, etiam ep.9.lib.10.ad Att. Mirandum autem est, cur, cum in omnibus scriptis, non his solum de petitione, sed Virgilianis, & Epistolarum ad Att. libris, quos ipse uiderim, &, in antiquis etiam lapidibus, Quis pro quibus. i. simplici scriptum sit, neque ulla apud Grammaticos, qui de hoc nomine scribunt, diphtongi sit mentio; nostris tamen temporibus cum diphtongo scribatur. NEQVE *id tamen*} Nosse tantum de facie, aut nomine. TAMETSI *magnum.*} Est enim initium amicitiae, ut dictum est. SED *ut consequatur.*} Videtur deesse uerbum Oportet. nisi sine uerbo ita exponamus: Magnum est, sed ita, ut consequatur: alij legunt, Si non consequatur. SPES *utilitatis.*} Amicitia, non spe mercedis: Sed quod omnis eius fructus, in ipso amore inest, expetenda est. M. Cic. de amicitia. sed nomen amicorum in petitione latius patet, quam in cetera uita. CONSEQVENTER *spes utilitatis.*} Cicero in Laelio: Multae, & magnae utilitates consecutae sunt. NOMENCLATOR *solum.*} Qui nomen nouerit: Sed & amicus, qui amet, & cum opus sit, inseruiat amico. De nomenclatione mox plura dicentur. nunc de nomenclatore hoc tantum. Mirari me, cur quidam antiquitatis amatores, Nomenculator malint, quam Nomenclator; cum sic habeant libri scripti. cum Carisius ex Verrio referat sine, u, dici debere, quasi Nominis clator. cum apud Graecos, unde hoc nomen sumptum est, sic habeatur ὀνομακλήτωρ. Ac demum in monumentis antiquae Vrbis legatur, T. POMPONIVS REPENTINVS NOMENCLATOR. PROPTER *suam ambitionem, qui apud tribules suos.*} Hoc prouocabulum, Qui, ab alijs motum loco est, & positum ibi; Qui propter suam ambitionem. sed certe sine caussa. nam quid prohibet quin & hoc loco quadret, Qui apud tribules suos. cum praesertim Quinctus ipse delectetur his traiectionibus, ut supra, Parentum prope in gremijs. & item illa, Adolescentulorum ad amicitiam aetas. PROPTER *ambitionem*} supra, Hominum ad ambitionem gratiosissimorum. GRATIA *possint.*} Lego, Possunt. Nam in al-

tero membro est, qui ualent, gratia & auctoritate posse. ep. 9. lib. 6. fam. *Et ceteros.* } Qui minus quidem, sed tamen aliquid ualent. *Propter municipij rationem.* } Idest, ob aliquod munus in municipio curatum. *Cvpidos tui.* } Vide uarietatem. studiosos habebis, cupidos constitueris. ep. 12. lib. 6. fam. Tui studiosissimum, mei cupidum. *In spe optima.* } Dicimus, Esse bona spe, ep. 28. lib. 12. & Esse in magna spe, ep. 19. li. 13.

QVINCTVS

Iam equitum centuriae multo facilius mihi diligentia posse teneri uidentur, primum cognoscendi sunt equites, deinde adipiscendi. multo enim facilius illa adolescentulorum ad amicitiam aetas adiungitur. Deinde habebit tecum ex iuuentute optimum quemque, & studiosissimum humanitatis. Tum equester ordo sequetur illius auctoritatem ordinis. si abs te adhibetur ea diligentia, ut non ordinis illius auctoritatem solum uoluntate, sed etiam singulorum amicitijs eas centurias confirmatas habeas. Iam studia adolescentulorum in suffragando, in obeundo, in nunciando, in asectando mirifice & magna, & honesta sunt.

EXPLANATIO

Equitum *centuriae.* } Ser. Tullius, cum P. R. in classes, & centurias diuisit, ex ijs alias equitum, alias peditum esse uoluit. fuerunt autem equitum centuriae decem, & octo, & primae ad suffragium ferendum uocabantur. Liuius lib. 1. Hactenus igitur de peditibus, nunc de equitibus. De ijs eodem fere ordine, quo & antea de alijs. Primum ostendit facile esse, ut habeantur, caussae porro duae; quia iuuenes, quia sequentur ordinis equestris auctoritatem. Tamen agendum cum ijs diligenter, tum quomodo: quamque uarius sit futurus fructus docet. *Primvm cognoscendi.* } Sine notitia amicitia esse non potest, ut dictum est, ideo hoc praecedat oportet; semper igitur fere id inculcat. *Mvlto enim facilius.* } Ratio necessaria, quia breuiter admodum dixerat, Cognoscendi, deinde adipiscendi; ut si nullo negotio id fieri posset. Multo enim facilius, inquit, adolescentulorum aetas ad amicitiam adiungitur, quam ceterorum hominum, cum quibus, & per communes amicos agendum est. & spes utilitatis ostendenda. atque hoc dictum est ex doctrina Arist. lib. 8. de moribus. ubi ait Iuuenes celeriter & amicos fieri. & amare desinere. *Deinde habebis.* } Suo loco omnia sunt posita. cum cognoueris, &, id quod facile est, adeptus fueris, tum tecum habebis. Haec cum ita sint connexa, ut ostendi, & ita legantur in libris impressis, & scriptis: Lambinus tamen inuerso ordine haec duo membra edidit. ut priore loco ponat. Deinde habebis tecum. Tum subijciat: Multo enim facilius. *Habebis tecum optimum quemque, & studiosissimum humanitatis.* } Qui te adiuuent in petitione. In ijs autem duo requirit potissimum, bonitatem, & humanitatem: Quibus commendari adolescentes solent. M. Cicero pro Coelio: Sed ego Atratino humanissimo, atque optimo adolescenti ignosco. *Tvm autem quod equester ordo.* } Correctio huius loci extat apud Corradum in Quaestura. Hoc modo: Tum autem quod equester ordo tuus est, sequentur illi, huius auctoritatem ordinis. neque aliter prorsus legendum est. nam in uulgata lectione, uidebantur collocati equites in ordine diuerso ab equestri. & equester ordo secuturus esse partem sui, idest equites. cum potius secus esse debeat. *Eqvester ordo tuus est.* } Vt in principio: Habes omnes publicanos, totum fere equestrem ordinem. *Tvvs est.* } Hic loquendi modus, qui ad popularem proxime accepit, frequens est apud Latinos, Terent. Andria sc. ult. Tuus est nunc Chremes. Planc. ep. 24. lib. x. fam. Me proprie: tuum esse tibi persuadeas. & M. Cic. ep. 8. lib. xv. Necesse est, ut sim totus uester. *Seqventvr illi huius ordinis.* } Illi equites sequentur auctoritatem huius ordinis equestris, ut pars totum sequi solet. *Si abs te adhibebitur diligentia.* } Si curabis, ut non solum totum ordinem in uniuersum amicum habeas, sed praecipue has centurias. *Volvntate.* } Illa animi propensione, quae est uniuerso ordini communis. *Sed etiam singulorum amicitijs.* } Vt singulari alicuius amici opera, & gratia, magis, ac magis confirmentur. *Iam studia adolescentulorum.* } Hi sunt diligentiae fructus. *In suffragando.* } Ipso comitiorum tempore, ut in caussa Clodiana. cum dies uenisset rogationis, inquit M. Cicero lib. 1. ad Att. Concursabant barbatuli iuuenes, & populum, ut antiquaret, rogabant. *In obeundo, in nunciando.* } Si tuo nomine adiri aliquem uelis, eique aliquid nunciari. Obire pro adire, saepe apud ueteres. uide Festum Pomp. infra cum obeunt plures competitores. *In asectando.* } De officio assectationis, mox uidebimus. Magna uero, quod studia haec dicit, ad suffragandum refer. Honesta ad assectandum, quia magnam afferunt dignitatem.

QVINCTVS

Et quoniam assectationis mentio facta est, id quoque curandum est, ut quotidiana cuiusque generis, & ordinis, & aetatis utare. Nam ex ea ipsa copia coniectura fieri poterit, quantum sis in ipso campo uirium, & facultatis habiturus. Huius autem rei tres partes sunt. Vna salutatorum, cum domum ueniunt. Altera deductorum. Tertia assectatorum. In salutatoribus, qui magis uulgares sunt, & ad hanc consuetudinem, quae nunc est, plures ueniunt, hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum, tibi gratissimum esse uideatur. Qui domum tuam uenient, ijs signifi-

cato, te animaduertere, & eorum amicis, qui illis renuucient, ostendito, saepe ipsis dicito. sic homines saepe, cum obeunt plures competitores, & uident unum esse aliquem, qui haec officia maxime animaduertat, ei se dedunt, deserunt ceteros. Minutatim ex communibus, proprij, ex fucosis, firmi suffragatores euadunt.

EXPLANATIO

ET *quoniam assectationis.* ȝ Quoniam in petitione utendum est amicis, non solum in suffragio ferendo, uerum in plurimis alijs officijs, ut paullo ante tetigit, ideo facta mentione assectationis, arripit occasionem agendi pluribus de ijs ipsis. Diuidit igitur in tres species. Salutatorum, qui domum ueniunt. Deductorum, qui comitantur ad forum. Assectatorum, qui usque sectantur. Atque in salutatoribus quidem officium illorum leuius esse dicit, sed ostendendum tamen id esse gratissimum, quod id utile futurum sit. ET *quoniam mentio.* ȝ Modus connectendi. sic de claris oratoribus: Et quoniam Stoicorum est facta mentio. CVIVSQVE *generis.* ȝ Nobilium, ignobilium. ORDINIS. ȝ Patriciorum, & Plebeiorum. AETATIS. ȝ Adolescentiorum, seniorum. supra, instituendi sunt cuiuscumque generis, amici. VTARE. ȝ libri duo scripti habent Vtare frequentia, quae uox non est in impressis. & fortasse desideratur. licet uerbum Vtare, referri etiam possit ad assectationem. IN *ipso campo.* ȝ Martio. ubi magistratus creabantur, dictum per ecclipsim, ut ep. 30. lib. 7. fam. VIRIVM. ȝ Si enim multi te assectabuntur, indicium erit te multos habiturum fautores. Quare ualde etiam ad rem pertinere dicit, Vt semper sit cum multitudine. Non dissimilis est illa sententia in orat. pro Murena. Ex uultu candidatorum coniecturam faciunt, quantum quisq. animi & facultatis habere uideatur. HVIVS *autem rei.* ȝ Diuisio. VNA *salutatorum.* ȝ Quibus primae duae diei horae tributae erant. Martialis lib. 4. Prima salutantes, atque altera detinet hora. De hoc M. Cic. ep. 20. lib. 9. Mane salutamus domi bonos uiros. Virg. lib. 2. Georgic. Mane salutantum totis uomit aedibus undam. QVI *magis uulgares.* ȝ Minoris pretij. & ideo deductorum officium maius, quam salutatorum dicet. Nam hi, ubi salutauerant, discedebant. AD *hanc consuetudinem.* ȝ Salutandi. Cic. ep. 16. lib. primi, ad Att. Cum bene completa est domus tempore matutino. Hoc *ipsum minimum officium.* ȝ Licet minimum, tamen uideatur gratissimum. nam sperant multo gratiores fore in maximis. QVI *domum tuam uenient.* ȝ Vt te salutent, ut ep. 28. lib. 2. Fam. Veni consulis Antonij saepe domum salutandi caussa. SIGNIFICATO *te animaduertere.* ȝ Supra, Te uidere plane, atque animaduertere, quantum ab unoquoque proficiscatur: sic enim libentius agunt. ET *eorum amicis ostendito.* ȝ Tribus uerbis utitur. Significare. Ostendere. Dicere. Significare minus est, quam Ostendere, ut etiam in sequentibus. Nam, nutu etiam significamus. Vt Ouid. lib. 5. eleg. 2 de tristibus: Per gestum res est significanda mihi. Ostendere autem non solum oculis obijcere, & contra tendere: Sed etiam uerbis. M. Cic. plurimis in locis, ut ep. 1. lib. 4. Fam. Ostendi me esse dicturum. & Terent. in Adelphis sc. 2. act. 1. Te plura peccare ostendam, id est probabo. SAEPE *ipsis dicito.* ȝ Aperte. posuit ergo in medio, quod utrinsque commune est. SIC *homines.* ȝ Hoc igitur ex hac diligentia consequitur. OBEVNT. ȝ Adeunt. supra. HAEC *officia animaduertat.* ȝ Sciant, te ea non profundere. DEDVNT *se.* ȝ Totos, uni, in perpetuum. DESERVNT. ȝ Verba ex militia supra. MINVTATIM. ȝ Paullatim. Aduerbium, quo saepe Lucretius utitur. lib. 5. Inde minutatim processit ferreus ensis. & Virg. lib. 3. Georg. Ex *communibus proprij.* ȝ Iam enim dixit, Deserunt ceteros. Communes, & proprij. anthiteta sunt. Cic. de senect. Non proprium senectutis uitium, sed commune ualetudinis. & ep. ult. lib. 4. Non debes propriam postulare, aut communem recusare. Ex *fucosis.* ȝ Id est, simulatis, non ueris. sic Fucosae amicitiae, ep. 16. libri primi ad Atticum.

QVINCTVS

IAM illud teneto diligenter, si cum, qui tibi promiserit, fucum, ut dicitur, facere uelle audieris, aut senseris, ut te id audisse, aut scire dissimules; si quis tibi se purgare uolet, quod suspectum esse arbitretur, affirmes te de illius uoluntate numquam dubitasse, nec debere dubitare. Is enim, qui se non putat satisfacere, amicus esse nullo modo potest: Scire autem oportet, quo quisque animo sit, ut etiam quantum cuique confidas constituere possis. Iam deductorum officium, quo maius est, quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato, atque ostendito. & quoad eius fieri poterit, certis temporibus descendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem, quotidiana in deducendo frequentia.

EXPLANATIO

IAM *illud.* ȝ Alterum, quod in salutatoribus obseruandum illud est, Ne nos quidquam sensisse de alicuius uoluntate ostendamus, etiam si sciamus eum decipere nos uelle. immo etiam caussam nullam esse suspicandi de illo affirmemus. Praeterea in deductoribus ostendendum, carum esse eorum officium, & cum ijs descendendum aliquando ad forum. FVCVM *facere.* ȝ Prouerbium. id est, artificiosis uerbis deludere. Aliud pro alio uenditare. Vt, qui oris colorem, a naturali diuersum pigmentis mentiuntur. Huic contrarium est illud sine fuco, & fallacijs. ep. 1. lib. 1. ad Att. VT *te id audisse.* ȝ Ab alijs. AVT *scire.* ȝ Per te. DISSIMVLES. ȝ celes. Si hoc tamen illud satis exprimit. Nam Terent. utrumque coniunxit sce. 1. And. Dissimulatum

amorem,

amorem, & caelatum indicat. Vult autem eum facere, quod prouerbio dicitur, Cretiza cum Cretensi. SI *quis tibi se.* } Vt solent, qui sui animi sibi sunt conscij. Terent. Heauton. act. 4. sce. 1. Nescio quid peccati portat haec purgatio. AFFIRMES *te de illius.* } Duplex responsio; Nec dubitasse, nec dubitandi caussam esse. NEC *dubitasse.* } quod in te est. Nec debere dubitare, quod ab illo nulla praebeatur occasio. Potest autem quis non dubitare, etiam si caussa oblata sit. QVI *se non putat satisfacere.* } Excusationem suam ueram probare. satisfacere. uerbis se excusare. ep. 12. lib. 8. Fam. Ne cui satisfaceret quidem. & ep. 13. lib. 7. Nec satisfactionem meam accipis. AMICVS *esse nullo modo potest.* } Vt qui timet, ne iniquo in illum animo simus. Huc refer, quae de amico scribit Seneca ep. 3. lib. 1. Fidelem si putaueris, facies. Multi fallere docuerunt, dum timent falli. & illi ius peccandi, suspicando fecerunt. SCIRE *autem.* } Ita dissimulandum est, ut tamen demus operam, ut perspectum cuiusque animum habeamus. supra. Perpendito, quid quisque possit, ut scias, & quid a quoque exspectes. & paullo post: Ne spe in aliquo maiore posita, praesidij parum comparetur. IAM *deductorum officium.* } Alterum hominum genus, qui Deductores dicti sunt, quod senatores domo deducerent, reducerentq. quod praecipuum erat munus clientum erga patronos, & iuuenum etiam erga natu maiores, quo die senatus habebatur. ut Val. Max. lib. 2. Erat mos etiam deducere candidatos in campum. Vt M. Cic. ep. 1. lib. 2. ad Atticum. QVO *maius est.* } Quo, habent scripti. Quod, impressi. non bene. QVAM *salutatorum.* } Quod illi post salutationem discedunt. deductores comitantur, & reducunt. QVOAD *eius fieri poterit.* } Quantum licuerit. sic loquitur Cic. ep. 2. lib. 3. & 8. lib. 5. Fam. & alij. Eius autem per παρέλκον additum est. ut obseruat Budaeus in commentario linguae Graecae. DESCENDITO. } Ad forum, ut supra. MAGNAM *affert opinionem.* } Apud populum. DIGNITATEM. } Quod attinet ad tuam personam. QVOTIDIANA *in deducendo frequentia.* } Vt multi, & quotidie te domo deducant.

QVINCTVS

TERTIA est ex hoc genere assidua assectatorum copia. In ea quos uoluntarios habebis, cura ut intelligant, te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. Qui autem tibi debent, ab ijs plane hoc munus exige: qui per aetatem, ac negotium poterunt, ipsi tecum ut assidui sint. Qui si ipsi sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituant; ualde ego te uolo, & ad rem pertinere arbitror, semper cum multitudine esse. Praeterea magnam affert laudem, & summam dignitatem, si ij tecum erunt, qui a te defensi, & qui per te seruati, ac iudicijs liberati sunt. Haec tu plane ab ijs postulato, ut quoniam nulla impensa, alij rem honestam, alij salutem, ac fortunas omnes obtinuerant, nec aliud ullum tempus futurum sit, ubi tibi referre gratiam possint, hoc te officio remunerent.

EXPLANATIO

TERTIA *est.* }. De assectatoribus. Hi, quoniam plurimum possunt, ideo pluribus de ijs agitur. Horum alij uoluntarii, alij debent. Hi si possint nobiscum sint; si non possint, alios constituant. exigendum uero id hac ratione, quod nullo alio tempore gratiam referre melius possint. TERTIA *est,* } Pars scilicet, a superioribus. ASSIDVA. } Qui adest, Assiduus dicitur. Varr. & Assiduitas pro iugi officio comitandi. M. Cic. pro Deiotaro: Praebere assiduitatem alicui. QVOS *uoluntarios.* } Nullo beneficio tuo. TE *summo beneficio.* } Supra: Te summo beneficio affici ostendito. QVI *autem tibi.* } Tuo beneficio. AB *ijs plane.* } Aperte. ut paullo post: Plane ab iis postulato. EXIGE } Quia debitum sup. QVI *per aetatem, ac negotium.* } Duo sunt enim impedimenta, si senes sint, & si occupati, ut assectari nequeant. Non sunt ab amicis petenda, quae praestare non possunt. NECESSARIOS *suos constituant.* } Qui referant eorum personam. M. Cic. Dare uicarium. & succedere uicarium muneri alterius dixit. VALDE *ego* } Redit ad initium, ex ipsa copia coniectura fieri poterit. ut supra. ET *ad rem.* } Necessarium putat, ut multos secum habeat. Honestum uero, ut ex iis praecipue, quos defendit. AFFERT *laudem, & dignitatem.* } Supra etiam, Opinionem, & dignitatem; laudem apud populum. dignitatem tibi. QVI *a te defensi.* } Apparebit enim, qualis uir sis. dicit autem, prius, qui defensi sunt; deinde qui seruati; quod non omnes, qui defenduntur, iidem seruantur. VT *quoniam.* } Honesta caussa. NVLLA *impensa.* } Erat enim lex Cincia de donis, & muneribus, aduersus eos, qui pretio caussas orauissent. de qua meminit Cornelius Tacitus lib. 13. & 15. M. etiam Cic. in 2. offic. dicit, in moribus patriis fuisse, ut oratores caussas gratuito defenderent. REM *honestam.* } M. Antonius Muretus legit Honestatem. Idque probari uideo. Erit autem Honestas, honor seu existimatio, ut pro Rabirio Postumo, Si honestate spoliatum audierit. Ac tangit tria illa praecipue, quae solent hominibus esse carissima, & de quibus in iudicijs saepe disceptant. Dignitatem, salutem, opes; quorum alia in aliis iudiciis, interdum omnia uno in iudicio in discrimen ueniunt. ut pro Rabirio perduel. reo. In hac defensione capitis, famae, fortunarum omnium. Ad quae tria respexisse arbitror Curium in ep. 29. lib. 7. fam. cum dixit: Quod simus, quod habeamus, quod homines existimemur. Ponit uero primo loco honestatem, ut quae praeferri ceteris rebus soleat. Nam inuenti multi sunt, qui non modo pecuniam, sed uitam etiam profundere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere uellent, ut lib. primo offi. Coniungit demum salutem, ac fortunas, quod fere iidem in iudiciis, & de salute, & de fortunis hominum agi soleret. ep. 8. lib. 6. Eius salutem, & fortunas tueri. & pro. P. Sextio: De capite ciuis, & de bonis proscriptio

ferretur.

ferretur. Nec *alind ullum.* } Supra, Vt intelligant nullum tempus aliud se umquam habituros restituendae gratiae. Hoc *te officio.* } Si grati esse uelint. M. Cic. pro Murena: Homines tenues, unum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut referendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam, atque assectationem. Quod licet non magnum sit, ipsa opportunitate fit magnum, ut est in Graecorum sententiis. ὡς μέγα τὸ μικρὸν ἐστὶν ἐν καιρῷ δοθέν.

QVINCTVS

ET quoniam in amicorum studijs haec omnis oratio uersatur: qui locus in hoc genere cauendus sit, praetermittendum non uidetur. Fraudis, atque insidiarum, & perfidiae plena sunt omnia. Non est huius temporis perpetua illa de hoc genere disputatio, quibus rebus beneuolus, & simulator diiudicari possit. Tantum est huius temporis admonere. summa tua uirtus, eosdem homines, & simulare tibi esse amicos, & inuidere, coget. Quamobrem Ἐπιχάρμειον illud teneto, Neruos, atque artus esse sapientiae, non temere credere.

EXPLANATIO

IN unaquaque praeceptione, alia traduntur, quae facere; alia, quae cauere oporteat. hactenus de amicis, & amicorum studijs parandis; nunc, quid in his cauendum sit, docet. multos esse amicos fictos, qui illi inuideant. Videat igitur, ne temere credat. In *amicorum studijs.* } Quae est prior ex duabus partibus, in quas diuisit rationem petendi. Fravdis, *atque insidiarum.* } Sententia apud scriptores frequens. Virgil. lib. 4. Aeneid. Nusquam tuta fides. & Terent. in Adelphis, ac. 3. sc. 2. Quid credas iam, aut cui credas? & in And. Nulla ne in re esse homini cuiquam fidem? Plena *sunt omnia.* } Sic M. Cic. ep. 22. lib. 9. Stultorum plena sunt omnia. & in orat. Inuidis referta sunt omnia. Non *est huius temporis.* } Occurrit, cur non det praecepta, quibus dignoscat amicum a simulatore. Non est, inquit, huius temporis id tractare. Qvibvs *rebus beneuolus, & simulator.* } Hoc tractat iusto uolumine Plutarch. Et Maximus Tyrius sermone quarto. Svmma *tua uirtus.* } Nihil amabilius uirtute. Cicero de amicitia: Sed improbi quidam, cum uirtutem oderint, tamen simulant se amare, timentes publicum odium, aut poenam. Et *inuidere.* } Hanc esse sui saeculi labem dixit M. Cic. orat. pro Cornelio Balbo, Virtuti inuidere. Sed ego saeculorum omnium hoc malum esse arbitror. Themistocles quidem etiam num adolescens cognoscebat, Se nihil splendide gessisse, quod sibi adhuc nemo inuideret. ut Plutarch. de inuidia & odio. & Liuius lib. 48. Caecam esse inuidiam dixit, nec quidquam aliud scire, quam detrectare uirtutes. Qvamobrem Ἐπιχάρμειον. } Epicharmus fuit poeta Comicus ex Sicilia, ut Suidas. Quem imitatus est Plautus. Horat. epistola prima. lib. 2. Huius apud M. Ciceronem aliquae exstant sententiae. & haec in primis, lib. primo ep. ad At. Νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Idest, Vigila, & memento non credere. artus hi quippe sunt mentis. sed elegantius eam extulit Quinctus. Habetur etiam apud Lucianum in Dialogo de sectis, & apud Suidam in uerbo, Νῆφε. Euripides Helena, Prudenti incredulitate nihil esse mortalibus utilius, dixit. Multo uero ante, in Ecclesiastico lectum est, Eum, qui cito credit, leuem esse corde. Sed totam hanc rem Isocratis praecepto concludamus, qui ad Democritum ita scribit. παραπλήσιον ἡγοῦ τοῖς πονηροῖς ἀπιστεῖν ὥσπερ τοῖς χρηστοῖς πιστεύειν. Id est, Aeque conuenire existima, & malis non credere, & bonis credere. Docet etiam Graecus ille uersiculus, Μὴ πάντα πᾶσι πιστεύειν ἀεί. Neque omnia credenda esse, neque omnibus, neque semper.

QVINCTVS

ET cum tuorum amicorum studia constitueris, tum etiam obtrectatorum, atque aduersariorum rationes, & genera cognoscito. Haec tria sunt: Vnum ex ijs, quos laesisti; alterum, qui sine caussa non amant. Tertium, qui competitorum ualde amici sunt. Quos laesisti, cum contra eos pro amico diceres, his te purgato plane: necessitudines commemorato: in spem adducito, te in eorum rebus, si se in amicitiam contulerint, pari studio, atque officio futurum spondeto. Qui sine caussa non amant, eos aut beneficio, aut spe, aut significando tua erga illos studia futura, delenies; dans operam, ut de illa animi prauitate deducas. Quorum uoluntas erit abs te, propter competitorum amicitias, alienior, his quoque inserui, oratione, qua superioribus. et, si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos beneuolo esse animo, ostendito.

EXPLANATIO

ET *cum tuorum amicorum.* } Nemo umquam ita ab omni parte omnibus probatur, quin habeat aliquos aemulos, & obtrectatores, qui ei aduersentur. ergo, ut parare amicos, sic aduersarios lenire necesse est, de hoc igitur nunc. Horum tria sunt genera. Quos laeserit. Qui sine caussa non amant. Qui competitoribus sint amici. Primis se se purgare. Alteros delenire. Vltimis, beneuolo nos esse animo erga. Competitores probare opus est. Et *cum tuorum amicorum.* } De quo hactenus egit. Tvm *etiam obtrectatorum.* }

Qui nos maledictis laedunt, in inuidiam adducendo. ADVERSARIORVM.} Qui aduersus nos aperte agunt: supra dixit, esse studia, quae illi aduersentur. HAEC *tria sunt*.} Nam aut cum caussa, aut sine caussa aduersantur. cum caussa, aut sua, aut aliorum. sine caussa unum est genus. QVOS *laesisti eum contra eos*.} Etiam alijs modis laesisse poterat, sed, ut caussarum defensionibus nitebatur eius petitio, sic obtrectatores ex hoc potissimum nascebantur. Nam & mordacitate dicendi, & testimonio, multos oppresserat, ut Plutarch. in uita. NECESSITVDINES *commemorato*.} Quae tibi cum eo fuerint, pro quo dixeris. IN *spem adducito*.} Ratio optima. nam cum eo pacto nos graues, & in amicitia constantes probamus: tum tales nos fore cum illis, si opus fuerit, ostendimus. Pulchre enim de parandis amicis Isocrates: Talem spera erga te fore amicum, qualis erga alios fuerit. PARI *studio*.} Hoc docet & M. Cic. lib. 2. offi. Vtendum est excusatione, inquit, aduersus eos, quos inuitus offendas, quacumque possis, quare id quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere potueris; ceterisq. operis, & officijs erit, quod uiolatum est, compensandum. STVDIO, *atque officio*.} studium animi est, officium opera probatur. coniunguntur ep. 6. & 7. lib. 1. & 24. lib. 12. fam. & ep. 1. lib. 1. ad Atticum. SI *se in amicitiam*.} Si tibi amici sint facti. M. Cic. ep. 17. lib. 7. Cum te in amicitiam meam, ac fidem contulisses. SPONDETO.} Hoc uerbum aut uacat, nam satis est In spem adducito; aut separatim pronunciandum est, Vt in spem adducat: tum & spondeat etiam. QVI *sine caussa non amant*.} Praua aliqua animi inductione, nulla nostra culpa. ep. 17. lib. 2. Bibuli uoluntas a me sine caussa abhorreret. AVT *beneficio, aut spe*.} supra, Beneficium aut habeant, aut ut habeant sperent. DELENIES.} Mulcebis, flectes. sic pro Milone: Plebem tribus patrimonijs deleniret. DANS *operam, ut*} Non dixit, Delenies, ac deduces, sed dans operam, ut deducas, quasi rem arduam ostenderet. DE *illa prauitate deducas*.} demoueas, abstrahas. Sic Deducere de sententia ep. 5. lib. 2. Att. Ab eo deduci non potest, ep. 1. lib. 1. fam. QVORVM *uoluntas*.} Vide uarietatem. Quos, Qui, Quorum. VOLVNTAS *alienior*.} Aduersa, inimica. usurpatum est comparatiuum, pro positiuo. quod nouum non esse uel Plutarch. obseruauit Symposiacon lib. 5. quaestione 4. Sic M. Cic. ep. 17. lib. 2. Sin a me est alienor. HIS *quoque inserui*.} Non desperandum est, sed patientia uincendum. INSERVI} Alij, Inseruito legunt, ut respondeat ad illud Ostendito. Sed libri scripti habent Inserui, & fortasse rectius. nam illud Inseruito insuaue est auribus, & haec temporum uariatio, supra etiam habetur; Cura, ut tui cupidi sint, elaborato &c. ORATIONE *qua superioribus*.} Significando tua erga illos studia futura. ET, SI *probare poteris*.} Te amicum esse amicorum illorum, ualde proderit. nam minus acerbe contra te agent; si probare, inquit, poteris, ne uidearis aperte mentiri. Nam uix uerisimile uidetur.

QVINCTVS

QVONIAM de amicitijs constituendis satis dictum est, dicendum de illa altera parte petitionis, quae in populari ratione uersatur. Ea desiderat Nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem in rep. Primum, id quod facis, ut homines noris significa; ut appareat, & auge, ut quotidie, melius fiat. Nihil mihi tam populare, neque tam gratum uidetur. Deinde id, quod natura non habes, indue in animum, ita simulandum esse, ut natura facere uideare. Non comitas tibi necesse est ea, quae bono, ac suaui homine digna sunt; sed opus est magnopere blanditia; quae, etiam si uitiosa est, & turpis in cetera uita, tamen in petitione necessaria. Tibi enim cum deteriorem aliquem assentando facit, improba est; cum amiciorem, non tam uituperanda. Petitori uero necessaria est, cuius & frons, & uultus, & sermo ad eorum, quoscumque conuenerit, sensum, & uoluntatem commutandus est.

EXPLANATIO

QVONIAM.} Petitionem magistratuum in duas partes diuisam esse iam dixit, quarum altera in amicorum studijs, altera in populari uoluntate posita esset. De amicis hactenus. Nunc ad alteram, qua populi uoluntas conciliatur, transit. Proponit ergo sex, quae ad id faciunt, & de singulis in tota hac parte agit. Prima uersatur in cognoscendis ciuibus, & suo nomine appellandis: quod gratissimum populo esse dicit: Secunda in quadam simulatione, qua se standum hominibus ostendat, etiam si non sit. quod alio tempore uitiosum esse fatetur, in petitione etiam necessarium. DE *amicitijs*.} Aldi liber scriptus habet Amicis. supra dixit iterum, Constituere amicitiam. Itaque hoc probatur. DICENDVM.} Vsitatus epilogus, cum praeparatione ad futura, quam transitionem uocat auctor ad Herennium lib. 4. Haec, cum ostendit breuiter quid dictum sit; proponit, item breuiter, quod consequitur. IN *populari ratione*.} Quae ad populum in uniuersum pertinet, non ad singulos amicos. EA *desiderat*.} Singula si ponderentur, & necessaria, & bono ordine posita uidebuntur. SPEM *in rep*.} Liber scriptus legit Spem in remp. Lambinus correxerat Speciem in rep. quia uerba illa infra posita, Cura, ut petitio tota pompae plenae sit, ad hoc uideantur respondere. Sed nullam uideo mutationis necessitatem, cum consentiant omnes libri, cumque huic membro respondeant illa: Atque etiam uidendum, ut spes reip. bona de te sit. Praeterea praeceptum hoc de spe reip. de Cicerone necessarium omnino uidetur. Illa autem de specie, & pompa ad epilogum spectant, ut suo loco dicemus. PRIMVM.} Hoc ad Nomenclationem attinet. ID *quod facis*.} Ita monet, ut eum potius laudet, & comprobet, quod facit, quam moneat. Ouid. lib. 5. eleg. 2. Trist. Qui monet ut facias, id quod facis, ille monendo, Laudat, & hortatu comprobat acta suo. VT *noris significa*.} Eos nomine suo appellando, de hoc supra. ET *auge*}

supra

ſupra: Hos tu & noſti & facile cognoſces. Vt *quotidie melius.* } Oblitio enim nominum ad concitandam iram ualet. nam negligentiae ſignum uidetur, ut Ariſt. lib. 2. Rhet. Nihil *tam populare* } Valet ad conciliandam beneuolentiam, ſi maior minorem nomine appellet. Sic Donatus in Adelphos Terentij, ac. 5. ſc. 6. Moris eſt inferiores proprio nomine appellare, ſi blandiri uelis. Soſipatee Caeiſius ex P. Rutilio Rufo: Pompeium elaboraſſe, refert, ut populum Romanum noſſet, eumq. artificioſe ſalutaret. Iſocrates etiam Demonicum ſuum monet, ut in appellando, ſalutandoq. comis, atque affabilis eſſe uelit. & M. Cic. lib. 2. offic. Difficile dictu eſt (inquit) quantopere conciliet animos comitas, affabilitasq. ſermonis. Deinde *id, quod natura.* } Hoc ad blanditiam pertinet, in qua ſimulandum eſt, & aſſentandum hominibus. Natvra *non habes.* } ep. 5. lib. 12. ad Att. ſe minime eſſe blandum dicit. Vt *natura facere uideare.* } In huius libri principio dixit, In paucorum menſium negotio, ſimulationem poſſe naturam uincere. Haec autem ſumma ars eſt, artem tegere. de hoc lib. 3. Rhet. Curandum, ut a natura dicere uideamue: hoc enim ualet ad fidem, ſin ficte, contea. Hinc Ouid. de arte: Si latet ars, prodeſt, affert depeenſa pudorem. Non *comitas tibi neceſſe eſt ea.* } Hic locus deprauatus eſt, in libris tam calamo exaratis, quam impreſſis. & licet tentatus ſit a nonnullis, non ſatis correctus eſt. Comitas primum non eſt uerbum, ſed nomen, & uirtutem illam ſignificat affabilitati coniunctam, de qua paullo ante. Itaque in libris ſcriptis habetur unico, M, & unico, T, ſcriptum. Deinde illud neceſſe eſt, hic locum non habet, ſiue rationem Latini ſermonis ſpectes. quis enim ſic loquitur, Non neceſſe eſt comitas? ſiue etiam ſententiam ſcriptoris. non enim negat neceſſariam illi eſſe comitatem, quae neceſſaria prorſus erat, ſed, cum eam habeat, opus tamen eſſe etiam blanditia dicit. Quare uidetur legendum, Non comitas tibi deeſt ea, quae bono, ac ſuaui homine digna ſit. Quod ideo dicit, quia quaedam eſt comitas adulationi proxima, quae non eſt homine bono digna. Cicero in Laelio: In obſequio comitas adſit, aſſentatio amoueatur. Verum autem eſſe, quod dicit Quinctus de Fratre, non deeſſe illi comitatem, confirmat Plutarchus, qui, in comparatione Ciceronis cum Demoſthene, ſcribit, eum ad iocos, & facetias aptum natura fuiſſe, uultumq. illius riſum, & hilaritatem quandam praeſetuliſſe. Haec ego ſic correxi, & expoſui, ut dixi. ſunt tamen, qui, uulgatam lectionem defendentes, exponant. Non comitas tibi neceſſe eſt, pro non neceſſaria eſt, non opus eſt. ideo autem non neceſſaria, quia ea abundas. quorum ego ſententiam neque damno, neque probo. Blanditia *quae etiam ſi uitioſa.* } Fatetur eſſe uitioſam, ſicut in 4. de eep. M. Cic. In ciue excelſo, atque homine nobili, blanditiam, oſtentationem, ambitionem nimiam, eſſe leuitans. & in lib. de amic. Beneuolentiam ciuium, blanditijs, & aſſentationibus colligere turpe eſſe dicit. In *petitione.* } Vt fautores compares. Tibi *enim cum deteriorem.* } Spectandus eſt finis, quo quis ad agendum mouetue. Tibi *enim.* } Illud tibi corruptum uidetur Lambinus edidit, Etenim. Mihi placet, Tunc enim. Cvm *amicorum non tam.* } Vituperanda igitue, ſed non tantum. Etiam *neceſſaria.* } Vt colligat beneuolentiam. Cvivs *& frons, & uultus.* } Proprium hoc aſſentationis, Cic. lib. de amicitia: Qui ad alterius non modo ſenſum, ac uoluntatem, ſed etiam uultum, atque nutum conuertitur. Ex *ſermo.* } Ex quo illud, Loqui ad uoluntatem.

QVINCTVS

IAm aſſiduitatis nullum eſt praeceptum; uerbumq. ipſum docet, quae res ſit. Prodeſt quidem uehementer, nuſquam deeſſe: ſed tamen hic fructus eſt aſſiduitatis, non ſolum eſſe Romae, atque in foro, ſed aſſidue petere, ſaepe eoſdem appellare, non committere, ut quiſquam poſſit dicere, quod eius ſit, conſequi poſſis, ſi abs te non ſit rogatum, & ualde, ac diligenter rogatum. Benignitas autem late patet, & eſt in re familiari, quae, quamquam ad multitudinem peruenire non poteſt, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata eſt. Eſt in conuiuijs, quae facete abs te, & amicis tuis concelebrentur, & paſſim, & tributim.

EXPLANATIO

IAm *aſſiduitatis.* } De hac pauciora tradit, quia per ſe ſatis patet, tamen magnum eius fructum eſſe dicit, ſi aſſiduus ſit Romae & in foro, & ſaepe eoſdem appellet: propoſito etiam metu iuſtae reprehenſionis, ſi ſibi defuerit. De benignitate pluribus agit, & triplicem illam facit, in ee familiari, in conuiuijs, & opera. & de ſingulis ſeparatim. Nvllvm *eſt praeceptum.* } Quid agendum ſit, Nam, ut aſſidui ſimus, uerbum ipſum indicat, de quo ſupra ex Varrone. Hinc M. Cic. tertia Verr. Vt probet emptam a Verre praeturam, non aſſiduitate paratam, dicit, eum Romae, poſt quaeſtueam, uix triduum conſtitiſſe. Contra uero pro Plancio: Valuit Plancius aſſiduitate, ualuit obſeruandis amicis, ualuit liberalitate. Fuit in oculis, petiuit. & ante dixerat, numquam eum ex urbe abfuiſſe. Prodest *quidem.* } Nam aſſiduitate, quodlibet aſſequi datur, ut eſt in Graecorum ſententijs. Non *ſolum eſſe Romae.* } Habitare in oculis dicit pro Plancio: Senſi Populum Romanum aures hebetiores, oculos acres, atque acutos habere. Atqve *in foro* } Quippe in forum conueniebant candidati, ut ſupplicarent. Val. lib. 4. cap. 5. de L. Craſſo. Saepe *eoſdem appellare,* } Nihil ueritus, ne moleſtus ſis. Inde uerbum Prenſare frequentatiuum. Non *committere.* } Quaſi tu tibi deeſſe uidearis. Qvod *eius ſit.* } Verba accuſantis negligentiam candidati. Quod eius ſit; id eſt ſuffragium illius conſequi poſſis. modo tu diligentee roges. Si *abs te non ſit rogatum.* } libri ſcripti non habent negationem,

Non.

non. Et prorsus est expungenda. ET *ualde, ac diligenter rogatum.* § Haec duplicatio necessaria est. non enim satis est, quid, sed quomodo. Nam facit cos populus, a quibus maxime est ambitus. ut orat. pro Cn. Plancio. BENIGNITAS *autem late patet.* § Idest, liberalitas ad multos extenditur, & multis modis exerceri potest. Cic. lib. 2. off. Benignitas, quae constat ex opera, latius patet. ET *est in re familiari.* § Illud, Et, in principio primi membri non placet, cum praesertim non uideam in secundo membro alterum, Et, cum quo connectatur. libri scripti habent Etiam. Puto legendum, Ea. Cic. 2. offic. Duplex liberalitatis ratio. Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia. & Terent. Phorm. act. 5. sc. 3. Paritor nunc opera me adiuues, ac dudum re opitulata es. QVAE *quamquam ad multitudinem.* § Largitio, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit; qua, quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. Cic. offic. lib. 1. TAMEN *ab amicis.* § Idem Cic. Largiendum est nonnumquam, nec omnino hoc liberalitatis genus repudiandum, sed diligenter, atque moderate. Quamquam autem largitio, quae corrumpendi populi gratia fiebat, legibus prohibebatur, erat tamen aliqua concessa largitio. Quare Romae habebant singulae tribus, legitimos diuisores, cum aliquid in populum distribuendum erat. Cic. in 2. Verr. Diuisores omnium tribuum nominat. Qui primus Romae populo, aut iudici pecuniam largitus sit, ignoratur. Plutarch. in Coriolano. EST *in conuiuijs* § Licuisse candidatis, petitionis suae caussae, conuiuia populo facere, ex hoc loco apparet. Sed mox referente Cicerone consule S. C. factum est, in quo erat, contra legem Calpurniam, quae de ambitu erat, factum uideri, si prandia uulgo essent data, ut in orat. pro Mure. QVAE *facere abs te.* § locus corruptus. Libri scripti, Quae facere oportet. Lambinus, Quae facito & abs te. Sed malim, Quae fac & abs te, & ab amicis. ET *amicis tuis.* § Tuo nomine, ut in eadem orat. pro Mur. CONCELEBRENTVR § Frequententur. Lucret. lib. 1. Quae mare nau. quae terras frug. Concelebras. & M. Cic. pro Mur. Si domus celebratur. PASSIM. § Vulgo, apud uniuersos, in eadem orat. TRIBVTIM § Tributibus tuis. in eadem orat.

QVINCTVS

EST etiam in opera, quam peruulga, & communicas cura, ut aditus ad te diurni, atque nocturni pateant, neque foribus solum aedium tuarum, sed etiam uultu, & fronte, quae est animi ianua. Quae si significant uoluntatem abditam esse, ac retrusam, parui refert patere hostium. Homines enim non modo promitti sibi, praesertim, quae a candidato petant, sed etiam large, ac honorifice promitti uolunt. Quare hoc quidem facile praeceptum est. Vt, quod acturus sis, id significes te studiose, ac libenter esse facturum; illud difficilius, & magis ad tempus, quam ad naturam accommodatum tuam; quod facere non possis, ut id iucunde neges. Quorum alterum est boni uiri, alterum boni petitoris.

EXPLANATIO

EST *etiam.* § De tertia parte benignitatis, quae opera fit; quam iubet cum omnibus liberalissime communicare. Ea condicione, ut, quod facturus sit, libenter faciat; quod facere nequeat, iucunde neget. CVRA, *ut aditus ad te diurni, atque nocturni pateant.* § Hoc est, quod se fecisse dicit. M. Tull. in orat. pro Plancio: Neminem a congressu meo, neque ianitor meus, neque somnus absterruit. & in ep. 2. lib. 6. ad Att. Aditus ad me minime prouinciales, nihil per cubicularium. Ante lucem inambulabam domi; ut olim, candidatus. Grata haec, & magna, mihiq. nondum laboriosa, ex illa uetere militiae. SED *etiam uultu, & fronte.* § Vt per fores introspicimus, & cognoscimus, quid in aedibus fiat, sic per uultum & frontem animum cernimus. Ideo suaui metaphora dixit Frontem animi esse ianuam. M. Cic. lib. 3. de orat. & in orat. Imago animi uultus, indices oculi. VOLVNTATEM *abditam esse, ac retrusam.* § Vt nulla appareat agendi uoluntas, etiam si secus loquantur. Solent autem nonnulli fronte, ac uultu simulationem facillime sustinere. Alij, cum aliud sentiant, & loquantur, non tamen tantum ualent ingenio, ut non appareat, quid cupiant. Quod de Pompeio scripsit Coelius ep. 1. lib. 8. Fam. ABDITAM *ac retrusam* § Coniungit haec duo Cic. & in Verr. & lib. 1. de orat. PARVI *refert patere ostium.* § Vt facile admittantur. Nam, ut dicit Seneca libro sexto de beneficijs, In pectore amicus, non in atrio quaeritur. Isocrates ad Demonicum, Μηδὲ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος. ὅπερ πάσχουσιν οἱ πολλοί, τοῖς ὄντες μὲν ἀηδῶς δὲ τοῖς φίλοις ὑπουργοῦντες. Id est, Neque beneficium ingrate conferens. Quod accidit multis, qui faciunt quidem, sed iniucunde amicis inseruiunt. HOMINES *enim.* § Seneca ep. 81. Non quantum fit, sed a quali uoluntate profectum perpenditur. & lib. primo. de Benef. Non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente. quia beneficium, non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, aut facientis animo. Ideo apud eundem: Gratiae ridentes pinguntur, quia promerentium uultus hilares esse debent. & lib. 2. Beneficium aspere datum, panis lapidosus uocatur. PRAESERTIM. *quae a candidato.* § Qui, quod eget aliorum opera, omnia agere debent, ut sibi omnium deuinciat uoluntates. LARGE, *ac honorifice promitti.* § Vt honos etiam habitus uideatur ijs, quibus promissum est. Scripti libri habent Atque honorifice. quod quamquam leue uidetur, tamen sciendum, obseruatum esse apud M. Ciceronem, raro, ne dicam numquam, post coniunctionem, Ac, sequi uerbum a uocali, sed fere a consonante incipiens. QVARE *hoc quidem facile praeceptum est.* § Quod obseruare facile possit. STVDIOSE, *ac libenter esse facturum.* § Cic. ep. prima lib. 15. Prius uelim tibi persuadeas, ut hoc mea caussa libenter facias, quam ut facias. ILLVD *difficilius.* § Quia contra naturam tuam. AD *tempus.* §

pus.} Petitionis tuae, cui inseruiendum est, & faciendum etiam id, quod a natura non habes, ut supra iam dixit. ACCOMMODATVM.} Aptum, conueniens. sic ep.67. lib.13. Ad meae uitae rationem accommodatum. VT *id iucunde neges.*} Ea prudentia, & iucunditate, ut negando etiam gratus uideare. Huc respicit Publij sententia: Pars beneficij est, quod petitur, bene si neges. Hoc loco membrum deesse suspicati aliqui sunt, & legerunt ex ingenio, Aut iucunde promittas, aut ingenue neges, quia sequitur, Quorum alterum est boni uiri, alterum boni petitoris; ut suo cuique membro, alterum respondeat. Ego nullius coniecturam damno; sed tamen consensum scriptorum librorum non temere reiiciendum puto. Cum praesertim illa duo, Alterum, & Alteram habeat, quo referantur, nullo nouo addito membro. Nempe ad duo praecepta, paullo ante posita. Alterum est boni uiri, quod acturus sis, id significes te studiose, ac libenter esse facturam. Alterum boni petitoris, id est, candidati, quod facere non possis, ut iucunde neges.

QVINCTVS

NAM, cum id petitur, quod honeste, aut sine detrimento nostro promittere non possumus, quomodo si quis roget, ut contra amicum aliquam caussam recipiamus, belle negandum est, ut ostendas necessitudinem, demonstres quam moleste feras; alijs te id rebus exsarcturum esse persuadeas. Audiui hoc dicere quendam de quibusdam oratoribus, ad quos caussam suam detulisset, gratiorem sibi fuisse orationem eius, qui negasset, quam illius, qui recepisset. sic homines fronte, & oratione magis, quam ipso beneficio, req. capiuntur.

EXPLANATIO

NAM, *cum.*} Ratio, cur iucunde negandum, ut conserues amicum, & quomodo id sit faciendum, docet. QVOMODO *si quis roget.*} Exempli gratia, quod autem hic in exemplum proponit, pulchre usu uenit Ciceroni, ut apparet in epist. 1. ad Att. sed parum profuit seruasse fratris praecepta, siquidem res fuit cum Caecilio homine acerbissimo, & natura difficillima, qui illi grauiter iratus est, quod eius caussam non recepit. DEMONSTRES *quam moleste feras.*} Non posse id facere, quod ille petat. ALIIS *te id rebus exsarcturum.*} Etsi libri scripti habent Exacturum, placet tamen Exsarcturum, idest compensaturum, ut illud epist. 62. lib. 13. Sed idem sarciam. Hoc ita faciendum esse, docuit ipse etiam M. Cicero lib. 2. off. ut iam a nobis relatum est. AVDIVI *hoc dicere.*} Comprobat a testimonio. GRATIOREM *fuisse orationem eius, qui negasset.*} Quoniam iucunde negasset. QVAM *illius, qui recepisset.*} Quia inuitus recepisse uideretur. SIC *homines.*} Clausula. In omnibus enim rebus uoluntatem spectare oportet, ut lib. 2. de Inuent. CAPIVNTVR} delectantur, ut ep. 15. lib. 9. Mirifice capior facetijs.

QVINCTVS

VERVM hoc probabile est. Illud alterum subdurum, tibi homine plane perito suadere. sed tamen tempori tuo consulam. Quibus enim te propter aliquod officium necessitudinis affuturum negaris, tamen ij possunt abs te placati, aequiq. discedere. Quibus autem iccirco negaris, quod te impeditum esse dixeris, aut amicorum negotijs, aut grauioribus caussis, aut ante susceptis, inimici discedunt, omnesq. hoc animo sunt, ut sibi te mentiri malint, quam negare.

EXPLANATIO

VERVM *hoc probabile.*} Aliud praeceptum, ut promittat, etiam quod facere non possit, ne sibi, si neget quemquam inimicum faciat. PROBABILE.} Tibi probari facile potest, ut belle neges. ILLVD *alterum*} Vt mentiaris. SVBDVRVM.} Idest, difficile, quod concoquere non possis. HOMINI *plane perito.*} Non uideo, quid obstet, cur homini perito non persuadeatur, ut aliquando commodi sui caussa mentiatur, cum id saepe etiam sponte sua periti homines faciant. Quare suspicor de mendo, eoque magis, quod referunt non nulli, esse libros, qui habeant, Platonico. quod nequaquam satisfacit. si esset locus coniecturae, Plane aperto, legere auderem. Apertus enim, & simplex dicitur is, cui contrarius est, obscurus, astutus, fallax, ut M. Cic. lib. 3. off. Huic autem hominum generi difficillime persuaderi potest, ut mentiantur. TEMPORI *consulam tuo.*} Notum illud Tempori seruire, Sapientes esse. & Cic. ipse ep. 1. ad Att. Aequum esse eum, & officio meo consulere, & tempori. QVIBVS *enim te.*} Hoc dicit, non temere est omnibus, & quauis de caussa negandum. Nam alij aequo animo ferent, alij inimici fient. Ferent fortasse, aequo animo, qui te impeditum officio necessitudinis sentient. Abalienabuntur, qui te aliorum amicorum negotia, & caussas, etiamsi grauiores, & ante susceptas, suis praeponere uidebunt. AEQVIQVE} Non irati. Terent. Andria ac. 2. sc. 5. PROPTER *aliquod officium necessitudinis.*} Vt contra amicum caussam recipiamus, ut supra dixit. AVT *grauioribus caussis.*} Exemplum habes in ep. 24. lib. 7. fam. Phameae caussam susceperam, is ad me uenit, dixitq. iudicem sibi operam dare constituisse, eo ipso die, quo de P. Sextio in consilium iri necesse erat. Respondi, nullo

modo

modo me facere poſſe, cum uellem; alium diem ſi ſumpſiſſet, me ei non defuturum. Ille autem diſceſſit a me, ut mihi uidebatur, iratior. SIBI *se mentiri malint.*} Nolunt quidem te ſibi mentiri, ſed minus moleſte ferunt, ſi mox praeſtare non poſſis, quod promiſeris, quam ſi ſtatim neges.

QVINCTVS

C. Cotta, in ambitione artifex, dicere ſolebat, ſe operam ſuam, quod non contra officium rogaretur, polliceri ſolere omnibus, impartire ijs, apud quos optime poni arbitraretur. idtoque ſe negare nemini, quod ſaepe accideret cauſſa, cur is, qui pollicitus eſſet, uacuus foret, pluſquam putaret, neque poſſe domum eius compleri, qui tantummodo reciperet, quantum uideret, ſe obire poſſe. Caſu fieri, ut agantur ea, quae non putaris; illa, quae credideris in manibus eſſe, ut aliqua de cauſſa non agantur. Deinde eſſe extremum, ut iraſcatur is, cui mendacium dixeris. Id ſi promittas, & incertum eſt, & in diem, & in paucioribus; ſin autem id neges, ſtatim abalienant ſe, & inimicantur. plures enim multo ſunt, qui rogent, ut uti liceat opera alterius, quam qui utantur. quare ſatius eſt, ex ijs aliquos aliquando tibi in foro iraſci, quam omnes continuo domi. Praeſertim cum multo magis iraſcantur ijs, qui negent, quam ei, quem uideant ea cauſſa impeditum, ut facere, quod promiſit, cupiat, ſi ullo modo poſſit. *

EXPLANATIO

C. COTTA.} Auctoritate Cottae oratoris probat, ſatius eſſe polliceri, ac mentiri, quam ſtatim negare, facta comparatione commodi, atque incommodi, quod ex eo conſequi poteſt. Qui negat, omnes, certe, ſtatim abalienat. Qui promittit, aliquos tantum, & non ſemper, ac tum demum, cum praeſtare oportet promiſſa, neque licet. Quod nec ſemper utantur opera noſtra omnes, qui petierint: & qui ſe uſuros ſperant, beneuoli nobis ſint, uſque ad utendi tempus, & ignoſcant facilius, ſi uideant, nos uelle ſibi operam dare, nec poſſe. C. COTTA.} Hic eſt C. Aurelius Cotta orator acutus, & ſubtilis, de quo mentio eſt & in libris de Oratore, & de claris oratoribus, & alijs in locis ſaepe apud M. Ciceronem, qui ſine ullo munere, adeptum ſe eſſe omnia, que haberentur ampliſſima, dicebat, ut lib. 2. off. ARTIFEX *in ambitione.*} Peritus in ijs, quae ad ambitionem pertinent. Sic alias Artifex comparandae uoluptatis. & Artifices ad corrumpendum iudicium. QVOD *non contra ſuum officium.*} Aliqui legunt Quoad. ſed eſt interpretatio particulae, Quod, quae interdum pro quoad, uel quatenus ponitur. Terent. Heauton. ac. 3. ſc. 1. Quod potero, adiutabo ſenem. Similis mutatio facta eſt in ep. 7. lib. 2. ad Att. Vbi impreſſi libri Quoad potes habent. ſcripti, Quod. QVOD *non contra officium rogaretur.*} Tunc enim negabat. in quo bonum uirum agnoſcis, qui ita ambitioſus erat, ut contra officium nihil ageret. APVD *quos optime poni.*} Qui poſſent gratiam referre. Et in hoc agnoſcis aſtutum. Bene ſe ponere, ſupra. ACCIDERET *cauſſa.*} Hoc uerbum Cauſſa, uidetur aliquibus redundare: ſed habetur in ſcriptis, & tale eſt, ut illud, Accidere tempus, ep. 10. lib. 3. fam. IS QVI *pollicitus.*} Cui habent ſcripti. & placet. Nam refertur ad illud, Cotta dicebat de ſe, ſaepe accidere, cur is, cui pollicitus eſſet operam ſuam, uacuus foret, ab illo nempe negotio, & moleſtia, pro qua ad patronum confugerat, pluſquam putaret, ſe fore. Ideoque non uteretur patroni opera. Haec quidem ſic exponi poſſunt. Corradus tamen in Quaeſtura refert, in non nullis libris ſic legi, Quod ſaepe accideret cauſſa, cur is, cui pollicitus eſſet, non uteretur: ſaepe ut ipſe magis eſſet uacuus, quam putaſſet. Qua lectione nihil planius. & Vacuus tum refertur ad oratorem. Putaſſet etiam eſt in Aldi libro, non putaret. NEQVE *poſſe domum eius compleri.*} Domum oratoris, multitudine clientium; & amicorum, ut illud lib. 2. ep. 16. ad Att. Cum bene completa domus eſt tempore matutino &c. TANTVM *modo reciperet.*} Negotiorum, & cauſſarum. OBIRE *poſſe.*} Exſequi. Tranſigere. Sic Obire munus, negotia. QVAE *non putaris.*} Fieri poſſe, cum promittebas. IN *manibus eſſe.*} Propinqua, in promptu, quae facile fieri poſſent. Forma dicendi ſatis uſitata apud ſcriptores Latinos. ALIQVA *de cauſſa non.*} Quia multa inter os, & offam. ut Prouerb. fertur. DEINDE *eſſe extremum.*} Si nihil accideret ex ijs, quae dixiſſet, reliquum eſſe, ut iraſceretur is, cui mendacium dictum eſſet. CVI *mendacium dixeris.*} Hic uides ueram non eſſe differentiam, quam inter Mentiri, & Mendacium dicere, ſtatuiſſe Nigidium referant A. Gellius, &. Non. Marcellus, ut Mentiri ſit eius, qui fallere conatur, Mendacium dicere, eius, qui ipſe, quantum in ſe eſt, non fallit, ſed imprudens fallitur. Nam hoc loco mendacium dicere, eſt eius, qui prudens, ac ſciens mentitur. ID, SI *promittas.*} Diſtingue poſt Id; & expone Id, ut iraſcantur ſcilicet. INCERTVM *eſt.*} Quia non ſemper fit, ut iraſcantur, ſed ignoſcant, cum uideant te non facere poſſe, quod promiſeris. ET *in diem.*} In futurum tempus, uel in longam dilationem, ut exponit Donatus apud Teren. in Eunuc. act. 5. ſc. 7. Quam ſignificationem non nouit fortaſſe Laur. Valla, ubi de In diem, & In dies egit lib. 3. Elegant. numquam enim omiſiſſet. ET *in paucioribus.*} Quia non omnes iraſcuntur. SIN *autem id neges, ſtatim &c.*} Hic locus corrupte legitur in pluribus libris. Corradus in Quaeſtura correctum edidit. Tum & Lambinus. Sic autem legendum: Sin autem id neges, & certe abalienes, & ſtatim, & plures. plures enim multo ſunt, qui rogant &c. Vbi ſingula ſingulis optime reſpondent. Certe, ad illud, Incertum eſt. Statim, ad illud In diem, Plures ad illud In paucioribus. PLVRES *enim multo.*} Ratio ex rerum humanarum mutabilitate, & hominum inconſtantia, quibus ſaepe eadem placent, moxq; diſplicent. QVARE *ſatius.*} Concluſio per collectionem iam dictorum, cum eleganti contentione, Aliquos, Aliquando: In foro, Omnes: Continuo, Domi. MAGIS *iraſcantur ijs, qui*

Nn negent.}

negent.} Quia uidentur nolle inseruire. QVAM *ijs, quem.*} Vel caeco apparet legendum, Ei. Quam si quem uideant, reposuerat Manuccius, coniectura fretus. CVPIAT *si ullo modo possit.*} Itaque accipitur pro re uoluntas. cum cupiat tantum facere, neque possit. sensus autem, qui uidetur imperfectus, supplendus est, extrinsecus assumptis, Sed nullo modo possit.

QVINCTVS

AC, ne uidear aberrasse a distributione mea, qui haec in hac populari parte petitionis disputem: hoc sequor, haec omnia non tam ad amicorum studia, quam ad popularem famam pertinere. Etsi inest aliquod dictum ex illo genere, benigne respondere, studiose inseruire negotijs amicorum, ac periculis; tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere possis. ut de nocte domus compleatur, ut multi spe tui praesidij teneantur, & amiciores abs te discedant, quam accesserint, ut quamplurimorum aures optimo sermone compleant.

EXPLANATIO

AC, *ne uidear.*} Corrigit se, quod, cum de populari ratione agat, ea dicat, quibus amici comparentur. Docet igitur haec ad utrumque pertinere. A *distributione mea.*} antea facta, cum petitionem magistratuum, in amicorum studia, in popularem uoluntatem distribuit. Egitq. de amicitijs prius. Tum ad popularem rationem accessit. ABERRASSE.} Translate: Sicut alias, Aberrare proposito, prima Tusculana. Hoc *sequor.*} Non temere hoc facio, hoc specto, hoc cogito. M. Cic. ep. 7. lib. 4. ad Att. Quid essent in decernendo secuti. & ep. 8. lib. 3. fam. Non idem uterque secutus sit. Translatum & hoc, quod respondet ad uerbum Aberrare. HAEC *omnia.*} Benignitatem dicit, & cetera, de quibus hactenus. ETSI *enim inest.*} Occurrit obiectioni, uideri quidem hoc loco multa dici, quae ad amicos comparandos faciant, sed ea caussa tantum dici, quod ijs etiam aura popularis captetur. Atque hic placet interponi coniunctionem, Enim, cuius uestigia in scripto sunt, & aliqui iam admiserunt. Ex *illo genere.*} Superiore. Vbi de amicorum studijs agitur, quae beneficijs, officijs, uetustate, facilitate, iucunditate naturae comparanda sunt. Quae eadem fere sunt cum his, benigne respondere, studiose inseruire negotijs amicorum. MVLTITVDINEM *capere.*} Allicere ad beneuolentiam. VT *de nocte domus compleatur.*} Hominum frequentia. infra, Domus ut multa nocte compleatur. SPE *tui praesidij.*} De hac spe etiam supra. VT *amiciores abs te discedant.*} Capti tua benignitate. Et est sententia facta, ad imitationem illius Terentianae, in Eunucho: Numquam accedo, quin abs te abeam doctior. licet diuersa in re: & in Terentiana nescio quid argutiae lateat. VT *quamplurimorum aures.*} Dum de te idem apud alios loquantur. Complere autem aures sermone, elegans locutio. sic 3. orat. in Rullum. Completi sunt animi, auresq. uestrae Quirites. & de somn. Scipionis. Quis est, qui complet aures meas, tantus, & tam dulcis sonus?

QVINCTVS

SEQVITVR *enim, ut de rumore dicendum sit, cui maxime seruiendum est. Sed, quae dicta sunt omni superiori oratione, eadem ad celebrandum rumorem ualent. Dicendi laus, studia publicanorum, & equestris ordinis, hominum nobilium uoluntas, adolescentulorum frequentia, eorum, qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipijs multitudo eorum, quos tua caussa uenisse appareat: Bene homines nosse, comiter appellare, assidue, ac diligenter petere, benignum, ac liberalem esse, bene loqui existimare. Domus ut multa nocte compleatur, omnium generum frequentia adsit, satisfiat oratione omnibus; re, operaq. multis. perficiatur, id quod fieri potest, labore, & arte, & diligentia, non ut ad populum ab ijs omnibus fama perueniat, sed ut in ijs studijs populus ipse uersetur.*

EXPLANATIO

SEQVITVR.} Redit ad ea, quae proposita fuerant ad popularem rationem pertinentia, ac de rumore agit, cui inseruiendum esse dicit. ualere autem ad bonam famam ea omnia, quae hactenus dicta sunt ad ipsam petitionem in uniuersum facientia; quorum breuem anacephalaeosim facit. Tum perficiendum, ut his ipsis rebus populus etiam delectetur. SEQVITVR *enim.*} Aut delendum est Enim, aut pro Enim, Nunc, legendum. Sequitur autem, idem ualet, quod Restat, aut, quod dicit M. Cicero, Consequens est. CVI *maxime seruiendum.*} Curandum, ut homines de nobis bene existiment, ac loquantur. Tale est, ut illud pro P. Sextio: Posteritati, ac gloriae seruire. AD *celebrandum rumorem.*} Ad diuulgandum, ut ipse Marcus ep. 1. ad Q. Fratrem: Constanti fama, atque omnium sermone celebratum est. DICENDI *laus.*} Prima illa quatuor ad nominis nouitatem leuandam pertinent. EORVM, *qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipijs*

multitu-

multitudo.} Haec duo continent omnia illa, quae in amicorum studijs posita sunt, quorum alij in urbe, alij extra urbem erant. ex omnibus autem amicis eos praecipue nominat, qui ab eo defensi sint, quoniam, ut dictum est, eo amicitiarum genere eius petitio maxime tuebatur. BENE *homines nosse.*} Iam haec, quae sequuntur, ad ea pertinent, quibus ratio popularis continetur, quae omnia pluribus sunt tractata. BENE *loqui existimare.*} In uerbo, Existimare, mendum est. Corradus seiungebat, Bene loqui, tum legebat, Aestimare, pro spectare. sed non placet. Lambinus in initio horum membrorum interposita coniunctione, Vt, Bene ut homines nosse, mutatisq. nonnullis casibus, prout sibi commodum fuerat, demum, Existimere, correxerat. Quam nimiam esse licentiam, non dubito, quin omnes sint existimaturi. ego unius litterae mutatione, Existimari, lego. ut dicat, ualere ad celebrandum rumorem, si existimetur bene loqui. & referat illud, quod dixit antea, Oratione homines capi. DOMVS *ut multa noctē compleatur.*} Mira uarietas. Primum per nomina, laus, studia, &c. Tum per uerba infinita, nosse, appellare, petere. Demum per coniunctiua, ut compleatur, adsit, satisfiat. SATISFIAT *oratione omnibus.*} Ex Cottae praecepto, & Ouidij etiam lib. 1. de arte: Promittas facito, quid enim promittere laedit? Pollicitis diues quilibet esse potest. RE, *operaq. multis.*} quia facta uerbis difficiliora. M. Cicero ad Q. Fratrem ep. 6. lib. 1. PROFICIATVR *id quod.*} Omnino legendum Perficiatur. Id quod fieri potest. Phrasis usitata. Valet, prout fieri potest. Sicut ep. 25. lib. 10. fam. Si interest, id quod homines arbitrantur. & 14. lib. 7. Id quod erat aequius. NON *ut ab ijs omnibus.*} Neque enim ab omnibus ijs oritur fama, sed ex alijs oritur, orta uero ab alijs alitur, & celebratur. oritur a laude dicendi, a uoluntate nobilium, & similibus. alitur comitate, & liberalitate; celebratur assiduitate, & frequentia hominum: ergo curandum, ut in ijs, quibus fama frequentatur, populus uersetur.

QVINCTVS

IAM urbanam illam multitudinem, & eorum studia, qui conciones tenent, quae adeptus es in Pompeio ornando, in Manilij causa recipienda, Cornelio defendendo, excitanda nobis sunt. quae adhuc habuit nemo, quin idem splendorem omnium, uoluntatesq. haberet. Efficiendum etiam illud est, ut sciant omnes, Cn. Pompeij summam erga te esse uoluntatem, & uehementer ad illius rationes, te id assequi, quod petis, pertinere. Postremo tota petitio cura, ut pompae plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis, ut habeat summam speciem, ac dignitatem, ut etiam si quid possit, ne competitoribus tuis exsistat aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia.

EXPLANATIO

IAM *urbanam.*} Ne pars ulla populi in epilogo praetermissa uideatur, Plebis etiam urbanae mentionem facit. eiusq. studia & excitanda esse, & quomodo id fiat, docet. Ad extremum curandum, ut in petitione illius summa dignitas, in competitoribus infamia aliqua appareat. QVI *conciones tenent.*} Qui in concionibus semper adsunt. Hos Concionarium populum uocat ep. 4. lib. 2. ad Q. Fratrem, & Concionalem hirudinem aerarij, ep. 14. lib. 1. Att. IN *Pompeio ornando.*} Quod fecit in orat. pro lege Manilia. ut dicit ipsemet Marcus in oratore. MANILII *causa recipienda.*} Manilius ille est, qui legem de bello aduersus Mithridatem Pompeio mandando tulerat, ob eamq. rem, & erat plebi gratus, & senatui inuisus. accusatus itaque est, & a Cicerone eius defensio suscepta. de quo uide Plutarchum in uita Ciceronis, & Dionem lib. 36. & in prima Corneliana. Apud Nonium, in uerbo, Profitetur. Mentio est orationis pro Manlio. Vbi legendum puto, pro Manilio, & de hac caussa intelligi. CORNELIO *defendendo.*} Qui accusatus fuerat de maiestate, propter ea, quae gesserant in tribunatu. De quibus Dio lib. 36. & Asconius in argumento orationum pro ipso Cornelio. EXCITANDA *nobis sunt.*} Hic soloecismum agnoscit Corradus. Multitudinem, & studia excitanda sunt. quare Multitudo urbana, legendum censet. Quid, si sermo sit figuratus? ut illud Virgilij: Vrbem quam statuo uestra est. & illud Plauti: Naucratem, quem conuenire uolui, in naui non erat. & Terentij: Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit? & quod profertur ex ep. 3. lib. 6. ad Atticum et etiam in meo scripto: Scaptius, qui fuit in Cappadocia, puto esse satisfactum. Sic & hoc loco. Multitudinem, & studia, quae adeptus es: quamquam mollior esset oratio, inuerso ordine: Quae adeptus es in Pompeio ornando multitudinem urbanam, & studia, excitanda sunt. QVAE *adhuc nemo habuit.*} Ergo tanto magis pro ijs laborandum. SPLENDOREM *omnium, uoluntatesq. haberet.*} Quasi hos ceteri sequerentur, quod mirandum non est: sunt enim (ut inquit M. Tullius pro Murena) comitia populi, ac multitudinis. POMPEII *summam erga te esse uoluntatem.*} Cum enim esset Pompeius populo gratissimus, populus ei fautorus fuisset, in quem Pompeij uoluntatem propendere cognouisset. ET *uehementer ad illius rationes.*} Nam, cum eo tempore Pompeius bellum cum Mithridate gereret, fieri posse uidebat, ut eius res gestae, laus, & honor earum in M. Cic. consulatum inciderent. id quod factum est, Nam confecto bello Mithridatico, repente consule Cicerone, decem dierum supplicatio Pompeio directa est. M. Cic. de prouincijs consularibus. POSTREMO *tota petitio.*} Haec ad illam partem pertinent. ubi de affectatione egit, ubi eum quotidiana, cuiuscumque generis frequentia uti iussit, quod ea magnam opinionem, magnam laudem petitori afferret. POPVLARIS *sit.*} Splendorem, & plausum popularem habeat, & populo grata uideatur, VT *etiam si quid possit, ne competitoribus.*} Ne illud quidem in epilogo praetermittendum duxit, quod de competitorum uitijs dictum fuerat, quibus illum plurimum adiuuari posse existimabat. ETIAM *si quid possit ne.*} Locus corruptus, quod ab aliis aliter corrigitur. ego sic putabam: ut

etiam si qua possit, in competitoribus tuis exsistat infamia, mutato Quid in Qua. & ex Ne, facto In. Nam negatiua nulla hic requiritur. Avt *sceleris.* § Vt in Catilina. Avt *libidinis.* § Vt in Antonio. Avt *largitionis.* § Vt in celiquis. Accommodata *ad eorum mores.* § Nam, ut inquit Tullius, orat. pro Sex. Roscio. Vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni uita nascitur. Alia igitur aliis infamia pro eorum moribus accommodatior.

QVINCTVS

Atqve etiam in hac petitione maxime uidendum est, ut spes reip. bona de te sit, & honesta opinio. Nec tamen in petendo, resp. capessenda est, neque in senatu, neque in concione. Sed haec sunt tibi retinenda, ut senatus te existimet, ex eo, quod ita uixeris, defensorem auctoritatis suae fore. Equites Romani boni, & locupletes, ex uita acta, te studiosum otij, ac rerum tranquillarum: multitudo ex eo dumtaxat, quod oratione in concionibus, ac iudicio popularis fuisti, te a suis commodis alienum non futurum.

EXPLANATIO

Atqve *etiam in hac petitione.* § Nunc tandem de sexto illo membro agit, quod ultimo loco positum fuerat, ut bona de illo spes sit in rep. Quod alij in Speciem, non satis apte mutauerant. Atque in hoc itidem, ut in aliis, monet, quae cauenda, quae facienda sint. Spes *reip. bona de te sit.* § Vt bene de te speret. Honesta *opinio.* § Vt nihil non honestum, & rectum te facturum homines existiment. sic lib. primo Rhet. Si de his quam honesta sit existimatio ostendetur. Hoc autem tantam uim habet, ut, si sileat ambitus, idest nulla sit inter competitores contentio, quaeri tantum soleat, quid optimi uiri de candidatis sentiant, ut scribit M. Tullius lib. 3. de legibus. Nec *tamen in petendo resp. capessenda est.* § Tempore petitionis, ne quemquam forte offendas, qui tibi postea aduersetur. Hoc se fecisse scribit alias, cum periculum a Clodio impenderet ep. 22. lib. 2. ad Att. Rempub. nulla ex parte attingimus. & 23. Nos publicis consiliis nullis interfuimus. & ep. 8. lib. 2. ad Q. Fratrem: Ego me libenter a curia, & ab omni parte reip. subtraho. Et cum accusaturus esset Verrem, & aedilitatem peteret. Agere, inquit, quae ad iudicium pertinebant libere comitiorum metu deterrebar. 2. Verr. Neqve *in concione.* § Ad populum, immo multi a republ. prorsus recesserunt, alii inuidiam, alii laborem uitantes. Pythagoricum illud obseruantes, A fabis abstineto. quos damnat M. Cicero primo off. Ex *eo quod ita uixeris.* § Ex ante acta uita, in qua te bonarum partium esse ostendisti. quod in initio statim sui consulatus se facturum pollicitus est, cum pacem, tranquillitatem, otium se afferre pronunciauit. orat. 2. contra Rullum. Te *studiosum otij, ac rerum tranquillarum.* § Hoc est enim, quod maxime exoptant uiri locupletes, ut suis rebus in otio fruantur: Contra uero, quibus opes nullae sunt, odio suarum rerum mutari omnia student, turba, atque seditionibus sine cura aluntur. Quoniam egestas facile habetur sine damno. Sall. in Catil. Mvltitvdo *ex eo.* § Tertius ordo Ciuium, quibus praecipue probantur ii, qui de plebis commodis cogitarent. Sed, quoniam huiusmodi homines fere apud bonos male audiebant, quod ut plurimum seditiosi essent, & legum perniciosarum auctores, ideo oratione dumtaxat popularem fuisse illum dixit, cum de repub. cum optimatibus senserit, ut dictum est. Te *a suis commodis alienum non futurum.* § λιτότης, minus dicit quam significat. ut illud, A nostris studiis non abhorret. ep. 22. lib. 13. Pro Sex. Roscio Am. Vt ne a litteris quidem alienus esses, atque in eo uarietati inseruiuit, prius enim dixit. Defensorem auctoritatis foro. Tum studiorum otii. Mox non alienum a suis commodis. Sciendum autem ob eam spem praecipue, quae de Ciceronis uirtute erat in rep. eum ad consulatum, & a patribus; & a plebe sublatum, cum de Catilina, eiusq. consilijs, graues rumores dissipati essent, ut apud Plutarch. legitur.

QVINCTVS

Haec mihi ueniebant in mentem de duabus illis commotionibus matutinis, quo tibi quotidie ad forum descendenti meditandum esse dixeramus. Nouus sum, consulatum peto. Tertium restat, Roma est. Ciuitas ex nationum conuentu constituta, in qua multae insidiae, multa fallacia, multa in omni genere uitia uersantur. Multorum arrogantia, multorum contumacia: multorum maleuolentia: multorum superbia; multorum odia, ac molestia perferenda est. Video esse magni consilij, atque artis, in tot hominum, cuiusque modi uitijs, tantisq. uersantem, uitare offensionem, uitare fabulam, uitare insidias. esse unum hominem accommodatum, ad tantam morum, ac sermonum, ac uoluntatum uarietatem. Quare etiam atque etiam perge tenere istam uiam quam instituisti. excelle dicendo. hoc & tenentur Romae homines, & alliciuntur, & ab impediendo, ac laedendo repelluntur.

EXPLANATIO

Haec *mihi ueniebant in mentem.* § Breui epilogus partium praecipuarum totius operis. ex quibus pertractatis duabus. Tertiam aggreditur de loco, in quo petit, enumeratis itaque incolentium uitijs, summa

ma opus esse prudentia dicit; ut ita caueantur, ne noceant. unum autem eum habere praesidium, quo hominum alios alliciat, alios a laedendo repellat, dicendi artificium, quod eum diligenter retinere uult. De *duabus illis commotionibus matutinis.* } Commotionibus, habent libri nostri, & scripti, & impressi; Corradus in alijs legi dicit Commotionibus. quae lectio melior uidetur, sed omnium fortasse optima erit, Commentationibus, id est cogitationibus, uel meditationibus. Consentit enim cum illis uerbis. Ciuitas quae sit cogita, & ad forum tibi descendenti meditatum sit. uult enim ipsum Ciceronem haec commentari, atque animo agitare. Qvo *tibi.* } Quatenus, quod attinet ad illud, Quod dixeramus. Civitas *ex nationum conuentu constituta.* } Aliter in alijs ciuitatibus agendum: ubi habitatores indigenae potius sint, quam aduenae, & uniusmodi fere moribus utantur. at Romae aliter, quae ex diuersorum hominum conuentu constat. Nam & ab initio condita ab ijs, qui cum Romulo fuerunt ciues Albani, & eorum locorum pastores; Tum uero paullatim aucta, confluente in Asylum multitudine perditorum hominum. demum incrementa accepit ingentia, acceptis in ciuitatem Sabinis, Tusculanis, Aequis, Hernicis, Volscis, & ceteris, qui eo migrare uoluerunt. Nam, ut dicit in orat. pro Cornelio Balbo, Numquam est intermissa a Romanis largitio, & communicatio ciuitatis. Mvlta *in omni genere uitia uersantur.* } Prout necesse est, ubi ex diuersis locis homines in unum conueniunt. De turba porro Romana pulchre Seneca lib. de Consol. ad Alb. cap. 6. Maxima pars illius turbae patria caret. ex municipijs, & colonijs suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. alios adducit ambitio, alios necessitas officij publici, alios imposita legatio, alios luxuria, opulentum, & opportunum uitijs locum quaerens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula, quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendendae uirtuti nacta materiam: quidam uenalem formam attulerunt, quidam uenalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in urbem, & uirtutibus, & uitijs magna pretia ponentem. Haec Seneca. prudenter itaque fecisse putantur Spartani, qui & ciuibus suis, ne peregrinarentur; interdixerunt, ne mores peregrinos addiscerent; & peregrinos ipsos urbe arcuerunt, ne mali aliquid ciues edocerent. ut Plutarchus in Laconicis institutis. Mvltae *insidiae.* } Hae occulte laedunt. Mvltorvm *arrogantia,* } Haec uero palam. Magni *consilij, atque artis.* } Differunt haec, nam consilio utitur, qui honestis rationibus, arte uero, qui etiam dolo agit. M. Cicero ep. 16. lib. 9. Non satis est consilio pugnare, artificium quoddam excogitandum est. & Diuinat. in Verrem. Numquam ille me opprimet consilio, numquam ullo artificio peruertet. Cvivsqve *modi uitijs.* } Cuiusque modi, Cuius uis generis. sic 6. in Verrem. Tot homines cuiusque modi, apud Sallust. Et Cuiusque modi, & Cuiuscumque modi. idem est. Vitare *offensionem.* } Ne quemquam offendas, effugere offensionem, dicit ep. 4. lib. 4. fam. Vitare *fabulam.* } Ne fias uulgi fabula. Horat. Od. 11. Per urbem fabula quanta fui? Ouid. lib. 4. eleg. 10. de Tristibus. Nomine sub nostro fabula nulla fuit. Esse *unum hominem accommodatum ad tantam.* } Qui hoc praestare posset, Polypi mentem obtinere prouerbio dicitur. Qualis fuit Vlysses, qui ob id πολύτροπος uocatur. Demosthenes dixit, Rem omnium difficillimam esse, multis placere. Qui sapit, innumeris moribus aptus erit. Ouid. lib. 1. de arte. Perge *tenere istam uiam.* } M. Tullius in orat. pro Cn. Plancio. Vt te ad cursum istum tenendum, quem a prima aetate suscepisti, cohortentur. In 2. de legibus. Istam rationem, quam coepisti, tene. Excelle *dicendo.* } Haec est uia, quam tenere illum iubet. & bene coniungit extrema cum primis. dixit enim in initio: Quoniam ab hac laude proficisceris, & quidquid es, ex hoc es, paratus ad dicendum uenito. Tenentvr *homines.* } Aut delectantur, ut illud, Iisdem studijs tenentur, ep. 33. lib. 7. fam. Aut Tenentur, pro retinentur. ut hoc ad illos referatur, qui sunt amici. Alliciuntur, ad eos, qui nondum sunt amici, repelluntur ad inimicos.

QVINCTVS

E*T, quoniã in hoc uel maxime uitiosa est ciuitas, quod largtione interposita, uirtutis, ac dignitatis obliuisci solet, in hoc fac, ut te bene noris, id est, ut intelligas, eum esse te, qui iudicij, ac periculi metum maximum competitoribus afferre possis. Fac itaque, ut se abs te custodiri, atque obseruari sciant; cũ diligentiam tuam, tum auctoritatem, uimq. dicendi, tum profecto equestris ordinis erga te studium pertimescent. atque haec ita te uolo illis proponere, ut uideare occasionem non meditari, sed ut hoc terrore facilius, hoc ipsum, quod agis, consequare. Et plane sic contende omnibus neruis, ac facultatibus, ut adipiscamur, quod petimus. Video esse nulla comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquae centuriae renuncient suos maxime necessarios.*

EXPLANATIO

ET, *quoniam in hoc.* } Romanae ciuitatis uitia generatim complexus est, nunc de illo uno, quo maxime erat corrupta, idest largitione loquitur. Proposita ratione, qua ei sit occurrendum. Nempe iniecto terrore accusationis, aduersus eos, qui ea usi fuerint. In *hoc uel maxime uitiosa.* } Itaque illud uulgo iactabatur, Romae uenalia esse omnia, apud Sallust. & Iuuenal. sat. 3. Omnia Romae Cum pretio. Virtvtis, *ac dignitatis obliuisci.* } Homines, in quibus uirtus sit, ideoq. dignos praeterire, & despicere solet, honores autem illis dare, a quibus plurimum acceperit. Vt cum Vatinium praetorem fecit, Catone neglecto. Haec autem fuit praecipua Romanae reip. pernicies. ex quo dictum est, Illum primum Romanum populum perdidisse, qui primus ei epulum, largitionemq. dedisset. Plutarch. in Coriolano. Fac, *ut te bene noris.* } Respicit ad celebre dictum. Nosce te ipsum, quod non ad arrogantiam minuendam solum dictum est, uerum etiam ut

bona

bona nostra norimus, ut dicit M.Tullius ad Q.Fratrem lib. 3.ep. Et Graecus uersiculus, *Τό γ᾽ ὧδε πανταχοῦ σε χρήσιμον*, in omnes partes hoc ualere docet. IDESD *ut intelligas.* § Interpretatio, qua utitur saepe M. Cicero, uerbo, aut sententia ambigua prius posita, ut ep. 19. lib. 5. & ep. 1. & 8. lib. 9. fam. Hoc igitur dicit; Cognosco te ualere eloquentia, & qui facile possis in iudicium trahere, ac damnare competitores tuos, si largitione usi fuerint. Quare inijce illis hunc timorem. METVM *maximum.* § Mannuccii liber scriptus, Maxime habet. hoc sensu. posse cum aliis etiam, sed competitoribus maxime metum afferre. FAC *itaque, ut se abs te custodiri.* § Sic enim cauebunt, ne committant, ut accusari possint. CVM *diligentiam tuam.* § In obseruando. TVM *auctoritatem, uimq. dicendi.* § In accusando. TVM *profecto equestris ordinis erga te studium.* § In iudicando. Nam tres eo tempore ordines iudicabant. Senatores. Equites. Tribuni aerarij. Asconius. ERGA *te studium.* § De quo supra, in principio. ATQVE *haec ita te uolo.* § De modo, quo agendum sit. nam summa prudentia opus est. VT *uideare occasionem non meditari.* § Placet quod in nonnullis legitur: Non ut uideare accusationem meditari. nam sic loquitur in orat. pro Murena: Simulatq. candidatus accusationem meditari uisus est, honorem uidetur desperasse. quibus uerbis locus hic pulchre & emendatur, & declaratur, subdita caussa, cur meditari accusationem eo tempore non debeat. de qua iterum in eadem oratione: Non placet mihi inquisitio candidati, praenuncia repulsae. pro meditari accusationem, cogitare etiam dicit in eadem. HOC *ipsum quod agis consequare.* § Vt eos tantum a largitione absterreas. ET *plane.* § Extremum praeceptum, idque maxime generale. Plane autem non aperte significat, sed prorsus, quantum potest. ut in libro de claris orator. Perfecte, planeq. eruditus. CONTENDE *omnibus neruis, ac facultatibus.* § Omnibus uiribus enitere. Translatio, qua supra etiam usus est, cum dixit: Homines qui sine neruis sint. AC *facultatibus.* § Hoc uerbo proprio declarauit translatum. in ep. fam. lib. x. Cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? VIDEO *esse nulla comitia.* § Plurimum quidem ualet in comitijs largitio, sed uideo tamen aliquas semper esse centurias, quae se integras seruent, & suis amicis, sine ulla spe largitionis, sponte suffragentur. COMITIA *inquinata largitione.* § Corrupta. Largitio enim in malam partem capitur, ut liberalitas in bonam. lib. 2. de oratore. GRATIS. § Sine mercede. Vnde comitia, & suffragia gratuita, quae sine ulla mercede habentur. RENVNCIENT. § faciant, declarent. Renunciare. uerbum est comitiorum; proprium eius, qui comitia habet, & qui, antequam populum dimittat, qui nam creati sint, pronunciat. M. Tull. pro Murena: Comitijs centuriatis consulem renunciatum. & pro domo sua: A L. Pisone consule praetorem renunciari. Praeco etiam renunciare dicebatur, cum toties creatum aliquem proclamabat, quoties singularum centuriarum suffragia erant numerata. M. Tull. ult. Verr. Tu cum esses praetor renunciatus, non ipsa praeconis uoce excitatus es, qui te toties seniorum, iuniorumq. centurijs illo honore affici pronunciauit. Dicebatur demum populus renunciare aliquem, cui suis suffragijs magistratum mandasset. ut hoc loco. & 2. Philip. de comitijs Dolabellae: Prima classis uocatur: renunciatur. SVOS *maxime necessarios.* § In scriptis, Suos sibi maxime necessarios, habetur, quod non est in excusis. de quo monendum lectorem duxi. Si quidem non ineleganter dictum uideri possit.

QVINCTVS

QVARE, si aduigilamus pro rei dignitate, et si nostros, ad summum studium beneuolos excitamus, et si hominibus studiosis, gratiosisq. nostri suum cuique munus describimus, & si competitoribus iudicia proponimus, si ex equestribus metum inijcimus, diuisores ratione aliqua coercemus; perfici potest, ut largitio nulla fiat, aut nihil ualeat.

EXPLANATIO

QVARE *si aduigilamus.* § Conclusio huius partis, cum congerie earum rerum, quibus occurri possit largitioni, si tantum studij adhibeat, quantum res postulat. hinc amicos excitando, & suum cuique munus distribuendo, inde competitoribus minitando, & omnes, qui in largitionibus operam praestant, deterrendo. PRO *rei dignitate.* § Solon: Quod praeclarum est, accurate agendum. Erat autem haec res maxima, ut dixit in ep. 1. ad Att. *Εὕδειν οὐκ ἐπέοικεν* ex Iliad. x. Tale & illud: Pro magnitudine rei celeritatem adhibens. ep. 21. lib. x. Fam. Ideoq. usus est uerbo composito aduigilamus. Vbi, Ad, habet uim auctiuam. Sicut Terent. Phor. act. 1. sc. 4. Tanto magis te aduigilare aequum est. AD *summum studium beneuolos excitamus.* § Vt qui nobis tantum bene uolunt, incitentur ad summum studium praestandum. HOMINIBVS *studiosis, gratiosisq. nostri.* § Videtur in his uerbis ordo inuersus. Legendum itaque recte monuit Paullus Mannuccius, Gratiosis, studiosisq. nostri. non enim dicimus Gratiosus nostri, sed Studiosus nostri. Sic etiam praepostere positum fuisse constat Consul & Censor. ep. 21. lib. 1x. Fam. SVVM *cuique munus describimus.* § Assignamus. Mandamus, quid quemque facere uelimus, & curare. supra: Vt descriptum, ac dispositum suum cuique munus sit. onera descripta mulis. pro C. Rabirio Post. SI *competitoribus iudicia proponimus.* § Id est, poenam iudiciorum; & fore, ut, si contra leges petierint, in iudicium a nobis uocentur. SI *ex equestribus.* § Locus corruptus in omnibus, quem miror non correctum fuisse, cum & mendum cognoscere facile sit, nec difficilis correctio. Est igitur legendum, Si sequestribus. sunt enim Sequestres, apud quos pecunia deponitur, qua corrumpenda sint suffragia. Vt Asconius in orat. in Verrem. DIVISORES *ratione aliqua coercemus.* § Post Sequestres nominat diuisores. nam apud illos pecunia deponitur a candidato, ab ijs uero populo diuiditur. ideoq. coniunguntur in orat. pro Plancio: Vnam tribum delige, doce per quem sequestrem, quo diuisore corrupta

sit. &

sit.& in eadem antea, Sequestrem fuisse, pronunciasse, diuisisse. ALIQVA *ratione.* ȝ Vt pote minis. Vt fecit iam in secunda in Verrem. AVT *nulla fiat.* ȝ Coercitis ijs, a quibus fieri posset. AVT *nihil ualeat.* ȝ Etiam si fiat, cum plus poterit studium amicorum, ut in aedilitatis petitione itidem accidit, nam oppugnatus pecunijs Verris, non tamen deijci aedilitate potuit. ut in 2. orat. in Verrem.

QVINCTVS

HAEC sunt, quae putaui non melius scire me, quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse, & ad te perscripta mittere. Quae tamen etsi ita scripta sunt, ut non ad omnes, qui honores petant, sed ad te proprie, & ad hanc tuam petitionem ualeant, tamen tu, si quid mutandum esse uidebitur, aut omnino tollendum, aut si quid erit praeteritum uelim hoc mihi dicas. Volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

EXPLANATIO

HAEC *sunt.* ȝ Clausula operis, in qua, ut extrema cum primis connectat, breuiter repetit caussam, cur se ad haec scribenda accinxerit. ipsumq. opus a M. Cicerone ita corrigi petit, ut nihil omnino ei ad perfectionem desit. HAEC *sunt.* ȝ Delectatur huiusmodi clausulis in fine librorum etiam M. Tull. ut in 3. de Nat. Deorum. Haec fere dicere habui. & in lib. de Senect. & Amicitia, nec non in Oratore ad Brutum. Pulcherrima uero illa in 3. off. Habes a patre manus, Marce fili. HIS *tuis occupationibus.* ȝ Si ad praescriptum grammaticorum loquendum esset. Istis tuis dicendum foret. Quod Hic ad primam personam, Iste ad secundam referri doceant. sed pluris esse debet antiquorum auctoritas, qui aliter locuti sunt. ut Terent. in Andria act. 3. A me opinionem hanc tuam esse amotam uolo. & Cicero in Epist. lib. 9. fam. Equidem hos tuos Tusculanenses dies. &, His tuis factis sic incensus sum. Et hic noster paullo post, Ad hanc tuam petitionem. & supra, Hoc tuo tempore. Occupationes uero intelligit caussarum defensiones, quibus fere semper distinebatur. VNVM *in locum.* ȝ In principio dixerat, Sub uno adspectu ponerentur. & in lib. de claris oratoribus, Vno in conspectu omnia uiderem. QVAE *tamenetsi.* ȝ Ita legendum aliqui affirmant, licet scripti habeant Tametsi contractum. alij etiam omittunt illud, Etsi, quorum opinio non placet. Tamenetsi habetur etiam ep. ult. lib. 4. fam. & ep. 17. lib. 5. ad Att. VT *non ad omnes, qui honores.* ȝ Neque enim omnes sunt homines noui, aut oratores, ut M. Cicero. neque omnes tales habent competitores, quales Cicero. ideo Ad te proprie dicit. TAMEN *tu, si quid mutandum.* ȝ Etsi non omnes eo sunt usuri, uolo tamen id omnibus probari. ideoq. omni ratione emendari. Emendatoris autem triplex est munus, ut Quinctil. docet lib. 10 cap. 4. Adijcere, Detrahere, Mutare. Mutare quod minus deceat. Detrahere, quod superuacaneum sit. Demum addere, quod omissum uideatur. Quae omnia aperte hic habes. Tanguntur etiam a M. Tullio in 3. de orat. cum dicit, Quidquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris. VELIM *hoc mihi dicas* ȝ Vt, te monente, corrigi possit. Alias etiam emendari, atque edi suos annales a fratre petijt. ut est ep. 16. lib. 2. ad Att. Sumant autem hinc sibi praeceptum adolescentes; atque adeo omnes, quibus curae est ea scribere, quae, cum in hominum manus peruenerint, legi possint, ut aequo animo ferant sua scripta a doctoribus emendari, cum uideant id praestantissimos uiros factitasse, ut praeter Quinctum, ipsum etiam Marcum, qui suarum orationum Aristarchum uocat Atticum, ut faciendum esse docet Horat. in Poet. & qui, quod docuit, etiam re uidetur praestitisse, cum Albium Tibullum sermonum suorum iudicem nominat. Sciant uero nulla in re facilius homines amore sui decipi solere, quam in iudicandis ijs, quae ex suo ingenio pepererint; & ad eruditionem plus proficere amici, & docti hominis diligentem emendationem, quam diuturnum eius studium, qui se emendatori subijcere recuset. Equidem, si quid umquam profeci, quod perexiguum esse non inficior, sed quantulumcuque illud est, profiteor me fidelibus monitis, & doctis correctionibus Francisci Morandi I. C. debere, cuius cum esset iudicium peracre, & doctrina non uulgaris, tantus erat animi candor, ut dissimulare nihil posset, quod scriptori notam aliquam allaturum suspicaretur. Afficiebatur enim non secus erga aliena scripta, quam si propria fuissent. Idque cum in ceteris, tum praecipue in carminibus praestabat. In quibus, & scribendis, & diiudicandis excellebat. Sed non est mihi propositum huiusce uiri uirtutes describere, quae & per se notae satis sunt, & clarioribus monumentis testatae. Volui tantum doctori optimo, & amico integerrimo, meritae etiam in hac parte laudis testimonium reddere. Ad prima redeo. Neque magnos posse in scribendo profectus illum facere, qui turpem putet in scriptis, metuatq. lituram, ut ait Horat. Neque ullos patientius reprehendi, quam qui maxime laudari merentur. ut est apud Plinium lib. 7. epist. VOLO *enim hoc commentariolum.* ȝ Sciant lectores in antiquis libris legi, Volo enim hoc mihi commentariolum. ubi Mihi, ad ornatum insertum suspicarer, ut saepe apud Terentium, M. Tullium, Liuium: nisi imprudenter a librario inculcatum uiderem, ex praecedentibus uerbis, Velim hoc mihi dicas. COMMENTARIOLVM. ȝ Nomine ipso indicat, quale sit hoc opusculum, nempe in quo summatim capita quaedam rerum sint comprehensa. Hoc enim ualet Commentarium. OMNI *ratione perfectum.* ȝ Ita, ut alijs etiam hominibus in suis petitionibus usui esse possit. & artificiose eo uerbo opus absoluit, quo non perfectio rei solum, sed & finis significatur. Talis est finis libri de somnio Scipionis: Ille discessit, ego somno solutus sum. & lib. 2. de Finib. Finem fecimus & ambulandi, & disputandi. & in 4. de

Finib. & in 2. de Diuinat. Quæ cum eſſent dicta, diſceſſimus: Quod imitari etiam uoluit, ut alia quamplurima, quiſquis ille fuit, (nam fuiſſe Ciceronem mihi non ſit uerisimile) qui libellum De conſolatione, noſtro tempore edidit. Hoc enim fine uſus eſt: Iucundiorem congreſſum noſtrum futurum intelligam, quam inſuauis, & acerbus digreſſus fuit. Ac ne hoc quidem tacitum relinquam, Quinctum, ſuum hoc commentariolum Cretico, & ſpondeo pede clauſiſſe, quem numerum multum habere decoris, in clauſulis dicunt. eoque ita delectatus eſt M. Tullius, ut non ſententias tantum plurimas, ſed plurimos etiam ex ſuis libris, & orationibus eodem numero clauſerit. Quod quoniam cuiuis obſeruare in promptu eſt, exemplis adducendis ſuperſedebo.

F I N I S.



I N D E X

R E R V M · E T · V E R B O R V M

L O C V P L E T I S S I M V S

Quae in hoc uolumine continentur.



A

Apollo

B

Index

elypei

Epicurus

F

grues

M

Marsus

Cicero

N

Nili

O

oratio

Paullum

Q

T

se

Theseus

V

rorum

uir-

X

Z

F I N I S

INDEX
RERVM · ET · VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS
Quae in his Commentarijs continentur.





B

nani,

O

P

Q

R

renun-

FINIS

